

NOCTVA
AD
AQVILAM.

S. Andrea della Valle

Crespin [illegible] -

NOCTVA
BELGICA
R.P. FRANCISCI BONÆ SPEI (Crespin)

Carmelitæ Reformati, Belgicæ Provinciæ Diffinitoris, In Celeberrima Vniversitate Lovaniensi S. T. Regentis.

AD AQVILAM GERMANICAM

Reverendissimi Ac Eximij Domini

D. CARAMVELIS

QVA

Jllius Subtilissima, Nova & Curiosa, Quæstio de Circumstantijs Aggravantibus, ac Præcipua ejusdem Theologiæ Fundamentalis Puncta, Fundamentaliter discutiuntur & Resolvuntur.





Lovanij, Typis CYPRIANI COENESTENII, Anno 1657.

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI
MARTIO GINETTI
S·R·E CARDINALI
SVMMI CHRISTI VICARII VICARIO
ORDINIS B. V. MARIÆ DE MONTE CARMELO
PROTECTORI
FRANCISCVS BONÆ SPEI
CARMELITA
Vtramque Felicitatem.



Vi apud Te dicere audet, magnitudinem tuam ignorat; qui non audet, humanitatem, a dicebat olim Cæsari Varius Geminus; & ego potiori nunc jure Tibi, *Eminentissime Domine Protector*: nam vti Tua illa purpura majestatis index perstringit oculos, ita amoris cor-

a. Apud Senecam contro-vers. 8. lib. 6.

ris cor-

ris cordiumque illex omnium Tibi conciliat animos & ligat affectus: sine terrore magnifica est, quia amore fulgida; sine ardore rutila, quia charitate flammea; & in qua (audiat Pelignus Vates) conveniunt[b] optimè majestas & amor. Hanc ambit NOCTVA BELGICA, vt amore grata sit; sub hac latêre expetit, vt majestate *protecta.* Nec timeo, ne eam negligas, quia NOCTVA est; ne eam reijcias, quia incognita est: spero potiùs, quòd ei favebis, quia Palladia est; quòd fovebis, quia incognita non est. Quid? Nunquid sapientiæ domicilium Roma est? Certè, vt è Græcia in Latium olim migravit armorum gloria, ita & Athenis sese Romam contulit ipsa sapientia. Pallas igitur Romana est, Romana Palladis Volucris; & inter roseam GINETTORVM purpuram Palladia semper viguit & viget oliva. Ab oliva commendata Rosa est, à Rosa vt olivam disceres. Et vnde Rosa? è cœlo cecidit

b Ovidius lib. 2. Metam fab. 13.

cecidit [c]. Credo, vt GINETTORVM ornet insignia, cœlum mutasse visa est, non liquisse. Quid Rosa?

Rosa honor, decusque florum;
Rosa cura, amorque veris;
Rosa flos, odorque Divûm. [d]

Imò *Florum regina, horti purpura, plantarũ decus, terræ risus* [e] Rosa est. Nõ approprio: loquuntur virtutes Tuæ, loquitur ipsa purpura, & *Rosa Tua dedit odorem suum* [f]. Testis Roma, quæ, dum Te donatum vidit purpurâ, verè dixit, *Risum fecit mihi dominus* [g]: quid, dum trium consequenter Pontificum suæ vrbis vidit, viderque Vicarium? Quid, dum pro totius Reipublicæ Christianæ agitandis negotijs ad Cæsarem & Germanos Pontificis vidit à látere Legatum? Dicam ego, quod de Esthere, *Roseo colore vultum perfusa* [h] salutem Iudæorum auspicante dixit Clemens Alexandrinus; *Pulchritudo ejus invenit pretium, quo liberatus est populus* [i]. Non miror itaque ortum olim adagium, *Rosas loqui* [k]; non miror:

c. Malvenda Centur. 1. an. 1215. c. 7.

d. Anacreon apud Delrio in adag. p. 2.

e. Sappho apud Achillem Statium.

f. Cant. 1 v. 12. vbi pro *nardo* alij ex arabico legũt *Rosa*.

g. Genes. c. 21. v. 6.

h. Esther c. 15. v. 8.

i. Clemẽs Alexand.

k. Aristophanes apud Suidam.

ror canentem Persium, *Quidquid calcaverit, id Rosa fiat*[l]; GINETTI facerent virtutes; quæ latè vndique (vt de Rosis scribit Plutarchus) *largum odoris emittunt effluvium*[m]. Et quoniã, Eusebio teste[n], non voluptatis tantùm, sed & vtilitatis causâ creata Rosa est; Tuis sub Rosis tutam fore se & *protectam* arbitratur NOCTVA, & à venenatis zoilorũ morsibus immunem. Patebit, scio, invidiæ, quòd *Gordios* AQVILÆ *nodos* aggressa sit: quid si solverit? ne tamen plùs Scholis CVRAM ALI[o] aut MALE poni sineret, maluit vel sic *Bonæ Spei* signum ostendere, quàm exerto numquàm vngue in angulo delitescere. Audet ergo Eminentissimas Tuas adire Rosas; vt sicut interrogatoria AQVILÆ ad purpuram directa prodijt; ita NOCTVÆ responsoria purpurâ *protecta* clarescat; sicque à Rosis Tuis, Apuleio Madaurensi meliùs[p]. LVCIA evadat ex NOCTVA.

l. Persius Satyra 5.

m. Plutarch. lib. 3. Symposiacar. quæstion.

n. Lib 8. præparat. Evang. cap. vlt.

o. Anagrammata nominis *Caramuel*.

p. Lucius Apulejus ex jumento per comestas *Rosas* in hominis formam iterum conversus. *Sua metamorph. lib.* 11.

APPRO.

AD LECTOREM.



Vdicabis, Amice Lector, me *Noctuam Belgicam Athenas mittere*, & ego quoque idem judico : quia *noctuanæ* Reſolutiones noſtræ *Aquilis* Belgicis, Germanicis & alijs oculatiſſimis, plùs vileſcere debent, quàm Athenis *Noctuæ*. At, cum *Noctua*, Plinio teſte, ab *Aquila* viſum ſperet, eam *Aquilis* iſtis, quæſtionem & puncta, de quibus totô hôc Opuſculo, ſubtiliùs reſolvere paratis, præmitto, vt poſtea oculos ejus aperiant, & magis videat. Sed cur ad Reverendiſſimum ac Eximium Dominum Caramuelem? Quòd eam iteratis, noſtriſque familiaribus, me inconſulto impreſſis, provocet & cogat. Cur ad *Aquilam Germanicam*? Quod tali honore eum dignentur Germani, & nominatim Eximius Dominus Coſtalta, *Theol. Fund. ejuſdem p.* 2. *Epiſt.* 2. Vel certè, quòd ipſe Caramuel aliorum Reſolutiones in Germaniam elevet, vt ſuperet; aſſumat, vt præſumat; ſive potiùs, vt illis, tamquàm cæcutientis *Noctuæ*, tandem ſuis præfulgeat; quæ ſi præceſſiſſent, *Noctua* hæc fortè nata non fuiſſet, ad *Aquilas* vndique excitandas, vt quæſtiones & puncta dicta (ſubtiliſſima, ſi quæ talia) toti Orbi propoſita ſolidiùs reſolvant; ne ſi ab omnibus diſſimulentur, Tribunal Sacramentale periclitetur, mores laxentur, & leges pleræque, tàm naturales, quàm poſitivæ, vigorem amittant. Quod timens Sapientiſſimus Diana Tom. 11. T. 1. lumen diffundere cœpit; ſed authoritatis potiùs, quàm ſolidæ rationis, quæ adhuc exſpectatur, & præſenti Opuſculo, non contentioſè, ſed cum pace & modeſtiâ (vt lex ſpiritualis faciendum monet, juxta illud Marci

Eremitæ, *De paradiso & lege spirituali* cap. 10. *Cave, ne vmquam tentes rem difficilem, per contentionem dissolvere; sed per ea, quæ lex spiritualis facienda mandat;*) tentatur. Quod, vt debitô ordine & modô fiat, præmissô quôdam Præambulô (vnde occasio præsentis laboris) ad Resolutiones pergimus; sed vbique priùs Domini Caramuelis textu de verbo ad verbum positô & examinatô, ad Dianæ locô statim citatô, & ipsiusmet Caramuelis Metalogicæ disp. 10, & alibi sæpè, normam; ne videamur carpere, quod non dicit, de quo P. Arriagam ibidem arguit, ajens, *Non enim ipse impugnat, quod illi dicunt; sed quod dicere, aut sentire putantur.* Vel etiam, quia plerumque sub vno generali Titulo multa proponit, quibus seorsim resolvendis vix integer Tomus sufficeret. Quidquid sit, *Noctuam* hanc, si in tuo & cujusvis *Aquilæ* conspectu cæcutiat, *Noctuam* puta; si quid præter spem, è contra, optati luminis diffundat, Deo, *in cujus manu, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia & disciplina.* Sap. 7. imputa.



PRÆAM-

PRÆAMBVLVM.

EPISTOLA PRIMA REVERENDISSIMI AC EXIMII D. CARAMVELIS. AD AVTHOREM.

REVERENDE ADM. AC ERVDITISSIME PATER.

REverendæ admodùm Paternitatis tuæ Cursum Philosophicum avidissimè lego, & legendo proficio; nulla enim est pagina, quæ ingenio plena non doceat multa, quæ in alijs libris benè digesta nondum erant. Dignabitur ergò permitere, vt eum colam & venerer: & quia magistros nostros consulendo colimus & veneramur, etiam consulam. Hanc Quæstionem propono amicitiæ & confidentiæ tesseram; si dignetur aliquam aliam reponere, respondebo quâ potero, & hanc habebo gloriam, quòd à V. R.da Adm. Paternitate doceri & institui meruero. Vale, Pragæ. 16. Ianuar. An. 1653.

QVÆSTIO EIVSDEM. D. CARAMVELIS NOVA ET CVRIOSA

De Circumstantijs aggravantibus & mutantibus speciem.

D. CARAMVEL.

Portere de Moralibus moraliter Philosophari, sicut de realibus realiter, *Tota Moralis Theologia*, *& Sacramentalis specialiter suadet; in hoc enim differt ab ente rationis moralitas, quòd hæc habeat fundamentum in re, quo illud caret: vnde si in expositione alicujus entis moralis, vel vnicam formalitatem sine fundamento posuero, ab aëre pendebit ea formalitas, & censui entium rationis, & non moralitatum, debebitur. Si*

igitur moralia omnia à realibus fundamentis dependent; analogia & paritas servanda est. Ergo acturi de numero & specie peccatorum, aliquid de numero & specie realium entitatum dicamus.

2 *Porrò genera adaquata, differentias adaquatas, & individua adaquata vniversi cognoscimus: & ideò nemini videbitur mirum, si in vitiorum, aut etiam virtutum actibus, genera, species, differentias & individua adaquata ponamus. Vlterius me propellit scrupulus; hac enim, qua hucusque diximus, certa sunt, & qua supponi debeant, & in dubium reduci non possint.*

3 *Arriaga* Disp. 8. Log. sect. 1. subsect. 2. n. 9. & 10. *admittit genera & differentias (ergo etiam species) inadaquatas. Consonat Oviedus distinguens Petrum à Paulo numerò; Petrum à Bucephalo (equi Alexandri nomen est) specie: Petrum à Ioanna, plùs quàm numerò, & minùs quàm specie; & vt ipse loquitur, specie inadaquatâ. Consonat etiam Thomas Comptonus* disp. 5. de anim. sect. 3. num. 5. *probabile judicans, magis differre animas viri & fœmina, quàm animas duorum virorum. [Probabile id, inquam, judicat; quia contrarium judicat probabilius.] Sed clariùs*, disp. 4. de anim. sect. 1. num. 4 *affirmans partes forma viventis equi esse heterogeneas, seu inter se dissimiles & specie incompletâ diversas, & citat pro hac sententiâ Ioannem Andream, Paulum Venetum, Niphum, Suarium, Rubium, Murciam, Hurtadum.*

4 *Hac de formalitate inter Individuum & speciem mediâ: dicam aliquid de mediâ inter vnitatem & numerum. Positâ probabili sententiâ asserente, eamdem materiam posse (saltem divinitùs) informari pluribus formis, & eamdem formam posse plures informare materias: homo, qui haberet vnum corpus & duas animas, aut etiam duo corpora & vnam animam, esset plus quàm vnicus homo, minus quàm duo: ergo esset realitas quadam inter vnitatem & binarium media.*

5 *His positis, suppono tanquàm certum neminem teneri, in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, qua vel mutant numerum vel speciem. Est definita, vt existimo, hac veritas à* Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. *docente Catholicos, quò debeant modò confiteri, & dicente*, Eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, *& addente*, Nihil aliud ab Ecclesia à pœnitentibus exigitur, &c. *Si nihil aliud exigitur; non ergo exigitur, vt circumstantias aggravantes explicent. Hanc sententiam hodiè tuentur omnes, aut ferè Theologi boni nominis: quorum multos producit Diana*, 1. part. tract. 7. resol. 2. & 3. part. tract. 4. resol. 67. *& sapè alibi.*

His ergo pramissis,

6 Quæro primò, *An dentur in peccatis circumstantia, qua addant speciem incompletam? Et, si dicas non dari, Quaro cur non possint reperiri inadaquata species in moralitatibus, siquidem moralia simillima realibus sunt, & illa (species inadaquata) in realitatibus reperiuntur, vt videbimus? Si verò dicas inadaquatas has species etiam in Morali Theologia reperiri, postulo exempla, quibus possim hanc doctrinam intelligere & dilucidare. Et si meliora non occurrant, interrogo, An contumelia prolata contra Deum, & contra Sanctos sint ejusdem speciei? Et dum asserit Reginaldus* tom. 2. lib. 24. cap. 5. n. 102. *& negat Zanardus & Sanctarellus* tract. de blasphemia cap. 4. dub. 2. n. 5. *An non posset aliquis inire mediam viam, & docere illas distingui*

stingui inadaquatâ , non autem adaquatâ specie ; & hôc modô differentes Authores ad concordiam reducere?

Si dentur in moralitatibus inadaquata & incompleta species;

Quæro 2. *An debeant in confessione exponi? Quod est quærere, an illa verba Concilij Tridentini, videlicèt* eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, *intelligenda sint de specie completa tantummodò, an verò de alterutra? Et quidem duo sunt, propter quæ non videtur egisse Concilium de incompleta:* Primum, *nam vbi lex habet duos sensus, benignior vsurpari potest & solet, nec aliquis admittere si veriorem tenetur; & vbi Canon habet duos sensus, non erit hæreticus, qui alterum alteri præferat; nam ab eodem Concilio definitur vnicam esse causam nostræ iustificationis; & quia vnitas est duplex, moralis, realisq; alij illud Authores de reali, & alij de morali intelligunt; & omnes procedunt probabiliter.* Secundum, *quia voces accipiendæ sunt eâ significatione, quâ proferuntur: at Patres noluerunt agere de specie incompleta illâ die; ergo nos non debemus illud nomen* species *accipere pro specie incompleta. Probatur minor, quia nihil volitum, quin præcognitum: at Patres non cognoscebant species incompletas; ergo. Minorem probo; quia specierum completarum & incompletarum distinctio videtur Concilio Tridentino recentior: non enim apud antiquos reperitur; vel dato veteres Theologos, aut Philosophos, qui de speciebus inadæquatis & completis disputaverint.* 7

Præter species Adæquatas & Inadæquatas, etiam logica & physica species apud Scholasticos Scriptores occurrunt; nam si quæras, an quæcumque differentia essentialis inter duo individua sit specifica, an ad distinctionem specificam non quæcumq; sufficiat; sed magna & valdè notanda requiratur? Videbis dissentientes Theologos, & Thomam Comptonum Disp. 5. de Anima. sect. 3. n. 2. *dicentem (Videtur posse lis decidi inter has duas sententias, si dicatur quamcumq; differentiam & dissimilitudinem inter aliqua duo, quâ possit reperiri minor, esse aliquô modô specificam, saltem logicè, cum de ratione ab his abstracta verificetur definitio speciei tradita à Porphirio, & à Dialecticis communiter recepta; nempe esse prædicabile de pluribus numerô differentibus in quid. Ad differentiam autem specificam constituendam, physicè & moraliter major requiri videtur dissimilitudo, quàm quævis minima discrepantia, qualis est inter duas vniones, aut visiones Petri & Pauli; talis nimirùm, qualis est inter equum & leonem, ad res hujusmodi notabiliter diversas) Ecce visio, quâ videtur Petrus, plùs differt à visione quâ videtur* Paulus, *quàm ab altera visione, quâ videtur idem Petrus; & tamen Comptonus, licèt concedat distingui specie logicâ, negat illas distingui morali & physicâ.* 8

Et ego his positis,

Inquiro 3. *An eadem sit divisio distinctionis specificæ in incompletam & completam, ac in logicam & moralem? Et si sit; vnde hæc coincidentia colligatur. Et si non sit, an non in morali Theologia reperire circumstantias poterimus, quæ addant speciem logicam peccatis, & non physicam seu moralem? Et si non reperiantur, cur illæ non possint reperiri? Et si reperiantur, postulo, vt illæ ponantur ob oculos, & exemplis claris dilucidentur. Et ad verba Tridentini revertens,* Quæro 4. *An non solùm teneatur pœnitens in confessione aperire Circumstantias addentes speciem physicam seu Moralem; sed etiam addentes logicam seu Metaphysicam.* 9

 Et tan-

Et tandem convertens oculos ad Geryones, Antaos & alios multi-corporis, aut multi-animos homines, quos Deus condere potest,

Quæro 5. *An sit possibile peccatum; quod habeat vnicam materiam moralem & duas malitias, seu formas distinctas purô numerô? aut etiam contra; nempe peccatum, quod habeat duas materias morales distinctas purô numerô & vnicam tantum malitiam seu peccaminositatem pro formali? Si negas; cur has moralitates neges, intelligere volo; suppono enim vtrumque in realibus esse possibile. Si asseras, exempla desidero, vt mentem tuam assequi & comprehendere possim: Et, si alia meliora non occurrant, hac examinanda propono. (Petrus vnicô voluntatis actu occidere voluit quatuor homines; modò ad se reversus doceri vult, quô peccaverit modô? & quo teneatur confiteri? (Multi cum Vasquez* 3. p. tom. 4. q. 91. rat. 10. dub. 4. n. 8. & *Bonacina* de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 16. *existimant quatuor illum commisisse peccata; adeoque debere hanc in confessione circumstantiam exponere. Suarius* in 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 5. n. 35. *& alij tenent, Petrum vnicum commisisse peccatum; debere tamen circumstantiam objecti aperire in confessione; quia est notabiliter aggravans (at benè notat Vasquez, positâ opinione Suarezij, non teneri hanc obiecti circumstantiam in confessione aperire; quoniam circumstantiarum aggravantium apertio non est de essentia confessionis.) An non, dum alij intentionem occidendi quatuor viros, quatuor esse peccata, & alij vnicum esse peccatum, eruditè contendunt, possemus nos asserere esse vnicum peccatum quadriforme, dicens pro materiali vnicam solam volitionem, & pro formali quatuor obiecta, adeoque quatuor malitias & peccaminositates puro distinctas numero? Sed si philosophemur hoc modo, quo Petrus debebit confiteri?*

Vt formam plures materias informantem ad mores reducam, produco Fridericum sæpe
12 *pugnantem cum procis (actiones sunt distincta numerô) sæpe munera & minas (actiones sunt specie distincta) obloquentem; & omnia hac, vt potiatur Antonia: ergo omnes hæ actiones, qualescumque illæ sint, finis malitiâ informantur. Ergo si essent omnes aliàs indifferentes, essent propter istam finis malitiã omnes malæ. Annè plura peccata? Annè in confessione mediorũ indifferentium, quæ ad finem malum sunt, pluralitas est explicanda?*

Et vt hac ipsa meliùs & profundiùs intelligam,

13 Quæro 6. *quô debeat confiteri modô Theopompus, qui Fridericum, vnicô corpore & vnicâ animâ; Geryonem, tribus corporibus & vnâ animâ, & Antæum, vnô corpore & animabus multis præditum, interemerat? An satisfaceret, si diceret,* Tres homines occidi? *Et si hôc satisfaceret modo. An etiam, si in alijs generibus peccata committeret, quæ vel in eadem morali materia habeat plures malitias distinctas puro numero, aut vnicam malitiam in pluribus materijs moralibus?*

14 *Et quia materia similitudo huc provocat; producam notabile monstrum, cujus consideratio huic possit controversiæ servire. De illo multi Historiographi, imò etiam Scholastici; & breviter & accurratè P. Andreas Capittel* disp. de origine omnium rerum, Dilingæ An. 1619. propugnatâ. *Sic, inquit, (Monstrum fuit in Scotia, circa annum* 1490. *inferiori corporis parte, specie maris, nil à communi hominum forma discrepans; vmbilicum verò supra, trunco corpore, reliquisque omnibus membris geminis, & ad vsum & speciem diseretis: quod Iacobus IV. Scotiæ Rex, Mariæ Stuartæ gloriosissimæ Martyris avus, educandum & diligenter erudiendum curavit, & maximè in musicis: quâ in re mirabi-*

liter

liter profecit ; quin & varias linguas didicit ; varijs voluntatibus duo corpora secum discordia & litigiosa discutiebat, cùm aliud aliĩ placeret; interim velut in commune consultabant. Cùm superiore parte pungeretur, laederetur vè, ad alterum tantùm corpus, quod laedebatur, sensus pertinebat; cum infernè, ad vtrumque. Tandem cum annos 28. vixisset, & corpus alterum complures, ante alterum, dies extinctum fuisset, superstes, dimidiô sui putrescente paulatim & ipsum contabuit.) Sic ille.

Et ego monstrum hoc attentè considerans,

Inquiro 7. An non ejus inferior pars à duabus simul animabus fuerit informata? & , si fuisse dicatur, An non solô hôc ariete diruatur Physica Thomistarum? Et, si non fuisse dicas, Exponas quaeso, quô poterat modô vterque dolorem sentire, quando laedebatur infernè? Et, si membra inferiora erant communia; 15

Quaero 8. An alter potuerit lascivire, alterô nec lasciviente, nec peccante? 9. An alter vivere castitatem potuerit, aut vxorem ducere, altero invito? 10. An hoc monstrum fuerit vnus homo biformis? An duo homines, an potiùs sesqui-homo? & quo peccasset modo, aut quo debuisset confiteri, qui alteram monstri partem occidisset? Quo qui vtramq; ? 11. si illae duae voluntates diversis moribus fuissent imbutae (imò & fuisse de facto, alibi legisse me memini) 16

Quaero 12. Quid fieret de isto monstro, si altera pars moreretur in gratia, & altera in peccato mortali? Altera anima, inquies, coronaretur caelitùs, & altera aeternis ignibus addiceretur. Esto. Sed quid fieret post resurrectionem de illa inferioris corporis parte, quam à duabus simul animabus informari putamus? Veram illa animam felicem, an infelicem, sequeretur? An fortè vtramque, & speciali miraculo in caelo & orco replicaretur? 17

Hinc ad moralia veniens, subdubitare incipio, An non possint reperiri, aut fortè de facto reperiantur, actus aliqui humani huic monstro similes? si altera anima salvaretur & altera condemnaretur, materia inferiór, eadem, esset simul supplicio & gloriâ digna & ideò, 18

Quaero 13. An possit vnus & idem actus esse simul meritorius & peccaminosus? An actus amoris supernaturalis, secundùm communem cursum rerum; alicujus levis deordinationis sit capax? An praeter communem rerum cursum, capax etiam sit deordinationis gravis & mortaliter peccaminosa? 19

Et quia idaa physica, quae me impraesentiarum manu ducit, vt videbamus, monstrum est,

Quaero 14. An etiam in actibus humanis sint monstra? Et, si sint, an omnia sint peccaminosa; an fortè possit aliquis contra morales humanorum actuum conformatrices leges peccare, quin dicatur peccare contrà legẽ Divinam? Et, vt omnia & singula meliùs intelligantur, exempla postulo, quibus monstrosa Moralitates probentur & dilucidentur; regulas, quae nos doceant, quô debeant modô in confessione monstrosa peccata explicari: tenentur enim homines species culparũ exponere, & monstra ad nullam speciem spectant. 20

Haec sunt (Eximie & Ingeniose Lector: non enim alijs, quàm Ingeniosis & Eruditis haec scripsi) quatuordecim subtilissima dubia, quae à nullo, quem viderim, Doctore tacta, egere examine, illustratione & resolutione videntur. Tuum erit illa singulatim dissolvere; & dissolvendo illa, decisionem decisioni summâ doctrinae consequentiâ alligare; & solvendo & ligando, Moralem Theologiam, hôc aevo ab alijs ad summam perfectionem evectam, vlteriùs & eminentiùs promovere. 21

RESPON-

RESPONSVM FAMILIARE

AVTHORIS.

REVERENDISSIME AC EXIMIE DOMINE.



Audeo Curſum noſtrum Philoſophicum tanti Doctoris pertractari manibus, à quo ſi commendetur, nil vltra eſt, quod ſperetur: nam varia Rever. & Exim. Dominationis tuæ opera, quæ evolvere cœpi, & per Dei gratiam perficiam, vt ejus in lumine videam lumen, toti Mundo perhibent; quàm ſit alijs inſignis notæ Philoſophis ac Theologis ad excogitandum acutior, ad inveniẽdum acrior, ad judicandum maturior: quia autem eadem Tua Rever. & Exim. Dominatio Quęſtionem amicitię teſſeram nobis proponere dignatur; ſed ex præſuppoſitis aliàs à nobis ferè rejectis fundamentis; eamdem, alijs juxta noſtram doctrinam ſuppoſitis principijs, ſubmiſſionis ſymbolum, & inſtructionis capeſſundæ gratiâ, provocatus, confidenter, aliam diſſolvens, repono; hoc ex litteris Rmi. P. noſtri Generalis Secretarij, qui Româ nuperrimè aliquot ex illius operibus expetijt, edoctus, quòd nemo tanti Magiſtri diſcipulus eſſe poſſit, qui doctus non ſit; quod adhuc tamen ſpero. Vale Lovanij 1. Martij An. 1653.

AVTHO-

A V T H O R I S

Quæstio Reposita ad D. Caramuelis supra positam

Etiam Nova et Curiosa.



Vm Quæstio ista ad speculationem magis, quàm ad praxim & mores spectet, de nonnullorum consilio dissimulari debuisset; nisi, quod ei per epistolam familiarem reposui, typis locô statim citatô, præter mentem, mandatum viderem, vnà cum literis, quæ præsens responsum extorserunt. Pro quo 1

Suppono 1. Tridentinum sess. 14. cap. 5. dicens, *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse: neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent*: & infra. *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*: nihil determinare circa rationem in qua consistat *species* peccati, aut *species*, quæ interdum per circumstantiam mutatur; an in difformitate ad rationem creatam, an potiùs in difformitate ad legem Dei æternam, ab alijs notabiliter diversa? vti nec vnde petatur, an ab objecto, an aliunde? sed eam relinquere Theologis discutiendam: quod facimus *Dub.* 6. & 15. per totum.

2 Deinde, cùm manifestum sit ipsum non agere de *specie* logica formali, sive vt est præcisio mentalis naturæ à suis conditionibus individuantibus; quæ vna esse potest omnium objectivarum; manifestè sequitur, ipsum agere de objectiva; nec proinde aliud velle, quàm individuum cujuslibet peccati mortalis diversæ, sive secundùm se, sive secundùm circumstantiam, speciei obiectivæ (in quocumque consistat, & vndecumque sumatur, quod declaramus *dub. 6. & 15. à n. 425.*) esse confitendum.

3 Suppono 2. Ex probatis in Logica. *Tract. 1. Disp. 2. dub.* 5. Non dari distinctionem mediam inter realem & rationis; ac proinde quodcumque individuum esse indivisibilissimè *hoc*; nec aliter (spectatum prout in se, & non prout subest prudentum æstimationi, de qua infra *n. 221. 325. & à n. 425. ad* 439.) quàm summè à quocumq; alio individuo objectivè distinctum, haud secùs quàm duæ hæcceitates inter se, quæ magis & minus in quo magis aut minus inter se distinguantur, non includunt. Vnde meritò excludo omnem simplicium distinctionem specificam inadæquatam à vera Philosophia; imò & à Theologia Morali infra *Dub.* 3. His suppositis

4 Quæro 1. contra Quæstionem à D. Caramuele supra positam: Cur, *Si de Moralibus moraliter Philosophari oporteat, sicut de Realibus realiter*, vt posita ejus Quæstio supponit; non æquè Tridentinum præcipere debeat confiteri quodlibet individuum peccati venialis, ac quodlibet peccati mortalis? Cùm individua peccati venialis, spectata prout in se realiter (& non prout subsunt Prudentum æstimationi moraliter, de qua statim) inter se, vtpote indivisibilissimè *hoc* & *hoc* in se realiter & objectivè, summè differant; nec proinde minus, quàm individua peccati mortalis, in se realiter & objectivè (& non prout subsunt Prudentum æstimationi moraliter)

ã spectata

spectata. Cur potiùs fornicationem hanc & circumstantias speciem mutantes; quàm mendacium hoc jocosum & circumstantias speciem non mutantes? Cùm istę spectatæ vt in se realiter & objectivè (& non prout subsunt Prudentum æstimationi moraliter) non magis ab his(ita etiam spectatis) quàm vnum mendacium jocosum ab altero, vna circumstantia speciem non mutans ab altera, differant. An fortè judicium de distinctione objectivâ, sive vt in se realiter & objectivè, æqualibus, supponit necessariam non esse æqualem causæ cognitionem? Sed de his plura *Dub.* 1. per totum, vbi ex professo Principium illud vt falsum reijcimus.

5 Respondebitur fortè, peccatum, sive formaliter sive materialiter sumptum, non dici talis aut talis speciei, ab eo quod est in se objectivè sic vel sic distinctum; sed prout formaliter respicit objectum & finem malum talis vel talis speciei; materialiter verò prout à forma talis vel talis speciei malitiæ denominatur peccatum.

6. Sed Contra est, quòd eadem sit ratio objecti & finis mali, si vt in se realiter & objectivè spectentur, quæ intentionis, sivè voluntarieitatis peccati vt sic spectatæ: vel enim ratio objecti & finis sumitur vt in se realiter & objectivè, vel non? Si primum; indivisibilissimè objectivè est *hac*: vnde integra manet difficultas. Si secundum; sumetur per ordinem ad aliud; de quo alio quæram, an sumatur vt in se est realiter & objectivè, vel non, & sic in infinitum; vnde, salvô meliori judiciô, *Quæsito* à D. Caramuele *posita* n. 1. videtur falsum supponere, dum in ipso capite ibidem supponit, *Oportere de Moralibus moraliter Philosophari, sicut de Realibus realiter.* Dicit quidem idem Caramuel *in sua 2. ad nos Epist.* paulò post impressa, *Non enim ego patiar vocari* falsam, aut etiam probabilem, hanc Assertionem *Oportet* &c; sed illi satisfit *Dub.* 1. Quamobrem

7 Quæro 2. Quis ille alius de Moralibus moraliter philosophandi modus, quàm de Realibus realiter? An fortè Theologia Moralis Philosophiæ & rationi dominari debeat, & prudens ratio ancillari? An Philosophia dominari, & Theologia moralis ac Prudentum æstimatio ancillari; quod ex allato D. Caramuelis principio sequitur? An non meliùs nobiscum *Dub.* 7. *&* 16. sic conciliantur, vt vtraque in suo genere dominetur, neutra ancilletur?

8 Suppono 3. ex sufficienter insinuatis in physica *P.* 1. *tract.* 2. *lib.* 2. *disp.* 5. *dub.* 4. In rigore philosophico actus virtutũ & vitiorũ specificari non posse ab objectis, terminis vel principijs, quæ infra *Dub.* 7. *Resol.* 1, 2. *&* 3. probamus. Hôc autem suppositô

9 Quæro 3. Vndę actus vitij sint diversæ speciei ab actibus virtutis? Respondebitur fortè nobiscum juxta *Resol.* 4. *Dub.* 7. statim citati, actus virtutum & vitiorum specificari à communi Theologorum & Philosophorum sensu.

10 Sed hinc, contra D. Caramuelem, est, quòd, juxta communem Theologorum, furtum mille florenorum supra furtum 20. assium (in quo materia gravis furti supponitur) incomparabiliter magis differat à furto 20. assium, quàm furtum 20. assium supra vnum assem, à furto vnius àssis, vt ostendemus *Dub.* 16. ac proinde, cùm hoc sit (vt omnes, ex præsupposito materiæ gravis, fatentur) sigillatim à furto vnius confitendum; illud à fortiori est sigillatim à furto 20. assium confitendum; & idem dicendum de singulis circumstantijs notabiliter aggravantibus. Vnde, quod in ipsa *Quæstionę* à D. Caramuele *posita* supponitur, his verbis. n. 5, *Suppono tamquam*

tertium

certum neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum, vel speciem &c. si non falsum, salvô meliori judiciô, saltem valdè incertum puto. Pro quo vide *Dubium* 16. statim citatum, vbi suppositi istius falsitatem aperio.

Sic patet ad primas quatuor Quæstiones D. Caramuelis per eversionem fundamenti & suppositorum ad illas. Quare 11

Suppono 4. formale peccati vltimatè sumi non posse ab ipsa deformitate cum recta ratione; sed ab illa deformitate cum lege divina prohibente, aut præcipiente sumi debere, à qua ipsa ratio suam rectitudinem aut curvitatem, conformitatem aut difformitatem sumit; idque ob rationes & absurda, quæ ex opposita sententia, infra *Dub.* 5. sequi probamus. Vnde, salvô meliori judiciô, tamquàm falsum negandum putamus, quod D. Caramuel suæ Quæstionis, n. 11. quærit, *An non asserere possit esse vnicum peccatum quadriforme in eo, qui vnicô voluntatis actu quatuor homines occidere vellet, dicens pro materiali vnicam solam volitionem, & pro formali quatuor objecta, adeoque quatuor malitias & peccaminositates purô distinctas numerô.* Judicamus enim ibi vnicum esse formale, & quatuor materialia; ac proinde materialiter quadruplex peccatum vniforme, pro quo vide infra *Dubium.* 11. *Resol.* 3. 4. & 5. 12

Datô tamen, ad intentum Quæstionis à D. Caramuele positæ, vnô peccatô quadriformi, quod contingeret, casu quô Petrus v. g. sub quatuor moraliter interruptis intentionibus malis, solô numerô distinctis, vnum hominem occideret; vt *ibidem Resol.* 1. 13

Quæro 4. An non satisfaceret Tridentino, confitendo se voluntariè vnum hominem occidisse? quandoquidem in Tridentino non præcipiatur confiteri materialia & formalia præcisè & in abstracto; sed peccatum, vel peccata mortalia in concreto, secundùm speciem & numerum, quod, in casu posito, est vnicum secundùm speciem & numerum. Resolvemus infra. *à n.* 127. negativè; & statim infra, sed ex professo *Dub.* 16 vbi sententia docentiũ circumstantias intra eamdem speciem, sumptam per conversionem ad objectum, & physicè notabiliter aggravantes, non esse necessariò in confessione aperiendas, reijcietur, tam authoritate Tridentini, quàm rationibus multis. 14

Suppono 5. ex prædictis in Logica, *Præparamenti logici disp.* 4. *dub.* 3. Omnia concreta, tam accidentalia, quàm substantialia, etiam adjunctis nominibus numeralibus, multiplicari, multiplicatis per moralem interruptionem (de qua *Dub.* 11.) solis rectis, sive subjectis, aut materialibus significatis, vt *ibidem* dicitur. Hôc autem suppositô 15

Quæro 5. An casu quô Petrus v. g. sub vnico voluntatis actu occiderit quatuor homines, quatuor peccata commiserit? Resolvemus negativè *dubio* 11. *resol.* 4. Et confiteri debeat se quatuor homicidia commisisse? Affirmamus *Dub.* 12. *n.* 337. & *seq.* 16

At cùm tertium, supra vnius homicidium, sit circumstantia intra eamdem speciem, sumptam per conversionem ad objectum, de qua *Dub.* 15. *à n.* 415. & *seq.* notabiliter aggravans. 17

Quæro 6. An affirmari possit, debere confiteri se quatuor homicidia commisisse, & simul consequenter negari circumstantias intra eamdem speciem, sumptam vt 18

ſtatim dictum eſt, notabiliter aggravantes eſſe confitendas? Negamus toto *Dub.* 16.

19 Quia vero in *Quæſtione* à D. Caramuele *poſita*, ſupponitur *circumſtantias notabiliter aggravantes, quæ nec numerum, nec ſpeciem*, ſumptam vt diximus, *mutant*, *non eſſe neceſſariò in confeſſione aperiendas*. Et tria homicidia ſupra vnum, à primo ſolò numerò, ſumptâ differentiâ numericâ per converſionem ad objectum, diſerte conſtat.

20. Quæro 7. An ex ſententia eorum, qui id ſupponunt, non ſequatur, peccata mortalia ſolò numerò (ſumptâ differentiâ numericâ per converſionem ad objectum, vt ante) diſtincta non eſſe ſecundùm numerum confitenda; ſive, an affirmari poſſit illa eſſe confitenda, & conſequenter negari circumſtantias dictas eſſe in confeſſione aperiendas? Concludimus primum ſequi *à n.* 478. *ad* 483. Ac proinde, contra D. Caramuelem & alios, affirmari non poſſe illa eſſe confitenda, & conſequenter negari &c; alioqui Tridentinum *ſuppoſito* 1. citatum, oppoſita & incompoſſibilia definire, probamus *Dub.* 16. *Reſol.* 2. per totam.

21 Sic patet ad quintam ſupra 4. primas à D. Caramuele poſitas Quæſtiones, ſimiliter per everſionem fundamenti & ſuppoſitorum locis citatis pleniùs factam. Ad cæteras autem Quæſtiones vſque ad decimam quartam; primâ vice nil reſpondi, eò quod Philoſophiam partim concernerent; & partim Theologiam moralem nimiùm exoticam: nunc verò eas diſcutio, & ſolvo *Dub.* 12. motus paulò poſt ſubjectis D. Caramuelis litteris, quæ in fine ſic habent, *Hæc volui*, *P. Erudititiſſime*, *vberiùs perſequi*, *vt occaſionem dem*, *vt reſpondeas*, &c.

22 Suppono 6. certiſſimè dari poſſe monſtra moralia, prout realia; quia principia moralia, intellectus videlicèt & voluntas, longè in repræſentando & appetendo ſubtiliora ſunt principijs phyſicis in efficiendo. Hôc ſuppoſitô

23 Quæro 8. An caſu quô homo daret puellæ in gravi neceſſitate exiſtenti eleemoſinam, ſub vnico voluntatis actu, quô ſimul tenderet in motivum ſupernaturale charitatis & naturale libidinis carnalis, Deus poſſet per gratiam concurrere ad iſtum actum vt tendentem in motivũ ſupernaturale charitatis; ſic vt per illã non concurreret ad illum vt tendentem in motivũ naturale libidinis carnalis &c. quomodo in ſimili, nonnulli docent voluntatem ad vitalitatem actus ſupernaturalis tantùm cõcurrere, gratiam ad ſupernaturalitatẽ? Solutio patebit ex dicendis infra *à n.* 350. *ad* 359.

24 Quæro 9. An talis actus non ſit actus humani monſtrum? Solvetur. *ibid.*

25 Quæro 10 An talis actus ſit confitendus quà eſſet peccatum mortale? Non videtur dubitandum. Vnde

26 Quæro 11. An inde non ſequatur illud, quod realiter eſt bonum & actus charitatis, eſſe neceſſariò confitendum? Confitendum eſt, non quidem vt ſic; ſed vt tendit in finem malum, & eſt peccatum mortale. Vnde

27 Quæro 12. Quomodò tendentiæ illæ ex parte fundamenti, ſive actus, ſeparari poſſint? Reſpondeo non poſſe; ſed ex parte ſolius præciſionis formalis eumdem actum in ordine ad vnum, & non in ordine ad aliud motivum, confuſè repræſentantis, vt docuimus in Logica. *locô n.* 3. *citatô*.

28 Quæro 13. An motivum in abſtracto, an in concreto cum actu, confitendum ſit?

sit? Confitendum est in actu abstracto, sive vt formaliter à seipso tendente in aliud motivum præciso, vt statim insinuatum est.

Quæro 14. An inde non sequatur dari posse peccatum mortale, quod nullo casu sit in confessione aperiendum? Solutio patet ex præmissis. 29

Hæ sunt Reverendissime ac Ex. Domine. Quæstiones quatuordecim, quas æquali numerô Tuis Reposui, illarum solutionem in tua 1. Epistola promissam sperans; sed frustra, vt ex 2. statim patebit; vnde à Rma. & Ex. tua Dominatione positas, & à me Repositas, singillatim, vti in ea postulat, dissolvi breviter & remissivè. 30

EPISTOLA SECVNDA
REVERENDISSIMI AC EXIMII.
D. CARAMVELIS
AD AVTHOREM.

REVERENDE ADMODVM ET ERVDITISSIME PATER.



Agnam ingenij aciem ostendis, dum nodos addis; orabam quidem, vt nonnullas Controversias dissolveres, & superaddis novas, vt difficultas secunda sit intricatior priori. Sed quia per eversionem fundamentorum dedisse solutionem te putas; adhuc reponam paucas lineas; non enim ego patiar vocari falsam aut etiam probabilem, hanc Assertionem, Oportet, sicut de physicis physicè, ita etiam de Moralibus moraliter philosophari. *Volo enim, vt habeatur tamquàm principium notum per se, aut saltem demonstratum per se; omnes enim moralitates sunt realitatum vmbræ aut imagines, & eisdem terminis, aut similibus, configurantur. Sic discurro.*

Moralitates, realitates verè existentes non sunt: quid ergo sunt? Nihil-ne? Si nihil, omnes libri morales comburantur. Sunt aliquid ergo. Conceptum igitur, si quidem aliquid realiter existens extra mentem non sunt. Conceptum? Ergo cum fundamento in re; vel sine

fundamento. Hoc ultimum dici non potest, quoniam Chimeræ & entia rationis sunt ideæ conceptæ sine fundamento, & distinguuntur à moralitatibus in omnium Ethicorum sententia. Nec contra nos citandi sunt Iurisperiti, qui Moralitates, aut etiam virtualitates omnes, jurisfictiones *dicunt; hôc enim ipsi nomine, non Chimæras intelligunt, sed suppositiones juridicas, quæ realiter loquendo nō sunt.*

Ergo isti conceptus objectivi Morales habent fundamemtum in re. Ergo sunt hypotheses, quæ non sunt in rebus, sed ponuntur esse, & jubentur eosdem habere effectus, quos haberent, si essent. Hinc est, quòd ens morale definiatur esse id, quod non est reverà, quale dicitur; Prudentum autem judiciô ac suppositione, ita se habet; ac si, quale dicitur, esset. *Quòd clarè videtur in adoptivo filio, qui est filius moralis adoptantis: vocatur enim* filius, *& realiter loquendo non est filius; Prudentum autem judiciô & suppositione, quoad subordinationem, hæreditatem, propagationem nominis & familiæ &c, ita se habet, ac si esset verè & realiter filius.* Ergo sicut de filio reali realiter, ita de filio morali (*adoptivo*) moraliter est philosophandū. *Hanc consequentiam, tam veram esse crediderunt priscæ ætatis Principes & Legislatores, ut errores physicos transtulerint etiam ad Ethicam. Qui enim in reales filios patri, mortis & vitæ potestatem dederunt, hi ipsi eamdem authoritatem concessêre adoptanti. Quòd si hodiè aliqua concedantur filijs realibus, quæ negentur moralibus, non tollit hoc conclusionis datæ certitudinem & claritatem: sed probat olim fuisse aliquos adoptatos adæquatè & perfectè; nullum hodiè adæquatè adoptari: nam & hodiè per leges plurima conceduntur servis, quæ non tollunt servitutem esse nullitatem politicam, servosque politicè loquendo, esse nullos; sed persuadet, hodiè non esse unum, qui adæquatè sit servus.*

Vt has tollam difficultates, dubiaque, Cursum Physico-Moralem scripsi, quem jam paratum habeo, cuius partes hæ sunt.

Philoso-

Philoſophia ſecundùm dici.
Grammatica Moralis.
Logica & Dialectica Morales.
Phyſica moraliter examinata.
Animaſtica Philoſophia moraliter examinata.
Libri de Cœlo & Mundo moraliter examinati.
Politica ad prima Phyſicę Fundamenta reducta.
Res pecuniaria, moraliter conſiderata.
Medicina Moralis, *&c.*

Quæ omnes Facultates & Scientiæ ſummâ doctrinæ conſequentiâ tractantur ; quæ ſervari non poſſet , niſi ſupponeretur , vt omnium dicendorum Basis, *hoc nimirùm Principium :*

Oportet, ſicut de Phyſicis phyſicè, ita de Moralibus moraliter philoſophari.

Et quidem omnes Scientiæ ſe juvant, & multa per parallela ſummâ brevitate & facilitate expedio, quæ aliter & Ego neſcirem, & aliter alij non faciunt: & vt mihi ſim ſimilis, has Fundamentales Poſitiones admitto.

I. Oportet , ſicut de Phyſicis phyſicè , ſic etiam de Metaphyſicis metaphyſicè philoſophari.

II. Oportet, ſicut de Corporeis corporaliter, ſic etiã de Spiritualibus ſpiritualiter philoſophari. *Aut aliter.* Oportet , ſicut de Materialibus materialiter , ſic etiam de Immaterialibus immaterialiter philoſophari.

III. Oportet , ſicut de Naturalibus naturaliter , ſic etiam de Supernaturalibus ſupernaturaliter philoſophari.

IV. Oportet, ſicut de Humanis humanitùs, ſic etiam de Divinis divinitùs (hoc eſt, modo congruo & analogo) philoſophari. *Et tandem.*

V. Opor-

V. Oportet, sicut de Realibus realiter (*N. B.*) sic etiam de Moralibus moraliter (Virtualibus virtualiter) philosophari. *Quoniam Materiæ, Formæ, Substantiæ, Accidentia, Magnitudines, Potentiæ, Relationes, Actiones, Passiones, Materialitates, Immaterialitates, Naturalitates, Supernaturalitates, immò etiam Divinitates Virtuales, aut etiam Morales, reperiuntur; de quibus agere minimè poterit, qui doctrinam Realitatum ignoret.*

Hinc est (Pater Eruditissime) quòd proposita Quæstio eversione Fundamenti solvi non possit, sed debeat admissô Fundamentô dissolvi. Nam si quæram, An in Sacramentis, præter materiam & formam Morales, reperiatur unio Moralis ab extremis distincta, vel non? me remittes ad Physicam, ut sicut de Naturalibus naturaliter, sic de Moralibus agam moraliter. Et, si inquiram, An contritio, quæ supernaturalis Amor est, in productione ponderis supernaturalis, an in pondere producto consistat, jubebis ut ad Animasticam Philosophiam redeam, & sicut de voluntate humanâ, sic etiam de Charitate, quæ voluntas supernaturalis quædam est, discurram; quia sicut de Naturalibus naturaliter, sic etiam de Supernaturalibus supernaturaliter debemus agere. *Et tandem, si inquiram, An Deus habeat intellectum & voluntatem per modum actus primi & secundi, an verò per modum actus purissimi? An liber sit? An Personalitas & Natura Divina sint duæ formalitates? jubebis, ut recognoscam disputationes de Animâ; quia* sicut de Humanis humanitùs, sic etiam de Divinis divinitùs philosophandum est.

Hoc totum duobus Ego ratiociniis confirmo: Tu enim ipse in hac responsione, ad Logicam tuam me remittis, & quia in realitatibus species inadæquatas non admittis, ideò & illas reiicis in moralitatibus: jubes ergo, ut sicut de speciebus realibus, sic etiam de morali-

moralibus philoſopher. *Et Tu etiam Logicam & Phyſicam præmittis Tuæ Theologiæ, quod non faceres, ſi nullam connexionem haberent. Si connexionem habent: ergo ſimilitudinem. Si ſimilitudinem, ſtat Fundamentalis mea Aſſertio, nimirùm,*

Omnia Phyſica & Metaphyſica: Corporea & Spiritualia: Materialia & Immaterialia: Naturalia & Supernaturalia: Humana & Divina: Realia & Moralia; ſunt analoga. Qui vnum aut alterum harum formalitatum genus benè percalleat, cætera per rationis paritatem cognoſcet: quia ſicut de vnoquoque, ſic etiam de cæteris omnibus philoſophandum eſt, proportione ſervatâ.

Hæc volui, Pater Eruditiſſime, vberiùs perſequi, vt occaſionem dem, vt reſpondeas, ingenioque tuo poſitas difficultates dilucides, non novas tertiò reponendo, ſed ſolvendo & à me poſitas, & à te repoſitas, vt Lectores noſtro communi ſtudio & labore juventur. Vale. Dedi Pragæ apud Montemſerratum die 8. *Novembris* 1653.



é RESPON.

RESPONSVM

AVTHORIS.

REVERENDISSIME AC EXIMIE DOMINE.

REverendissimę ac eximię Dominationis tuę litteras, vnà cum Parte secunda suæ Theologię Fundamentalis, quam *sententiam inter-locutoriam* vocat, impressas statim post meum Româ è Capitulo nostro Generali reditum Colonię reperi; tandemque quieti ac studijs restitutus hanc & illas avidissimè perlegi; sed BONÆ SPEI licèt, spe duplici frustratus; vnâ difficultatum, quas in Parte prima proposuerat, Resolutionis; alterâ earum, quas in charta volante familiariter invicem proposueramus, solutionis: illam enim vix tangit, hanc verò contra promissum in suis datum, dum scribit, *Quæstionem propono amicitiæ & confidentiæ tesseram; si dignetur aliquam aliam reponere, respondebo, quâ potero.* Ad nos remittit, respondens; *Hæc volui P. Eruditissime, vberiùs persequi, vt occasionem dem, vt respondeas, ingeniôque tuô positas difficultates dilucides; non novas tertiò reponendo; sed solvendo, & à me positas, & à Te repositas, vt Lectores nostrô communi studiô iuventur.* Quia autem illis R^ma^. ac Eximia Dominatio Tua me iterum ad disputandum provocat (non quidem factô, prout Pseudo-Prophetas Baal Patriarcha noster Elias 3. Reg. cap. 18. *Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem vnum* &c; sed scriptô, vt Theologum decet; nam vti rectè Thomas Morus lib. 1. *adversus Lutherum pro Rege Angliæ* cap. 1. *Non potest æquior esse planities, in qua dimicetur, aut minùs insidijs exposita, quàm libellis editis conflictatio*) præsentem Libellum

Libellum ſcripſi, ab annis duobus, vt patet ex data Cenſoris (ſed Prudentum conſiliô, in hoc tempus prælum diſtuli) quô reſpondeam ad quæſtiones mihi de circumſtantijs aggravantibus à Tua Dominatione propoſitas, ad quas Theologiæ ejuſdem Veſtræ puncta è difficilioribus quàm plurima reduxi, vt pleniùs ſatisfacerem, memor verborum Principis Apoſtolorum 1. Petri 3. *Dominum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt SPE.* Si quid intereà minùs ſolidè reſolvi, audiam lubenter eum, *qui potens eſt exhortari in Doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.* Apoſtolus ad Titum 1. & cùm aliunde *ſervum Domini non oporteat litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem.* Idem 2. ad Thim. 2. finiam cum Proſpero lib. contra Collatorem cap. 1. *Parati ſumus patronos doctrinæ emendatioris audire.*

Nec omittam illud Doctiſſimi Dianæ & multorum cum illo conſilium: *Vellem à Sapientiſſimo Viro (vt ora æmulorum clauderet, quod etiam placuit Eminentiſſimo Domino meo Cardinali Chiſio Viro incomparabili, literatorum Patrono) ſicut Theologiam hanc fundamentalem, interrogatoriam tamen, vt ipſe vocat, typis mandavit; ita etiam quàm primùm aliam Theologiam fundamentalem, reſponſoriam, in qua ipſe ad ſemetipſum reſpondeat; præſertim, quando contra communes diſputavit: vnde magis ſic acumen ingenij ſui demonſtraret. Nam ſi mare pacificum, vt Americi loquuntur, totius Theologiæ Moralis turbaſſe videtur, poſteà tamquàm alter ſacer Neptunus in priſtinam tranquillitatem adduceret; & vt Achillis haſta, ſi in dicta Theologia interrogatoria vulneravit, poſteà in Theologia reſponſoria ſanaret. Ita vt de Caramuele feliciter poſteà omnes dicere poſſint, Ipſe percutit & medetur.*

medetur. Ne, quod multos angit, & vnus, veteranus Theologiæ Moralis miles, P. Marchantius, S. Francisci doctus, vt ait, oraculô, plangit; ne, inquam, *funis humanæ vanitatis superantibus*, *de* CONSCIENTIA *ablatâ primâ syllabâ* CON, *fiat* SCIENTIA, quæ Apostolo teste, *inflat*, & se potiùs ostendit, quàm vitia: & tandem nimiùm ventis curiositatis avecti primam truncemus syllabam in SCIENTIA; & pro solida *fundamentali* Theologia nihil in fine habeamus, quàm mera ENTIA. Sanè, si, vt bene alibi nobis instillat Vestra Dominatio, *Nimia subtilitas in jure reprobetur*; si, vt etiam non nescit, Theologia Moralis sic ordinanda sit, vt vitam spiritualem ædificet, non evertat; mores reformet, non laxet; si rectè olim dixit Tacitus, *Corruptissimam esse Rempublicam, vbi plurimæ leges*; opto & Ego cum Doctissimo Diana, optant nobiscum omnes Docti, vt tandem practica, ædificativa doctrina vna prodeat; quæ *fundamentaliter* Theologiam Moralem fundet, mores reformet, Conscientiæ forum stabiliat, æmulorum ora obtundat, &(vt vestris vtar verbis) *vel hôc lapide lubeat frangere dentes invidiæ*. Sic fiet, vt CVRAM, quam secundùm nomen toti Orbi literario hactenus ALVIT, evellat, & ex *nodis Gordijs*, solidæ doctrinæ gladio discissis, non innumera invtilium opinionum prodeant fragmenta; sed argumentorum solutione enodatis & solutis, integra & solida salutaris doctrinæ series exponatur: ac ita

Non vis, aut numerus, melior sed causa triumphet.

Ex CARMELO nostro Lovaniensi &c.

SYNOP-

SYNOPSIS OPVSCVLI

PER DVBIORVM SVMMARIA.

PRæambulum Opusculi jam præmisimus, constans Præfatione ad Lectorem; duabus Epistolis & Quæstione nova ac valdè curiosa, sub casibus quatuordecim D. Caramuelis ad Authorem; Authoris è converso ad eumdem Caramuelem Responsis duobus, & Quæstionis ejusdem dissolutione remissivâ ad Dubia sequentia.

DVBIVM PRIMVM.

An sit principium per se notum; aut saltem per se demonstratum,

Oportet sicut de Physicis physicè, ita etiam de Moralibus moraliter philosophari.

Summarium.

DOm. Caramuel Authorem, quòd Principium illud vocaverit falsum, arguit. Author negat; Caramuelis inconstantiam aperit; & præmissâ entis moralis explicatione, Patrisque Petri de Hybernia exaggeratione eventilatâ, principium illud falsum esse probat, ex ipsiusmet Caramuelis ac aliorum fundamentis.

DVBIVM II.

An tota Moralis Theologia & Sacramentalis specialiter suadeat,

Oportere de Moralibus moraliter philosophari, sicut de realibus realiter.

Summarium.

DOm. Caramuel id asserit: sed Author quatuor sequelas valdè absurdas ei opponit; in quibus multa haud parùm curiosa, & suo examine digna miscentur; vt, de mutatione Opinionis probabilis; de tempore, quò leges obligant, attentis diversis horologijs, quæ eamdem horam successivè sonent; de Doctis, an eis sit argumentandum à pari &c.

DVBIVM III.

An in Realibus, seu objectivè, dentur species inadæquatæ; & si dentur, an etiam in Moralibus, seu moraliter dentur.

Summarium.

DOm. Caramuel in Realibus dari species inadæquatas, ex varijs Authoribus supponit. Author illarum naturam explicat; Caramuelis suppositum negat; eô tamen gratis concessô, species inadæquatas ad Moralia malè extendi probat; & hinc Caramuelis, Claudij Liberi ac P. Petri de Hybernia fundamentum evertit.

Dubium IV.

An datis speciebus inadaequatis in Moralibus, vi Concilij Tridentini, docentis peccatorum species in confessione explicandas, etiam inadaequatas explicare oporteat, an solas completas?

Summarium.

DOm. Caramuel ratiocinijs duobus probare conatur, Tridentinum non egisse de speciebus inadæquatis: sed Author, argumentó subtili ex P. Vasquez solutó, oppositum resolvit.

Dubium V.

Unde actus morales sumant suam moralitatem.

Summarium.

DOm. Caramuel, authoritatibus Scotistarum non temnendis, stabilire conatur, quòd actuum moralitas, ita à lege dei æterna positiva sumatur, vt ante illam, aut illâ non positâ, nullum foret veniale aut mortale peccatum. Author pro & contra rationes fortissimas confert, & mediam viam, Scotistas inter & Thomistas, eligendam arbitratur.

Appendix I.

Circa extra-matrimonialem seminis decisionem.

Summarium.

MIratur Author D. Caramuelis in hac materia nimis abjectam de Doctore Angelico, ejusque celeberrima Schola sententiam; & Caramuelis rationes, etiam in D. Thomæ principijs enerves esse demonstrat.

Appendix II.

Circa pollutionem, an sit peccatum mortale.

Summarium.

DOm. Caramuel hic iterum in D. Thomæ receptam authoritatem graviter impingit; sed ab Authore, ratiunculis ejus rejectis, D. Thomas propugnatur.

Resolutio

Authoris ad Dubium 5.

Summarium.

AVthor resolvit, & efficaciter probat, actus nostros radicaliter & vltimatè suam à lege Dei sumere moralitatem; à naturali, si indispensabiles, à positiva, si ratio no-

tio nostra naturalis dictet esse dispensabiles: deinde varia subtiliter opponit ex P. Arriaga & alijs, præsertim quoad peccata sub ignorantia Dei invincibili commissa.

DVBIVM VI.

Vnde actus morales sumant suam speciem.

Summarium.

DOm. Caramuel multa discutit in favorem sententiæ negantis, peccata contra naturam specie distingui. Author Caramuelem imposturæ insimulat, & sententiam asserentem suadet; sed ob varias priùs examinandas Appendices, Dubij principalis Resolutionem differt.

APPENDIX I.

De peccatorum contra naturam specie intrinseca.

Summarium.

DOm. Caramuel, præmissâ specie distinctorum divisione, peccata contra naturam specie intrinsecâ non distingui affirmat. Contra insurgit Author.

APPENDIX II.

De peccatorum contra naturam intra eamdem speciem distinctione.

Summarium.

DOm. Caramuel asserit peccata contra naturam magnitudine solùm & gravitate intra eamdem speciem distingui. Ab Authore refellitur, & falsi suppositi arguitur.

APPENDIX III.

De pollutionum varijs modis.

Summarium.

DOm. Caramuel concludit 1. Pollutionem procuratam tactibus viri non videri differre specie à procurata tactibus fœminæ; deinde quærit, vtra gravior? 2. Sodomiam cum viro aut cum fœmina non videri differre specie; & deinde iterum quærit, vtra gravior? Author vtramque Conclusionem illam refellendo satis probat duas illas Quæstiones esse vanas.

APPENDIX IV.

De sodomiæ & bestialitatis varijs modis.

Summarium.

DOm. Caramuel quatuor desuper positis Conclusionibus subdit, D. Thomam docuisse peccata contra naturam esse ejusdem speciei infimæ. Author, licèt pesti-

pestiferas illas sordes execretur, ob doctrinæ seriem & Confessarijs necessitatem; præmonitô post Gersonem in Tract. *de pollutione diurna* Lectore. *Præparet se Lector audire caste, quod, castitatis cognitione, necessitas cogit aperire.* Conclusiones Caramuelis, ab impertinentia, absurdo gravissimo & solida ratione refellit; sed ad D. Thomæ Doctrinam remissivè respondet.

RESOLVTIO

Authoris ad Dubium 6.

Summarium.

AVthor resolvit & probat actus nostros originaliter & vltimatè suæ moralitatis speciem sumere à sua hujus, aut illius speciei, cum lege Dei consonantia vel dissonantia; & notabilis objectionis solutione Resolutionem suam corroborat.

DVBIVM VII.

Vnde vna actuum consonantia, aut dissonantia, cum lege Dei æterna, ab alia specie diversificetur.

Summarium.

DOm. Caramuel de multis specie distinctis, & alijs specie non distinctis, multa discurrit sed frustra, donec principium, quod in quæstione est, statuerit; quod, vt ab Authore statuatur firmiùs, tres Resolutiones fundamétales circa specificationem relationum & actuum nostrorum, à principio & terminis, objecto, fine & præceptis (vbi *resol.* 3. varia de præceptis valdè vtilia & curiosa tanguntur) præmittit Resolutioni suæ principali, quâ docet, vnam actuum &c. specie diversificari à communi Prudentum sensu & apprehensione. Et tandem objectionem suô examine dignam solvit, ac D. Thomam sibi conciliat.

DVBIVM VIII.

Quid in dubio, an vna, ab alia dissonantia, specie distinguatur, resolvendum?

Summarium.

DOm. Caramuel hîc valdè subtiliter à ratione & Tridentino probat & confirmat, eum, qui dubitat de peccati commissionis quantitate, aut absolutione, non teneri confiteri. Author, vt pateat à qua parte in dubio stet possessio, duplicis generis dubia distinguit. Deinde, discrimine datô inter Tribunal Sacramentale & forense, Rationibus Caramuelis satisfacit; Tridentinum contra eumdem sibi conciliat; varios casus circa dubium *An sim confessus, an votô satisfecerim* &c. solvit, & his Dubij principalis Resolutionem subdit.

Dub. 9.

DVBIVM IX.

An aliquà distingui possint specie logicâ, quæ morali & physicâ non distinguantur.

Summarium.

DOm. Caramuel hujus Dubij occasionem sumpsit ex quibusdam insignioris notæ Philosophis, qui inter speciem & individuum differentiam majorem numericâ & minorem specificâ agnoscunt. Author, expositâ Caramuelis mente, mediam illam differentiam è medio tollit.

DVBIVM X.

An pœnitens vi Concilij Tridentini teneatur peccatorum speciem, non solùm moralem & physicam; sed etiam logicam, si detur, in confessione aperire.

Summarium.

AVthor ad Quæstionem illam, elusione Eximiorum DD. Passerini & Claudij Liberi manifestatâ, ob varias rationes, affirmativè respondet.

DVBIVM XI.

Vnde numerica peccatorum, sive mortalium, sive venialium, distinctio sumatur.

Summarium.

DOm. Caramuel circa monstrosa peccata, varios casus, anteà nondum examinatos, curiosè proponit. Author multa premittit ad perfectam completionis, continuationis, interruptionis & multiplicationis peccati intelligentiã: deinde prætactis Emin. Lugonis, P. Tamburini &c. adversis fundamentis, circa dubium principale quinque Resolutionibus, omni Confessario valdè necessarijs, mentem suam aperit.

DVBIVM XII.

Quomodò in confessione aperire oporteat peccata, objectivè quidem indivisibilia, sed specie vel numerô, diversis peccatis æquivalentia.

Summarium.

DOm. Caramuel octo casus curiosos, etiam monstrosos, istis alijs subtilissimè componit. Author autem Resolutiones sex similes reponit; quarum quintâ modum ostendit, quô non repugnet eumdem actum esse monstrosè supernaturaliter meritorium & peccaminosum; sextâ denique multa movet, quæ peccata sub Dei ignorantia invincibili, aut Deo per impossibile non existente, commissa concernunt.

ő Dub. 13.

DVBIVM XIII.

An dentur circumstantiæ, quæ nec speciem, nec numerum mutant.

Summarium.

DOm. Caramuel supponit tamquàm certum, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum vel speciem. Author, vt perfectè intelligatur, *quid circumstantia, quid substantia objecti actus*; nonnulla præmittit, quibus quatuor Resolutiones notabiles addit.

DVBIVM XIV.

An actus incompletus seu inceptus tantùm, & completus seu perfectus, differant circumstantiâ & modô dumtaxat.

Summarium.

DOm. Caramuel multùm favet confessionibus in confuso, vt, si post furtum mille aureorum dicatur, *rem notabilem furatus sum*. Post totius officij Canonici omissionem, *partem notabilem omisi*. Post fornicationem completam, *cum fæmina peccavi mortaliter* aut *fornicationem incepi* &c. Author quoddam D. Caramuelis principium de falsitate & ad intentum vanitate reprehendit; ipsumque Caramuelem ab absurdis, contradictione, inconsequentijs, & ratione confutat, veramque doctrinam quatuor Resolutionibus constituit.

DVBIVM XV.

An dari poßit circumstantia notabiliter aggravans, quæ tamen peccati speciem non mutet.

Summarium.

DOm. Caramuel docet occidere Regem & vnum patrem familias: furari quatuor imperiales & mille, sive furari decem aureos & mille, non posse specie distingui. Author circa vocem *species* æquivocationem tollit: diversas peccati acceptiones anteà non satis distinctas exponit, & hinc circumstantiæ notabiliter aggravantis naturam, anteà dissimulatam potiùs, quàm examinatam, quatuor resolutionibus manifestam facit.

Dub. 16.

DVBIVM XVI.

An certum sit, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum, vel speciem; Et an id sit definita veritas in Tridentino Seff. 14. cap. 5.

Summarium.

DOm. Caramuel id esse à Tridentino locô citatô definitam veritatem existimat, mollitiemque, sodomiam & bestialitatem esse peccata ejusdem speciei docet, nec aliquem debere peccata ista vt talia confiteri, sed satisfacere, si dicat, *procuravi pollutionem*; sententiam autem, quæ jubet circumstantias notabiliter aggravantes in confessione explicari, nimis esse duram & difficilem definit, ne dicat videri impossibilem, & Synodo Tridentinæ contrariam. Author solidis rationibus & Tridentini authoritate oppositum probat; varia Confessarijs & pænitentibus scitu necessaria miscet, & totam illam difficultatem ad amussim discutit.

QVÆSTIVNCVLA

An ex multis venialibus possit fieri vnum mortale.

AVthor de proprio Quæstiunculam hanc ad majorem circumstantiarum confitendarum intelligentiam addit; ad eamque, Augustini Authoritate & validâ ratione fretus, affirmativè respondet.

DVBIVM XVII.

An ex eo, quòd eôdem tempore, & eâdem actione, duobus præceptis satisfieri possit; consequenter vnâ confessione, & communione Annuâ, duorum annorum; vnicâ confessione Menstruâ, duorùm mensium; vnicâ horarum Canonicarum lectione, duorum dierum, obligationi satisfieri possit.

Summarium.

DOm. Caramuel hìc multa doctè & subtiliter de satisfactione pluribus istorum præceptis simul, exagitat. Author duobus præsuppositis, duas resolutiones fundamentales nectit: deinde opposita Caramuelis fundamenta subvertit, & demùm, loquendi modum, quô alibi se corrigit, vt minùs efficacem improbat.

DVBIVM XVIII.

An in casu particulari, cessante adæquatô fine legis, etiam in eodem casu particulari, ejusdem legis obligatio cesset.

Summarium.

DOn. Caramuel audacter pronuntiat, quòd, cessante fine adæquató legis naturalis (quó nomine Decalogum intelligit) in casu aliquo particulari, certum sit etiam cessare ejusdem legis obligationem, in eodem casu particulari; & addit, se pro opposita opinione nihil vnquàm audivisse, quod solutione egeret; hincque ad quæstiones valdè curiosas pergit, vt 1. An quis legere possit libros hæreticos, si certò sciat nullum eos nocumentum esse illaturos. 2. An sit mortale comedere carnes die Veneris, si certò sciat &c. Author Caramuelis & P. Arriagæ rationes fundamentales concutit, in nullo casu particulari cessare finem adæquatum legis efficaciter probat, & Caramuelem pœnitentem sibi erranti non satisfacere ostendit.

DVBIVM XIX.

An vir Sanctus & Pius honorem & famam facilè perdere possit.

Summarium.

DOm. Caramuel ostendit, virum Sanctum & Pium non facilè posse honorem & famam perdere; & negantem, noctuam cæcutientem dicit: sed Author quàm cæcutiat ipse, evidens facit.

DVBIVM XX.

An liceat injustum aggressorem famæ & honoris occidere, & fugientem ad occidendum, aut saltem percutiendum, insequi.

Summarium.

DOm. Caramuel docet in casu, quem adfert, licere privatâ authoritate injustum invasorem honoris & famæ occidere, & fugientem insequi ad recuperandum honorem, propter acceptam alapam vel fustem; illumque vulnerare & repercutere. Author opponit necessarias sequelas, quas nec ipse, nec alius admittet, & duabus Resolutionibus oppositum nervosè probat.

Dub. 21.

DVBIVM XXI.

An detur casus, in quo aliquis licitè se occidere possit.

Summarium.

DOm. Caramuel principia producit, quibus probet esse in Republica authoritatem Reo præcipiendi, vt seipsum occidat: sed ea sic falsa ab Authore declarantur, vt suicidium directum sit omni casu authoritate privatâ illicitum; publicâ interdùm ob alia principia licitum. Deinde D. Caramuel notabile dubium movet, An liceat Antoniæ Petrum injustum pudicitiæ suæ invasorem, vel seipsam gravissimis tentationibus invasam, occidere, si alioqui moraliter non sit evasura innocens. Author vtrumque negativè resolvit.

DVBIVM XXII.

An consentientem filium Pater castrare possit, vt voce & cantu Ecclesiæ serviat, aut etiam vt careat tentationibus carnis, si se imparem resistendo cognoscat.

Summarium.

DOm. Caramuel duo ex fundamentis à se præmissis colligit. 1. Pueros posse ad conservandam vocis suavitatem castrari. 2. Qui aliter nescit carnis tentationes superare, posse seipsum castrare, vt vel sic reddat suam salutem securam. Collectanea ista ab Authore enervantur, oppositumque duabus Resolutionibus stabilitur.

DVBIVM XXIII.

An, qui dedit pecuniam mutuam pro duobus annis v. g., possit aliquid præter sortem recipere, præcisè ratione obligationis non repetendi ante duos annos.

Summarium.

DOm. Caramuel excusat ab vsura pretium acceptum pro obligatione non repetendi mutuum ad longum tempus. Author docet sententiam illam, esse, æquè ac vsuram, speculativè & practicè improbabilem.

DVBIVM XXIV.

Quinam Regulares, & ad quod officium Canonicum, obligentur?

Summarium.

DOm. Caramuel in multis laxè nimìs loquitur de horarum Canonicarum obligatione; quoad Iuniores Clericos professos & Moniales non laicas professas; quoad auditionem sui vel socij simul recitantis; quoad mutationem Officij ferialis in festivum, vnius Breviarij in aliud &c; quoad Musicorum & Religiosorum ob cantum à iejunio excusationem. Author totam illam doctrinam quinque Resolutionibus constringit.

DVBIVM XXV.

An ratione naturali demonstrari possit, Deum esse vnicum.

Summarium.

DOm. Caramuel non sine multorum Theologorum admiratione, & Gentilium Idololatrarum applausu, audet docere Deorum pluralitatem posse, stando puris principijs naturalibus, defendi & propugnari. Ab Authore increpatur, & polytheismus duabus Resolutionibus procul abijcitur.



LOCA

LOCA TEXTVS

D. CARAMVELIS.

Ex Quæstione ejusdem curiosa supra in Præambulo posita.
Ex Epistola 1. & 2. *ejusdem ad Authorem.* ibidem.
Ex 1. *Parte Theologiæ fundamentalis Moralis.*
Ex 2. *Parte Theologiæ fundamentalis Moralis.*
Ex Theologia Morali ad prima principia reducta.

ERRATA.

AMICE LECTOR, ne vsquam cespites, menda sic emenda.
Num. 12. *lin.* 3. *Moralis* lege *moralibus.*
Num. 123. *lin.* 2. been. *lege*, bene.
Num. 308. *lin.* 2. Converte ly primum *in* secundum.
Num. 502. *lin.* 11. dele parenthesim malè adjectam.

RESOLV-

FACVLTAS

REVERENDISSIMI P. GENERALIS.

FR. MARIVS VENTVRINVS *Theologiæ Magister ac humilis Prior Generalis Ordinis* B. V, MARIÆ de Monte Carmelo.

Authoritate nostrâ, harum serie facultatem facimus R. Patri Francisco Bonæ Spei *Provinciæ nostræ Belgicæ Professo Sacerdoti, Diffinitori ac S. Theologiæ Lectori, typis mandandi Opus quoddam Theologiæ Moralis Responsum continens ad Quæstionem* &c. *præcipuaq; puncta Theologiæ Propositivæ Reverendissimi* D. Caramuelis. *Si cæteris, ad quos spectat, ita videbitur. In cujus rei fidem datum Romæ die* 19. *Februarij* 1655.

F. MARIVS VENTVRINVS Generalis Carmelitarum.

F. GABRIEL à S. JOSEPHO Provincialis Daciæ & Secretarius.

FACVLTAS

R. Adm. P. PROVINCIALIS.

E*Go infra-scriptus Provincialis Ordinis Fratrum Carmelitarum Reformatorum per Belgium, potestatem facio imprimendi Opus, cui titulus* NOCTUA Belgica ad Aquilam Germanicam *à R. P. Francisco Bonæ Spei, Provinciæ nostræ Diffinitore & Lovanij S. Theologiæ Professore compositum, à Censore Apostolico & deputatis S. Ordinis nostri Theologis examinatum & approbatum. In cujus fidem has manu mea subscriptas, sigilloque officij munitas dedi Bruxellis* 17. *Aprilis* 1655.

F. DANIEL à VIRGINE MARIA Provincialis.

F. SERAPHINVS à IESV MARIA Assistens R. Adm. P. Provincialis.

APPROBATIONES

THEOLOGORVM ORDINIS CARMELITARVM.

Nos infra-scripti Ordinis Carmelitarum Reformatorum Theologi, virtute Commissionis nobis à Superioribus factæ, cum magna animi delectatione legimus NOCTUAM *R. Patris Francisci Bonæ Spei, Provinciæ nostræ Belgicæ Diffinitoris, & S. Theologiæ in alma Vniversitate Lovaniensi Professoris; quæ reverà, lucem cum plurimis afferat,* NOCTVA *non est, sed* Aquila *altissimè per ardua subtilium Quæstionum nubila volitans, perfringensque obscuras difficultatum moralium nebulas, sibi à Reverendissimo D. Caramuele propositas, & ad varias ejusdem solicitationes cum remotione scandali & magno fori spiritualis bono resolutas: quapropter* NOCTVAM *istam* Aquilis *meritò aggregandam & luce dignam judicavimus. Datum Mechliniæ* 30. *Ianuarij ipso S. Andreæ Corsini, Anni* 1655.

F. MICHAEL à S. AVGVSTINO Prior Carmelitarum Mechliniæ, Diffinitor, nunc autem Provincialis per Belgium.

F. ANGELVS à VISITATIONE Prior Carmelitarum Bonæ Spei, Ex-Provincialis, nunc autem Assistens R. Adm. Provincialis.

APPROBATIO

CENSORIS APOSTOLICI.

Hæc NOCTUA *R[di]. Admodum P. Francisci Bonæ Spei Carmelitæ Reformati, suæ Provinciæ Belgicæ Diffinitoris ac Lovanij S. Theologiæ Professoris eruditissimi,* AD AQVILAM, *quia nihil* NOCTVALE *habet vel tenebrosum, sive contra lumen fidei, sive contra morum honestatem; sed potiùs variorum dubiorum sibi propositorum clarâ, solidâque resolutione multam lucem spargit, etiam vsque ad ipsa Moralis Theologiæ fundamenta, & diem ibi facit;*

facit; diem videat, lucemque publicam ad publicum bonum aspiciat; Aquilinis *enim oculis prædita est hæc* NOCTUA. *Datum Lovanij hac* 21. *Martij Anno salutis.* M. DC. LV.

ANTONIVS DAVE S. Theologiæ Doctor & Professor Regius, nec-non Apostolicus Librorum Visitator & Censor.

APPROBATIONES

THEOLOGORVM LOVANIENSIUM.

APPROBATIO PP. CARMELITARVM.

SPES non confundit: *habent Athenæ Grudiæ* NOCTUAM, *quia Palladem; cui eò lux est clarior, quò nox densior. In luce videre, commune est omnibus; in nocte, proprium* NOCTUÆ: *illudque huic speciale, quòd etiam* de tenebris lucem faciat splendescere. *Da* Aquilam: *cæcutiens nocte est, caligat in tenebris:* Noctivida *(sic eam nuncupat Martianus Capella) est hæc* NOCTVA, *in ipsis tenebris* Aquila. *Quia lucem facit, luce digna est. Quid? instar* Aquilę *Solem irretorto aspiciet obtutu,* Aquilinum *induet genium, vt genuinam probet aciem, non deflectentem. Hoc* SPEM *facit, vt, quod olim Graijs Athenis, dum fortunatum rei omen indicare volebant, viguit proverbium.* NOCTVA VOLAVIT; *id meritò nunc probent Grudiæ, ac ament Elianæ. Accipimus plenum* BONÆ SPEI *omen, & faustum* Bonę Rei *eventum concipimus, dicentes* NOCTVA VOLAVIT. *Ita vovimus Lovanij in Conventu Carmelitarum Reformatorum ad S. Catharinæ die* 10. *Martij* 1657.

F. LAVRENTIVS à S. MARIA S. Theologiæ Professor, nunc Carmeli Lovaniensis Prior.

F. BENEDICTVS à MATRE DEI S. Theologiæ Lovanij Professor.

APPRO-

APPROBATIO.

PATRVM SOCIETATIS IESV.

AQuila *Iovis ales, Deorum regis imperia defert, vt est in fabulis. Perspicacia oculorum, vim ingenij signat, quam in eo inesse oportet, qui Dei praecepta exponat mortalibus. Reverendissimus, atque eximius vir Ioannes Caramuel Lobkowits, quid praecipiat Deus, quô modô praecipiat, an praecipiat, quaerit. Exsuscitat* Aquilinorum *ingeniorum aciem interrogatio multiplex, inquisitio solers, investigatio solicita.*

Ecce Aquilam *, quae animos caeteris faciat ad volandum in sublime, ad scrutanda mysteria: fulmine armata est, vt igne decoquat sordes, quae haerent in moribus; vt illustret, quod offusa dubitationis nebula oculos offendit, non recreat.* NOCTUAM *appellas: certè Palladis volucrem, assuetam in tenebris intueri abdita, latentia in apertum prodere. Athenis domicilium posuit: nonne Athenae Grudiae Lovanium sunt? Ergo* NOCTUA, *sed in tenebris* Aquila. *Fruere ingenio tuo, & istis* Aquilinis *oculis tuis perge pandere arcana, vt hoc opere tuo pandis. In recessus intra, & omni mores fuligine purga. Animos Tui similibus fac, vt responsionibus eruditis interrogantis acumen exaequent; impleant* SPEM.

Ita vovemus Lovanij in Collegio Societatis IESV 1657. die 7. Martij.

ÆGIDIVS THYBAVLT Societatis IESV S. Theologiae Lovanij Professor.

GUILIELMVS BECANVS Societatis IESV S. Scripturae Lovanij Professor.

IACOBVS VAN CALLOEN Societatis IESV S. Theologiae Lovanij Professor.

APPRO-

APPROBATIO

PATRVM ORDINIS S. FRANCISCI.

QVamvis novæ lucubrationes tuæ, Reverende Pater, commendatore non egeant, quas Authoris perspecta, ac in jam pridem editis luculenter expressa eruditio cum subtilitate decertans, sufficienter commendat: tantò tamen potiori jure tua NOCTUA BELGICA *oculis* Aquilæ Germanicæ *noviter exponenda commendari meretur. Quâ penitiùs inspectâ, titulum operi ad amussim respondere deprehendimus.* NOCTUA *enim est, non quales Athenis ob copiam vilescunt, sed qualis Palladi sacra fertur, in symbolum, quòd videat illa etiam quæ alijs obscura & nox sunt. Vnde non est, cur hanc tuam* NOCTUAM *Athenas pertari timeas; nam tales Sacræ Athenæ pro delicijs habent. In nocte siquidem subtilium & abditarum difficultatum hic discussarum & ad mores salubriter stringendos resolutarum ne multi cæcutiant, Tu sic oculatus es, vt alijs videre cupientibus instar* Nocti-lucæ *etiam præluceas ac facem præferas absque offendiculo in fide aut moribus. Sic censuimus Lovanij in Conventu FF. Minorum Reg. Obser.* 13. *Martij anno* 1657.

F. IOANNES BOSCO S. Theol. Lector Iubilatus.

F. GUILIELMVS HERINCX S. Theol. Lector.

F. ADRIANVS Vanden PERRE S. Theol. Lector.

APPROBATIO

PATRVM HIBERN. EIVSDEM ORDINIS.

NOCTUAM *Admodum R^di. Patris Francisci Bonæ Spei Sacri Ordinis Carmelitarum Reformatorum in Belgio Diffinitoris, & in hac Lovaniensi Vniversitate S. Theologiæ Professoris magnâ voluptate perspeximus, & multâ dignam laude censemus, ob scintillantem in ea singularem Authoris modestiam, eruditionem, subtilitatem, atque inhærentes Sanctorum Doctrinæ, ac saluberrimæ praxi varias resolutiones. Quarè bonis avibus,* BONAQVE SPE *refrangendis*

frænandi nimiam multorum in laxandis conscientijs facilitatem, in lucem publicam prodibit, suam dabit. Datum Lovanij in Collegio Sancti Antonij de Paduâ Fratrum Minor. Hibern. hac 2. Aprilis 1657.

F. THOMAS SIRINVS S. Theol. Lector.
F. ANTONIVS CONMÆVS S. Theol. Lector.

APPROBATIO
PP. ORDINIS PRÆDICATORVM.

NOCTUAM BELGICAM *Authore R. Adm. Patre Francisco Bonæ Spei Carmelita Reformato Belgicæ Provinciæ Diffinitore, in alma Vniversitate Lovaniensi S. Theologiæ Regente meritissimo vidi, & non sine magna animi voluptate perlegi, vel hinc noscens, cur Palladi sacram & Athenis olim cultam veteres voluerint* NOCTUAM: *nempe sapientiæ illa Dea est, hæ doctrinarum omnium habitæ domicilium. Miratus sæpè sum Viri ingenium, eruditionem & copiam, in hoc opere magis miror; vbi Quæstiones novas & curiosas tanta facilitate & felicitate pertractat, vt, quamvis inscriptio libri ostendat pauca, magna tamen intùs pandat omnia, & sublimia. A nomine abit hæc* NOCTVA, *& quia* noctis *nihil habet, per antiphrasim tantùm talis, verè multis erit* lucigena. *Nihil sanè (quantùm invenire potui) sacro-sanctæ fidei aut bonis moribus continet adversum; quin potiùs in enodandis* Nodis Gordijs, *novis & inauditis hactenus difficultatibus summam perspicuitatem, & cum mirabili resolutione non minorem dexteritatem cuilibet facilè erit invenire. Ideò dignissimum opus, quod lucem videat, ac rebus obscuris lucem adferat, aliorumque ingenia ad similia provocet, non censurâ, sed laude ac prælô dignum judico. Datum Lovanij in Collegio Fratrum Hibernorum Ordinis Prædicatorum die* 13. *Martij Anno* 1657.

F. GVILIELMVS DE BVRGO Ordinis Prædicatorum ejusdem Collegij S. Theologiæ Professor & Regens Primarius.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ totius Hispaniæ, vtriusque Siciliæ, Indiarum, &c Rex Catholicus, Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit. Ne quis præter P. Francisci Bonæ Spei &c. voluntatem librum, cui nomen, Noctua Belgica R. P. FRANCISCI BONÆ SPEI, *Carmelitæ Reformati, Provinciæ Belgicæ Definitoris, & Sanctæ Theologiæ Lectoris*, ad Aquilam Germanicam R^mi^. D. CARAMVELIS, *In quâ præcipua Theologiæ eiusdem Fundamentalis Moralis Puncta Fundamentaliter discutiuntur & solvuntur &c.* intra novem annos in Belgio imprimat, aut alibi locorum impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve exponat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & alia gravi pœnâ mulctabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ Anno 1657. die 17. Aprilis.

Signat.

RVBENS.

RESOLVTIONES AVTHORIS.

DVBIVM PRIMVM.

An sit principium per se notum, aut saltem per se demonstratum,

Oportet, sicut de Physicis physicè, ita etiam de Moralibus moraliter philosophari.

D. CARAMVEL

In 2. sua Epist. ad Authorem.



Agnam ingenij aciem ostendis, dum nodos addis; orabam quidem, vt nonnullas Controuersias dissolueres, & superaddis nouas; vt difficultas secunda sit intricatior priori. Sed quia per euersionem fundamentorum dedisse solutionem te putas; adhuc reponam paucas lineas; nō enim ego patiar vocari falsam, aut etiam probabilem, hanc Assertionem, Oportet, sicut de physicis physicè, ita etiam de moralibus moraliter philosophari. *Volo enim, vt habeatur tamquam principium notum per se: omnes enim moralitates sunt realitatum vmbræ aut imagines, & eisdem terminis aut similibus configurantur.* ita ille. 1

AVTHOR.

IMprimis notare lubet. D. Caramuelem, nescio quô pactô, suam Assertionem mutasse; nam, vti in eius Quæstione videre est, ista non est, quam mihi proposuit; sed hæc, *Oportet de Moralibus moraliter philosophari, sicut de Realibus realiter.* De qua solum dixi, *videri, saluô meliori iudiciô, falsum supponere*; non verò eam vocaui *falsam*, licet talis sit. Hæc autem ab ista exprimendi modô & substantiâ differt; nam ly *sicut* in hac Assertione, in rigore *rem* & *modū* vtriusque extremi appellat, vt sit sensus, *Oportet de Moralibus sicut de Realibus*, & *Moraliter sicut Realiter phiosophari*. In mutata autem Assertione, n. 1. statim citata, ly *sicut* neutrum appellat, sed ly *oportet*, 2

vt ſit ſenſus, *Sicut oportet de Phyſicis phyſicè*, id eſt iuxta horum naturam, modò illis congruò &c. *ita etiam oportet de Moralibus moraliter*, id eſt iuxta horum naturàm, modò illis congruò &c. *philoſophari*. Hæc verò iuxta hunc ſenſum eſt vera; illa iuxta iſtum falſa, vt contendimus.

Dices D. Caramuelem hunc vltimum ſenſum intendiſſe.

Sed contra: vel ex ſua Aſſertione infert paritatem & analogiã
3 inter *Moralia* & *Realia* ſeruandam, quam ex hac Aſſertione proportionaliter ſimili, *Oportet de Moralibus moraliter, ſicut de Chimæris chimæricè Philoſophari*, eodem planè ſenſu intellectâ, negat legitimè à nobis inter Moralia & Chimæras inferendam, vel non? Quidquid dixerit, contra ipſum eſt: nam ſi neget; illam, quam in *Repoſita Quæſtione. n.* 6. dixi *videri, ſaluô meliori iudicio, falſum ſupponere*, infra probo falſam: ſi affirmet; quid obſecro D. Caramuel *Moralia* inter & *Realia* paritatis & analogiæ ex ſuâ Aſſertione prætendit, quod ex iſta *Moralia* inter & *Chimæras* meritò non prætendam? Nihil video. Quia tamen ex vna parte, quidquid analogię & paritatis *Moralibus* & *Chimæris* intereſt vt talibus, id æquivocum eſt & chimæricum; & ex altera, oppoſitio Moralitatis ab ente rationis, quam pro ratione fundamentali ſuę Aſſertionis in ſua *Quæſtione* n. 1. adfert, hiſcè verbis, *in hoc enim differt ab ente rationis moralitas, quod hæc habeat fundamentum in re, quô illud caret*, inſinuat ipſum aliam *Moralia* inter & *Realia*, quam æquivocam & chimæricam intendere analogiam & paritatem; ne alioqui (præterquam illa ipſius ratio impertinens eſſet) profiteri debeat conſequẽter *Moralitates* eſſe *Chimærarum* vmbras, aut imagines, & eiſdẽ terminis, aut ſimilibus, configurari, Moralia eſſe ſimillima Chimęris &c, prout in 2. ſua *Epiſt.* fatetur, *Moralitates eſſe Realitatum vmbras, aut imagines, & eiſdem terminis, aut ſimilibus configurari.* & in ſuâ *Quæſtione ſup. Moralia ſimilia Realibus eſſe.* quod cauebit, ne, quod iubet, morales eius libri comburantur, *Moralitates*, inquiens in eadem Epiſtola, *Realitates verè exiſtentes non ſunt? Nihil ne? ſi nihil, omnes libri Morales comburantur.* Quia, inquam, vt iſta inſinuant, ex ſua Aſſertione cõcludit, *Moralia* inter & *Realia* ſeu *Phyſica* paritatem & analogiam eſſe ſeruandam; quam ex alia à nobis allata nolit concludi ſeruandã; Aſſertionem eius dixi *videri, ſaluô meliori iudiciô, falſum ſupponere*. Quod vt probetur, ſit,

Reſolutio

RESOLVTIO AVTHORIS.

Dico, Aſſertio D. Caramuelis, vt num. 3. ab eo ſumpta, non *eſt principium per ſe notum, aut per ſe demonſtratum*; nec tantùm *falſa videtur*, ſed ſimpliciter eſt falſa. Prçterquam enim ad id probandum ſufficiat vel ſola ratio, ante in *Repoſita Quæſtione*. n. 3. & 4. allata; nam, qui generaliter, & indefinitè loquitur & errat in vno, factus eſt omnium reus. Aliter, 4

Probatur 1. Everſione primç rationis fundamentalis (alia enim obijcietur, & ſolvetur infrà commodiùs) quam ſuæ *Quæſtionis*. n. 1. pro ſua Aſſertione adfert, hiſcè verbis, *in hoc enim differt ab ente rationis Moralitas; quod hæc habeat fundamentum in re, quo illud caret.* Sed ſequentibus explicatiùs, dum ait, *Moralitates, Realitates verè exiſtentes nō ſunt: quid ergo ſunt? Nihil ne? ſi nihil, omnes libri morales comburantur. Sunt aliquid ergò. Conceptum igitur, ſiquidem aliquid realiter exiſtens extra mentem non ſunt. Conceptum? ergò cum fundamento in re: vel ſine fundamento. Hoc vltimum dici non poteſt; quoniam Chimæra & entia rationis ſunt ideæ cōceptæ ſine fundamento, & diſtinguuntur à moralitatibus in omniū Ethicorum ſententia.* 5

Vel D. Caramuel per *fundamentum in re* intelligit fundamētum in ente reali & phyſico; aut in ente intentionali & metaphyſico dumtaxat? Non primū; quia illud non aliter eſt moralitatis fundamentum, quàm prout præcipi aut prohiberi, præceptū aut prohibitū fugi vel amari, intentionaliter poteſt: at poſſunt actus chimçras & entia rationis fingentes præcipi non fieri, ſeu prohiberi fieri, vt, *verus Deus eſt idolum, D. Virgo eſt meretrix* &c. Et præcepta fieri aut prohibita, fugi à Catholicis, amari ab infidelibus & hæreticis, ergo &c. 6

Neque etiam ſecundū; quia chimçras & entia rationis, cùm cōcipi poſſint, habere fundamentum in ente intentionali, conceptu v.g. (propter quod in Logica *Tract*. 1. *Diſp*. 2. *Dub*. 4. diſtinctionem rationis-ratiocinantis æquè habere diximus fundamentum in rç, ac diſtinctio rationis-ratiocinatç habeat) omnes fatentur; ergò iſta ratio fundamentalis corruit.

Si verò quærat, quid igitur Moralitas?

Reſpondeo breuiter, Moralitatem eſſe duplicem; Radicalem vnam, 7

vnam, Actualem alteram: illa est actus, vt bene, vel malè fiat, dirigibilitas iuxtà legem aut consilium: Actualis verò, eiusdem iuxta legem aut consilium directio; vnde per illam dirigibilitatem & directionem Moralia à Chimæris & entibus rationis distinguimus; non per hoc, quod *moralitas habeat fundamentum in re, quo entia rationis carent*; licet entia Moralia habeant esse possibile, & actu nō fictum; Chimeræ è contra, esse impossibile & actu fictū dumtaxat.

8 Probatur 2. Demus *Moralitatem* habere fundamentum *in re*, quo entia rationis carēt; numquid è contra *Realitas* habet fundamentum in inanimatorum & animatorum irrationalium actibus, quo Moralitas caret? ac per consequens, si per. D. Caramuelem falsum esse debet *Oportere de Moralibus moraliter, sicut de Chimæris chimaricè philosophari*; quia Moralitas habet fundamentum in re, quo ens rationis caret; per eumdem consequenter falsum esse debet, *Oportere de Moralibus moraliter philosophari, sicutde Realibus realiter*; quia Realitas habet fundamentum in actibus istis, quo ens morale caret; ergo &c.

9 Dicet fortè Moralitatem habere fundamentum in actibus intellectus & voluntatis, ac eorum obiectis, hôc sensu, quod sint possibilia, & actu citra omne figmentum existentia, prout cætera entia realia. Sed infero, ergò *Oportet de Moralibus moraliter philosophari; sicut de actibus inanimatorum & animatorum irrationalium realiter*; quia entia Moralia sunt, sicut hæc, possibilia & actu citra omne figmentum existentia: si verò dicat, habere fundamentum, hôc sensu, quod præcipi & prohiberi possint, *num*. 5. satisfactum est.

10 Confirmatur 1. non obstante quâcumque analogicâ proportionalitate, *Moralia* & *Realia* manent simpliciter diversa & æquivoca, aut æquivocè dumtaxat sicutata (vt sic loquar) & paria: atqui de simpliciter diversis & æquivocis, aut æquivocè dumtaxat sicutatis & paribus, pariter philosophari, paritatem inter illa servare &c, haberi debet tamquam principium falsum; ergo &c: Probatur maior; quia tota Moralium vt talium ratio, semper manet diversa à tota ratione Realium vt talium, vtpote de quibus, *non esse ante intellectum & voluntatem* ac *esse ante intellectum & voluntatē*, aut similia contradictoria, affirmentur: Probatur etiam minor; quia principium sequens oppositum, *De Disparibus*, qualia sunt æquivoca, *dispariter*: *de paribus*, qualia sunt vnivoca, *pariter, philosophandum*,

phandum, habetur tamquam verum; vti hoc tamquam falſum, *De diſparibus pariter: de paribus diſpariter, philoſophandum*; quod tamen verum eſſe deberet, ſi *Oporteret de Moralibus, ſicut de Realibus*, & *moraliter, ſicut realiter* (quod, attentâ analogiâ paritatis inter rem & modum vtriuſque partis, ſonat D. Caramuelis allatum principium, vt *n.* 1. oſtendimus) *philoſophari*; ergo &c.

Confirmatur 2. dum D. Caramuel ait, *Oportet, ſicut de Phyſicis phyſicè, ita etiam de Moralibus moraliter philoſophari*, vel vult per ly *ſicut* ſignificare reipsà eſſe ſimilitudinem, aut identitatem inter modũ & modum, ſeu inter *moraliter* & *realiter*, vt ſit ſenſus *moraliter* & *realiter* ſunt *ſimilia, eadem* &c: vel ſolùm, pręcisâ omni ſimilitudine & identitate, id quod ſonat copula *&*, vt ſenſus ſit, *Oportet de phyſicis phyſicè, & de Moralibus moraliter philoſophari*. Si primum; ad illud patet ex Confirmatione prima; & cõſequenter paritas ac identitas inter ly *corporaliter* & *ſpiritualiter, corpus* & *ſpiritũ* &c, in hac Aſſertione, *Oportet, ſicut de Corporeis corporaliter, ſic etiam de Spiritualibus ſpiritualiter philoſophari*. (quam in 2. ſua Epiſt. ſupra citata tamquã fundamentalem poſitionem adſtruit) & ſic proportionaliter de alijs, contra fidem concedenda erit: Si ſecundum; cur potius ex illa inter *Moralia* & *Realia* paritatem & analogiam infert, quam, inter *Moralia* & *Chimæras* ex hac, eôdem proportionaliter ſenſu, intellectâ, *Oportet, ſicut de Chimæris chimæricè, ita etiam de Moralibus moraliter philoſophari*. Ideſt, *Oportet de Chimæris chimæricè, & de Moralibus moraliter philoſophari*. Quod verum eſt, prout omnes verum eſſe fatẽtur, *Oportet de Moralibus moraliter*, ideſt modô eis congruô, *& de Chimæris chimæricè*, hoc eſt modô Chimæris congruô, *philoſophari*. Vnde locum non habet P. Petri de Hybernia inde petita exaggeratio ſequens, apud D. Carmuel. 2. *part. Theol. fund. Epiſt.* 5. *Analogiam moraliũ ad naturalia nemo negare poteſt, niſi ad inſaniam redactus*. An fortè ad inſaniam redactus, qui inde negat analogiam inter Moralia & Chimæras? ergo &c. 11

Dices, ens morale definitur eſſe *id, quod non eſt reuerà, quale dicitur; prudentum autem iudiciô ac ſuppoſitione, ita ſe habet, ac ſi, quale dicitur, eſſet: quod clarè videtur in Adoptivo filio, qui eſt filius moralis adoptantis: vocatur enim filius, & realiter loquendo, non eſt filius; prudentum autem iudiciô & ſuppoſitione, quoad ſubordinationem, hæreditatem, propagationem nominis & familiæ* &c. *ita ſe habet, ac ſi verè & realiter eſſet filius*: ergò ſi- 12

cut de filio reali realiter, ita de filio morali (adoptivo) moraliter est philosophandum. Ita D. Caramuel *in Epist.* 2. supra.

13 Confirmabis primo ex eodem ibid. *Si quaeram, An in Sacramentis praeter materiam & formam morales, reperiatur vnio moralis distincta; vel non? Me remittes ad Physicam, vt sicut de Naturalibus naturaliter, sic de Moralibus agam moraliter. Et si inquiram, An contritio, quae supernaturalis amor est, in productione ponderis supernaturalis, An in pondere producto consistat. Iubebis vt ad Animasticam Philosophiam redeam, & sicut de voluntate humana, sic etiam de charitate, quae voluntas supernaturalis quaedam est, discurram; quia sicut de naturalibus naturaliter, sic etiã de supernaturalibus supernaturaliter debemus agere. Et tandem, si inquiram, An Deus habeat intellectum & voluntatem per modum actus primi & secundi, An verò per modum actus purissimi? An liber sit? An personalitates & natura Diuina sint duae formalitates? Iubebis vt recognoscam disputationes de Anima; quia sicut de humanis humanitùs, sic etiam de diuinis diuinitùs, Philosophandum est.* Ita ille verbotenùs.

14 Confirmabis secundò ex eodem, etiam ibidem ad Authorem, duobus sequentibus ratiocinijs: *Tu enim ipse in hac responsione* (seu Repositione supra) *ad Logicam tuam me remittis; & quia in Realitatibus species inadaequatas non admittis, ideò & illas reijcis in Moralitatibus: iubes ergò, vt sicut de speciebus realibus, sic etiam de moralibus philosopher. Et Tu etiam Logicam & Physicam praemittis Tuae Theologiae, quod non faceres, si nullam connexionem haberent. Si connexionem habent; ergo similitudinem. Si similitudinem; stat fundamentalis mea assertio.* Nimirum.

Omnia Physica & Metaphysica: Corporea & Spiritualia: Materiali &c. *sunt analoga.*

15 Respondeo primò, istis quidem verbo satisfieri posse, dicendo *Corporea* & *Incorporea, Realia* & *Moralia* &c. in nonnullis (vndelibet proueniat) conuenire, & in illis oportere proportionem seruare; sed cũ aliunde in multis valde differant, meritò negandùm *Oportere, sicut de Corporeis, ita etiam* simpliciter *de Incorporeis philosophari*, quod inde sequitur; & eadem est ratio demodis *corporaliter* & *incorporaliter, realiter* & *moraliter*, qui solùm istiusmodi principiorum palliant falsitatem. Tamen ad arg.

16 Respondeo 2. potius *morale* definiendum, *Id quod prudentum iudiciò ac suppositione est reuerà benè vel malè, bonum vel malum, attentâ* (nõ verò simpliciter realiter, vt infra probamus à n. 160.) *legum obligatione,*

tione, quale esse dicitur. Nam si definiatur præcisè *Id, quod non est reuerà, quale esse dicitur*, figmentum est; & cum additur, *Prudentum autem iudiciô ac suppositione ita se habet, ac si, quale dicitur, esset*, Prudentum iudicium ad imprudens figmentum detorquetur: vndè ibi nihil video in favorem D. Caramuelis, nisi velit peccatum non esse reuerà peccatum, ac ideò in æternum puniri, quod reuerà peccatum non est; & consequenter filium adoptiuum, reuerà non esse filium adoptivum, qualis esse dicitur; quæ absurda videntur.

Respondeo 3. ad 1. Conf. D. Caramuelem non rectè conijcere, 17
dum putat me pro vnione inter materiam & formam Sacramentalem remissurum ipsum ad Physicam. Quia vnio physica est intrinseca composito, iuxta communem sententiam; Sacramentalis, vtpotè in intentione ministri principaliter consistens, extrinseca Sacramento. Docet quidem Em. Lugo de Sacram. disp. 2. n. 135. intentionem illam esse partem Sacramentis intrinsecam; sed id apud valde paucos lego; nec certè capio, cum intentio conficiendi baptismum sit respectu baptismi forma extrinsecè denominans, vti visio respectu parietis; & ipse Baptismus sit intrinsecè adæquatè in Baptizato, distante ab eo, qui baptizat, & quidem summè, si habitualiter spectetur, ab eo, qui baptizauit; in quo, prout intẽtio fuit intrinsecè actualiter, & extrinsecè in Baptismo ac Baptizato, sicuti cognitio, volitio &c in suo obiecto; ita in illo remanet intrinsecè habitualiter, & extrinsecè dumtaxat in Baptismo & Baptizato: vnde vel baptismus, sic explicari debet, vt sit ablutio sub præscripta verborum forma & intentione ministri connotatis extrinsecis, quô plus non petit Florentinum; vel neminem video, qui sit intrinsecè Baptizatus; nec vllum, quod sit intrinsecè altaris Sacramentum, & sic de alijs, de quibus tempore suo latiùs.

Ad 2. Confirmationem, oppositum patebit. dub. 3. 18

DVBIVM II.

An tota Moralis Theologia & Sacramentalis specialiter suadeat.

Oportere de Moralibus moraliter Philosophari, sicut de Realibus realiter.

D. Caramuel

D. CARAMVEL.

In sua supra allata Quæstione curiosa. n. 1.

19 O*Portere de Moralibus moraliter philosophari, sicut de Realibus realiter, tota Moralis Theologia & Sacramentalis specialiter suadet.* Ita ille.

RESOLVTIO AVTHORIS.

20 Dico, tantum abest, vt tota Moralis Theologia & Sacramentalis id specialiter suadeat, vt potius oppositum persuadeat.

PROBATIO I.

Quoad Theologiam Moralem.

21 PRobatur I. Tota Moralis Theologia ad vitę spiritualis ædificationem & morum reformationem ordinatur: atqui hęc persuadent sic *Oportere de Moralis philosophari*, vt ea, quæ de *Moralibus* dicimus, aut scribimus, vitam spiritualem ædificent, non euertant; & mores reforment, non laxent: ergo tota Moralis Theologia non suadet *Oportere de Moralibus moraliter philosophari, sicut de Realibus realiter*: maior & minor per se patent: Consequentia probatur; quia ex illa sicuteitate, paritate & analogia *Moralium cum Realibus*, & *Moraliter cum Realiter*, planè sequitur oppositum: quod vt distictinctius probem contra sit.

Sequela Prima.

22 SEquitur I. opiniones verè probabiles speculatiuè, non posse condemnari practicè; atqui id factum probant quam plurimę leges Ecclesiasticæ, quæ, vel ipsô teste Caramueie, 2. p. suę Theol. fund. n. 78. *Omnes sunt ad reformationem & ædificationem morum*, imò id ipsum fieri fatetur *ibidem n.* 45. vbi ait, *nam quotidiè videmus opiniones verè probabiles condemnari. Ergo primam propositionem* (quæ erat, opinio probabilis condemnari potest) *ita admitto, vt existimem opiniones verè probabiles speculatiuè, condemnari practicè;* cuius bonam rationem præmittit aiens, homines etiam rebus bonis abuti; *Abutuntur cibis, abutuntur vestibus, abutuntur elementis, abutuntur cœlo; & quo mise-*

quod miserabilius est, etiam dei misericordia abutuntur. ergo &c. consequentia patet.

Probatur minor; quia Ecclesia prohibet 1. lectionem Bibliorũ linguâ vulgari. 2. affirmare D. Virginem esse conceptam in originali. 3. decretum Congregationis Anni 1653. PP. Carmelitarum reformatorum Prouinciæ Belgicæ, illis vetat tueri *Cessante fine legis in casu particulari, in eodem obligationem legis cessare.* & sic de multis alijs, vt insinuat D. Caramuel, præmissis verbis, *quotidiè videmus opiniones verè probabiles condemnari.* 23

Probatur maior; quia imprimis eôdem iure, quô D. Caramuel dicit *Oportere de Moralibus moraliter, sicut de Realibus realiter philosophari;* dico ego, *Oportere de speculatiuis speculatiuè, sicut de practicis practicè philosophari.* Ac proinde, si per ipsum *Oporteat de Moralibus sicut de Realibus, & moraliter sicut realiter philosophari; Oportebit* consequenter *de speculatiuis sicut de practicis, & speculatiuè sicut practicè philosophari;* ac ideò, si per eumdẽ opiniones verè probabiles practicè condemnari non possint; neque verè probabiles speculatiuè, condemnari poterunt. 24

Sequela Secunda.

SEquitur 2. *Oportere in Moralibus de tempore morali, sicut in Realibus de tempore reali & mathematico philosophari;* atqui id euertit multarum legum obseruantiam ac mores bonos, ad quæ ædificandum & promouendum ordinantur; imo idipsum est contra Caramuelem 2. *p. suæ Theol. fund.* n. 55. vbi ait, *Qui res practicas volunt ad mathematicum tempus reducere, possunt confundi breuiter; nimirum, si iubeantur significare momentum, quod est hora talis, aut talis vigi & tempore nocturnô præcipuè.* Quidni etiam contra rationem? nam *Oportere in moralibus de tempore morali, sicut in realibus de reali seu mathematico, philosophari,* est *Oportere in moralibus de tempore sumpto cum latitudine & diuisibilitate, sicut in realibus de tempore sumpto sine latitudine & diuisibilitate, philosophari.* quod euidenter contra rationem pugnat; ergo &c. 25

Probatur minor pro 1. parte (nã 2. & 3. ex Præmissis patent) 26
sicut moraliter impossibile est nosse momenta, seu instantia mathematica, ita & leges Pontificias quàm plurimas obseruare, si obligent primô instanti mathematicô post duos menses à sua Romæ facta promulgatione; & nominatim legem de abstinentia,

 ab infan-

ab infantibus doli capacibus, si eos primô post septenniũ momẽtô, obliget: vnde meritò D. Caramuel 1. *p. sua Theol. fund. n.* 2042. ait, *hodiè, qui mediam noctem mathematicè obseruari iuberet, impossibile obseruari iuberet.* Ergo &c.

27 Sed, inquies, quid ad hunc casum, quem D. Caramuel *loco iam citato n.* 2080. proponit? *Petrus diè Sabathi, sub mediam noctem, vt primùm audiuit duodecimam, comedit carnes, & postquàm satur excessit è mensa, audiuit aliud horologium significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult, & sic discurrit. Horologia habent opinionum probabilium virtutem: at ego comederam, antequàm tale horologium sonuerit; ergo probabile est, quod comedi ante duodecimam: ergo probabile est, quod sim ieiunus; at opinioni probabili conformare conscientiam possum; ergo potero communicare.*

28 Respondet D. Caramuel 2. *p. sua Theol. fund. n.* 59. post Eminentissimum Card. Lugo. *Pontifices censendi sunt voluisse omninò omnes obligare, & claudere omnes aditus, per quos posset aliquis obligationem effugere: ergo censendi sunt voluisse omnia ponere media necessaria, vt lex teneret: ergo si necessaria erat secunda lex, quæ compræciperet, ne quis mutaret opinionem probabilem, eô videlicet casu, quô ex tali mutatione non satisfieri præcepto sequeretur, censendi sunt & hanc legem implicitè tulisse.*

29 Respondeo 1. solutionem D. Caramuelis mihi non probari. Pono enim certum esse, vti reuera est, Pontifices obligationem suam ad tempus, vltra & citra quod ipsa non sit, determinasse, vti de obligatione horarum Canonicarum & ieiunij constat, quæ vltimam horam diei determinatè respicit, vltra quam (sit ei satisfactum, vel non) desijsse censetur. Hôc autem positô, rogo, An per ipsum, illa vltima hora sit moraliter, an mathematicè seu metaphysicè, exponenda? Quomodocumque eam exposuerit, expositio contra ipsum militabit: nam si primô modô; opponam per ipsum *Oportere in Moralibus de hora vltima morali, sicut in Realibus de hora vltima reali seu mathematica, philosophari*, consequenter ad hanc ipsius Assertionẽ, *Oportet de Moralibus moraliter; sicut de Realibus realiter, philosophari*; & sic incidet in modum secundum: si secundô modô (præterquàm sibi in præmissis *n.* 23. contradicat) manifestum est, quod probabit nullus, Petrum in allato casu communicare posse, cum probabile sit vtramque horam duodecimam, iuxta vtrumque horologium, esse mathematicè & methaphysicè vltimam,

vltimam ; alioqui dicendum eſſet, Pontifices non determinaſſe
horam vltimam, vltra quam nolint ad horas Canonicas aut ieiu-
nium obligare ; quod nec dicitur, nec à Doctoribus admittitur.
quare aliter.

Reſpondeo 2. ibi vltimam horam debere exponi morali- 30
liter ; quia iuxta præmiſſa n. 18. ædificatio & reformatio mo-
rum, ad quam tota Theologia Moralis ordinatur, ſic eſſe de
Moralibus philoſophandum ſuadet, vt ea, quæ de Moralibus
dicimus, aut ſcribimus, vitam ſpiritualem ædificent, non euer-
tant, & mores reforment, non laxent; quod, è contra, faceret il-
la hora vltima ſumpta mathematicè, ſeu metaphyſicè, vt, quæ
ſequuntur, conſideranti patebit.

Primò, quòd alioqui, quicūque poſſet ex priuilegio, neceſſitate, 31
vel aliter, poſt mediā noctem celebrare, poſſet nō ſolùm ſemel, ſed
iterum, imò tertiò, intra horam duodecimam celebrare. caſu quô
v. g. auditâ duodecimâ in horologio A. v. g. celebret; & deinde,
miſsâ abſolutâ, audiens ſimul duodecimam in horologijs B. &
C. iudicet primum erraſſe, ac tunc demum duodecimam eſſe, &
ideò probabiliter poſſe iſtius diei ſacrum incipere, & ſic incipiat;
tū denique (quia in pleriſque ex maioribus Ciuitatibus ſunt qua-
tuor, aut quinque horologia, quæ nō rarò mediâ horâ poſt inuicē
duodecimam pulſant) ſi, ſacrô abſolutô, in horologio. D. (quod
cæteris ordinariè meliùs regitur) duodecimam audiat, eôdem
motiuô, quô ſecundum ſacrum probabiliter celebrare potuit,
poterit tertium eâdem horâ, & ſic intra horam duodecimam
eiuſdem diei tertiò celebrare.

Secundò, quod alioqui, vir vegetus & fortis, ſine vlla alia excu- 32
ſatione, poſſet quadrageſimale ieiunium non ſeruare, caſu quô v.
g. primâ illius noctе, auditâ duodecimâ in horologio A, proba-
biliter iudicet ſe prandium ſuum anticipare poſſe ; & ſi deinde,
eô ſumptô, auditâ duodecimâ in horologijs B. & C, velit ieiuna-
re (quod poteſt, cum dies demùm probabiliter incipiat) ac ideò
horâ conſuetâ prandere : & ſic de cæteris totius Quadrageſimæ
diebus.

Tertiò, quòd alioqui ſimiliter omnes, qui horas Canonicas 33
in vndecimam diei horam horologij, quod vltimò ſonuerit,
differrent, à notabili illarum parte quotidiè probabiliter

eximi possent, si iudicantes diem transijsse, statim ac in alio duodecimam audierint, licet magnâ mediâ horâ priusquam in isto, statim ab horis desistant: quis autem non videt ista, & similia multa, quæ inferre possemus, non solùm esse contra Ecclesię mentem, & Doctorum receptas sententias, sed nec ab vllo, sine morum ac legum dissolutione, defendi posse? Nullus certè, qui probus sit & sapiens. Sed

34 Quæres forte ad solutionis nostræ complementum, quî vltima hora moraliter explicari debeat. Resp. sic vt omne tempus comprehendat, citra & vltra quod nullus prudenter dicere possit esse duodecimam, seu vltimam diei horam; sed primam alterius, aut vndecimam huius dumtaxat. Tamen ad casum num. 26.

35 Respondeo 3. illum (quidquid D. Caramuel. 1. *p. suæ Theol. fund. n.* 2085. dicat, *has ego theses, tanquam certas, assumo. Prima, qui ex duabus opinionibus probabilibus, nunc sequitur alteram, potest sequenti momentô licitè tenere alteram. Hanc indico luce meridianâ clariorem.*) qui semel probabiliter vnum horologium, aut vnam sententiam secutus est, postea non posse, cum periculo euersionis obseruantiæ legum certò obligantium, mutare horologium, aut sententiam. Ratio est, quia tunc certa possessio stat pro lege aduersus ipsum; cæteris autem paribus *melior est conditio possidentis.*

36 Dices ex D. Caramuele 1. *p. statim citatâ. n.* 2082. hic peti principium; quia, si nos dicamus, ideò ipsum non posse mutare sententiam, aut horologium; quia lex habet ius certum; dicet ideò legem non habere ius certum; quia ipse habet ius mutandi dictamen probabile, ergo &c.

37 Respondeo distinguendo assumptum, ipse simpliciter & per se habet ius mutandi dictamen probabile, concedo assumptum: per accidens, quotiescumque ex mutatione ista eluditur certæ obligationis reipsà permanens fundamentum, quod in proposito est tempus; non verò sententia probabilis, vel horologium probabile immutatū; nego assumptum: tum enim melior est conditio obligationis possidentis; secùs, si aliàs fundamentum, cui annexa est obligatio, licitè tolleretur.

38 Instabis, dicens, ipsum possidere ius ad probabile dictamen mutandum aduersus legē, prout lex possidet ius ad obseruantiam aduersus ipsum, ergo &c.

Respondeo

Respondeo (præterquàm cæteris paribus, vbi possessiones sunt æquales, præsumendū sit pro Superiore, seu lege; prout cæteris paribus, bonum commune est præferendum priuato, & ius altioris ordinis iuri ordinis inferioris) hoc vltimum jus, primum eneruare; quia, si subsistit, vt supponitur, alterum subsistere non potest, e sequatur bellum vtrimque iustum. Vnde nego assumptum. 39

Vrgebis 1. dicens, subsistere legis obligationem dumtaxat, uamdiu alter horologium, aut sententiam, non mutat, ergo &c. 40

Respondeo negando assumptum; quia obligatio legis est alteri affixa, quàm horologio immutato, videlicet tempori moraliter spectato, vt supra dictū est; quod sicut per mutationem illam on tollitur, ita nec ei affixa, horarum Canonicarum v. g. oblitio: aliunde etiam, cum ibi legem esse in possessione supponatur, non esset, in quô alioqui me[...] or diceretur conditio possidens: vnde non video, quô fundamentô D. Caramuel, ob ista dicat cô citatô, *corruere Regulam* à nobis allatam. 41

Vrgebis 2. si constet primum horologium errasse, primam sententiam fuisse improbabilem &c, euidens est me posse aliud horologium sequi; mutare sententiam &c; ergo similiter, si constet obabile esse primum horologium errasse, primam sententiam c, possum mutare &c. Ita fere D. Caramuel ibidem. 42

Respondeo negando assumptum, si ex eo quod aliud sequaris ntentiam mutes &c, sit periculum euersionis; imò euersio ipsa seruantiæ legis te certò obligantis sequatur: licet enim mutahæc foret speculatiuè & secundùm substantiam probabilis, quod non concedimus) adhuc foret practicè mala ob annexū riculum, aut euersionem dictam, vt patet. Ex his autem 43

Colliges, D. Caramuelem, locô supra citatô in multis fallim [...] 44

Fallitur 1. aiens, *Si euidenter cognoscerem errorem prioris horologij, t euidens me posse operari, etiam reclamante illô tertiô* (videlicet, qui operatione, seu mutatione mea praiudicium pateretur;) *d admittit iterum & iterum Lugo: ergo si probabiliter cognoscam eiusdem ologij errorem, erit probabile me posse operari, etiam reclamante illô iô*: Quia meritò negatur hæc sequela: nam si ex mea operatio seu mutatione sit periculum, imò euersio ipsa iuris tertij tunc tò me obligantis, ex præmissis manifestum est me iustè & sine [...] præiudi- 45

præiudicio tertij operari non posse: supponas enim Petrum teneri tibi soluere centum aureos feriâ secundâ, sic vt feriâ tertiâ, nisi soluti sint, cesset obligatio; eumque circa medium vndecimæ noctis nondum soluisse, & tibi petenti, vt solueret, respondisse, adhuc superesse mediam horam istius Diei, neque ad solutionem tantum temporis requiri; sed statim post in altero horologio audiri duodecimam, ac ideò ipsum tibi repetenti solutionē respondere, se aliter de die sentire, ac probabiliter iudicare diē transactam esse; an fateberis Petrum justè, & sine tui præjudicio, operari, mutare &c? Oppositum probaret euentus. Quare nodum ibidem non attigit D. Caramuel, dum sibi obiecit, *At hoc erit in præiudicium eius, dices*, & Respondet, *sed ego distinguam præiudicium à damno; non enim sunt præiudicia, quæ iustè fiunt, licet maximum inferant damnum.* Quia malè supposuit præmissa *iustè fieri*; vnde corruit Caramuelis distinctio.

46 Fallitur 2. *Ibidem n.* 2085. Theses sequentes tamquam certas assumens. Quarum

47 Prima est illa, quam *n.* 34. citauimus. *Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram, potest sequenti momentô licitè tenere alteram.* Hanc enim omninò falsam puto, nisi restringatur, *dummodò ex mutatione nullum subsit periculum euersionis juris tertij eū certò obligantis*, ob præmissa, quæ non satis attendisse videtur D. Caramuel, dum exaggeranter subdit, *hanc thesim indico luce meridianâ clariorem.*

48 Secunda, *ex hac libertate nullum præiudicium tertij sequitur: at multa inconuenientia & damna tertij consequuntur.* Velim (suppositô quod iniustè mutet, vt probauimus) D. Caramuel distinguat præiudicium ab isto damno; posse diffiteor.

49 Tertia, *Hæc est mala consequentia, ex hac doctrina, magna inconuenientia sequuntur, ergo non est probabilis.* Neque nos illam, aut similem consequentiam facimus; sed hanc, *ex ista D. Caramuelis doctrina, magna præiuditia, seu legum certô obligantium iniustæ violationes sequuntur; ergo non est, saltem practicè, probabilis*; quia non est probabile, saltem practicè, id quod in praxi talem violationum circūstantiam certò annexam habet; quidquid de speculatione sit, quæ quidem in mente à tali circumstantia præscindere potest, & mutationem secundùm substantiam præcisè attingere; sed vt sic mutatur in speculatione casus.

Quarta,

Quarta, *Hæc propositio (Ecclesia, quæ ieiunium, officium diuinum &c. præcepit, compræcipit, ne quis mutet sententiam probabilem, eo casu, quô ex tali mutatione hæc præcepta posse non obseruari sequeretur) est falsa.* Mihi quidem falsa; quia talis compræcepti, nec vmbram, nec necessitatem video; nam, vt *supra n.* 40. probauimus, ne quis prædictis casibus sententiam mutare possit, ipsa lex naturæ dictans *meliorem esse conditionem legis possidentis*, seu certò obligantis, præcauet. Sed discerem lubenter, cur D. Caramuel Quartam istam thesim hic dicat *falsam*, & subdat, *cum vidit Lugo ex natura rei manere libertatem mutandi opinionem probabilem, confugit ad Superioris præceptum, sed hoc effugium nullum est.* Et 2. *p. suæ Theol. fund. in fine n.* 59. (Ubi controuersiam illam decidit) sic scribat, *Respondeo hanc propositionem, Ecclesia &c. habere contra se rationem grauissimam. & pro se grauissimam authoritatem: Ratio est quia veteres Pontifices non præceperunt, quæ non præuiderunt; at hæ subtilitates sunt ab annis paucults motæ; non ergo à illis, aut pluribus legibus, cautæ. Authoritas est Eminentissimi D. Cardinalis Lugonis: qui tamen non tam videtur explicare, quid Pontifices iusserunt, quàm quid iussissent, si fuissent isti casus propositi. Interim illa ratio solutione non caret: esto enim hoc vel illud effugium, quo iuniores vtuntur, vt illi non satisfaciant, veteres Pontifices non viderint; at censendi sunt voluisse omninò omnes obligare, & claudere omnes aditus, per quos posset aliquis obligationem effugere. Ergo censendi sunt voluisse omnia ponere media necessaria, vt lex teneret. Ergo si necessaria erat secunda lex, quæ compræciperet, ne quis mutaret opinionem probabilem, eô videlicet casu, quô ex tali mutatione non satisfieri præcepto sequeretur, censendi sunt & hanc legem implicitè tulisse. Stat igitur opinio Eminentissimi D. Lugonis. Et interim videndum erit omnibus (quidquid de speculatione fit) ne discedant ab illa practicè.* 50

Quomodò obsecro D. Caramuel ibi ponit tamquam Thesim veram, propositionem illam esse *falsam*, & illam hic amplectitur *veram*: Item quomodò dicit *effugium Em. Lugonis esse nullum*, quod est ipsius refugium? Deinde ad quid cum Em. Lugone ad compræceptum recurrit, nisi vt contra suppositum ostendat, non præcessisse præceptum; si enim præcessit & perseueret, frustra est compręceptum, vt supra ostendimus. Vnde D. Caramuel hîc mavult veram assumit quartam illam propositionem, quam supra tamquam *Thesim falsam* abiecit. 51

Quinta,

52 Quinta, *qui iniuit contractum merè probabilem, si iuri suo cessit, tenebitur stare contractui, aliàs non. At si mutet dictamen, inquiet, procedet in præiudicium tertij. Nego præiudicium, & concedo liberè tertij, vel iacturam, vel damnum; quoniam, si tertius hoc prauidit, & adhuc iniuit contractum, sibi imputet; qui socium potuit strictius obligare, & omisit.* Parcat nobis D. Caramuel, non sic argumentamur; sed hôc modô: Sicuti ille tenetur stare contractui, si iuri suo cessit; quia alter ius possidet; ita in nostro casu tenetur seruare legem, sententiam non mutare &c. ex qua sequitur euersio obseruantiæ legis certò obligantis; quia lex obligationem possidet: vnde ipsius exemplum non est ad rem, pro hac parte *aliàs non*; licet verum sit.

Sequela Tertia.

53 SEquitur 3. multa entia in Physica distingui modaliter seu accidentaliter tantùm, quæ in Ethica distingui debeant substantialiter: atqui hoc mirabiliter turbat & confundit Theologiam moralem, ac per consequens impedit morum ædificationem ac reformationem, ad quam ordinatur; imò id euidenter militat contra ipsummet Caramuelem 2. *p. suæ Theol. fund. n.*68. *in fine*, vbi ex præmissis infert, *Ergo multa distinguuntur modaliter aut accidentaliter in Physica, quæ in Ethica distingui debent substantialiter: ergo similiter multa distinguuntur in Physica essentialiter & substantialiter, quæ eiusdem sint speciei moraliter considerata? Prior corollarij pars patet ex dictis: posterior, quia qui dicunt aurum, argentumque distingui specie; non tamen dicunt furtum auri à furto argenti specie morali differre.* Ergo &c.

54 Probatur maior ex iam sæpe allato D. Caramuelis fundamentali Principio. *Oportet de Moralibus*, ac proinde de Ethicis, *moraliter, sicut de Physicis; ac proinde sicut de Physicis physicè philosophari.* Sic nempe vt sequatur dicendum 1. entia, quæ in Physica modaliter aut accidentaliter tantùm distinguuntur, & non substantialiter; in Ethica distingui debeant modaliter, aut accidentaliter tantũ, & non substantialiter: 2. è contra, entia, quæ in Physica distinguuntur essentialiter & substãtialiter, ac ideò diuersæ speciei dicuntur; in Ethica distingui debeant essentialiter & substantialiter, ac ideò esse diuersæ specie in Ethica; alioqui fallit D. Caramuelis præcitatum fundamentale principium.

Probatur

Probatur minor pro 1. parte (quæ ſola probanda reſtat) quia 55
nde fieret; 1 .quod, ſicut parum & multũ auri v.g. in furto; parum & multum panis vel piſcis in ieiunio; parum & multum horarum n horis Canonicis, in Phyſica modaliter & accidentaliter tantùm diſtinguuntur, & non ſpecie; in Ethica modaliter & accidentaliter tantùm diſtinguantur, & non ſpecie; cuius falſitatem infra dub. 16. ni fallor, demonſtramus. 2. quod, ſicut in die abſtinentiæ, ova & lacticinia comeſta in Belgio, à ſeipſis comeſtis in Jtalia, eſſentialiter & ſubſtantialiter, prout licitum & grauiter illicitum, ac proinde ſpecie ſecundùm Ethicam diſtinguantur (& idem eſt de ſue comeſta in veteri teſtamento, à ſeipſa comeſta in nouo; ac collo bovis ab ilijs comeſtis Sabbathô in Hiſpania) ita in Phyſica ſpecie diſtingui debeant; quæ, & alia ſexcenta, vnô die licita, & alterô ſub mortali prohibita, nõn ſolùm, ſi principium illud ſubſiſtat, moralem Theologiam turbant, ſed & Phyſicam, vt attendenti patebit; ergo &c.

Sequela Quarta.

SEquitur 4. doctis eſſe argumentandum à pari; non tantùm 56
in his, quæ ab hominum, ſed & in illis, quæ à libera Dei voluntate pendent: atqui hoc multarum legum obſeruantiam, ac per conſequens mores, laxat & ſoluit; imò id etiam eſt contra, propriam ipſiuſmet Caramuelis profeſſionem 2 *p. ſuæ Theol. fund. n.* 101. vbi ait. *Si ex voluntate Eccleſiæ, paritas claudicat: in ijs enim, quæ à libera hominum voluntate dependent, docti non argumentantur à pari.* Ergo &c.

Probatur maior, quia moralia pendent à libera Dei præcipiẽtis 57
aut prohibentis, & hominum obedientium aut præuaricantium voluntate: at D. Caramuel, non tantùm in *moralibus*, quæ ſunt inter ſe ſe ſimiliora *Realibus* & *Moralibus* inter ſe; ſed in *Moralibus* & *Realibus* argumentatur à pari, ſiue à *Realibus* ad Moralia paritatem trahit, iuxta hoccè ipſius ſæpè repetitum principium, *Oportet de Moralibus moraliter, ſicut de Realibus realiter Philoſophari.*

Probatur minor, quia attentâ præcisè rationis paritate; exi- 5
merentur 1. à ieiunio omnes, qui poſt vigeſimum primum annũ, non eſſent vegetiores & fortiores vegetiſſimis & fortiſſimis, qui

C ante.

ante illum annum non obligantur: 2. Non priuilegiati, prout priuilegiati, à Communione annua in propria Parochia. 3. Diœcesani à celebrandis suę Diœcesis festis, quę in alia non celebrantur. 4. Ab horis Canonicis Pastores, prout custodes in sacris non constituti; item Clerici Religiosi, prout laici; & sic de infinitis alijs, quæ sunt perabsurda; deuoranda tamen à D. Caramuele, si suo Principio insistere velit; quia non video maiorem distinctionem inter illos, qui ad vigesimum primum annum nondum peruenerunt, & alios, qui superauerunt; inter non priuilegiatos & priuilegiatos &c. quàm sit inter *moralia* & *realia*, in quibus D. Caramuel argumentatur à pari. Attendat igitur, An inter hæc paritas, quam per præcitatum suum principium, vult esse maiorem illâ (quæ significatur esse inter *Moralia* & *Chimaras*, per hoc, *Oportet de Moralibus moraliter, sicut de Chimaris chimaricè philosophari.*) non sit vana & chimærica, & non meritò dixerim D. Caramuelis principium *videri falsum supponere.*

PROBATIO II.

Quoad Theologiam Sacramentalem.

59 PRobatur: tota Theologia Sacramentalis de Sacramentorum constitutione & effectibus, aliter, quàm de Realium constitutione & effectibus, philosophandum suadet; ergò tota Sacramentalis Theologia non suadet *Oportere de Moralibus moraliter, sicut de Realibus realiter philosophari*; sed oppositum.

60 Probatur antecedens pro prima parte: quia alioqui, sicut partes physicæ corpus naturale physicè constituunt, si physicè, etsi non moraliter, existant; ita partes morales compositi moralis seu Sacramenti, Sacramentum moraliter constituere deberent, si moraliter, etsi non physicè, existerent; sic nempe, vt sufficeret has, aquam v. g. in Baptismo, & sic de alijs, mente & voluntate intendi, nec aliter, quàm in mente & voluntate ministri existere; cum sufficiat partes physicas, ad corpus naturale physicè cōstituendum, physicè siuè in re existere, etsi non moraliter siuè in mente & voluntate: sequela autem omniū Orthodoxorum confessione est hæretica, & damnata in Florentino *in decreto Eugenij*, vbi

vbi materias septem nouæ legis Sacramentorum physicas, esse à Christo, saltem alias alijs generaliùs, determinatas definit, vti & Tridentinum à sess. 7. de Sacramentis in genere ad 15. ergo &c: minor & consequentia patent; sequela maioris clarè deducitur ex allato fundamentali D. Caramuelis Principio, *Oportet de Moralibus moraliter, sicut de Realibus realiter philosophari.*

Adde tamen consequenter ad præmissa, probationem etiam hôc modô formari posse: Alioqui sequeretur, quod, sicut in Realibus, seu physicis, ad compositum reale, seu physicum, sufficit partes eius in re, etsi non in mente & voluntate, seu intentione, existere; ita & in Moralibus; seu Sacramentis, ad compositum morale, seu Sacramentum, sufficiat partes eius in re, etsi non in mente & voluntate, seu intentione, existere; quia iuxta allatum Principium, *Oportet moraliter, sicut realiter philosophari.* Hoc autem, vtpotè excludens intentionem ministri contra Florentinum supra, & Tridentinum sess. 7. de Sacram. in gen. can. 11. Similiter est hæreticum; ergo &c. 61

Probatur antecedens pro 2. parte: quia alioqui, sicut saluatur causa physicè causans, independenter ab omni causa morali moraliter causante, vt patet in generatione Filij in Diuinis; ita causa moraliter causans saluari posset independenter ab omni causa physica physicè causante; quod planè inintelligibile est; & sicut D. Caramuel, pro præsenti rerum statu, vult seruandam proportionem inter causam physicam & moralem; nunc saluari posset causalitas moralis Sacramentorum nostrorum per solam imputationem moralem iustitiæ Christi, imò etiam sine hac & diffusione physica gratiæ inhærentis; quod damnatur in Tridentino sess. 6. *de iust.* can. 11. ergo &c. 62

Adde iterum consequenter ad præmissa, probationem etiam hôc modô formari posse: Alioqui sequeretur, quod sicut causarum physicarum, vt talium, effectus debent physicè produci; ita & moralium, vt talium, debeant physicè produci; nam iuxta principium D. Caramuelis, *Oportet moraliter, sicut physicè philosophari,* vt n. 2. & 3. ostendimus, quod omninò falsum est. 63

 Corrol-

CORROLARIVM.

64 Colliges ex præmissis, allatum D. Caramuelis principium, non solùm, *saluô meliori iudiciô*, *videri falsum* ob rationem, quam in nostra, ad *Quæstionem nouam* eiusdem, *Repositione* contra dedi; sed eâ generalitate & illimitatione, quâ ab Authore suo proponitur, sumptum, à me omninò falsum putari & erroneum: neque, si restringatur, vt debet, ipsum plus iuuare ad sequelas circa Moralia, quas inde deduxit; quàm ad sequelas circa Chimæras, quas hinc, eôdem iure, deducere potest, *Oportet de Chimæris chimæricè, sicut de Realibus realiter philosophari*. Imò, sicut huius Principij alius non potest verus esse sensus, quàm *Oportet de Chimæris iuxta naturam suam, & modô Chimæris congruô, philosophari. Oportet de Realibus iuxta naturam suam, & modô Realibus congruô, philosophari*, & sic de alijs, quia de quoque iuxta naturam cuiusque philosophandū est; ita principij fundamentalis D. Caramuelis alius non potest, quàm similis, verus esse sensus, *Oportet de Moralibus iuxta naturam suam, & modô Moralibus congruô Oportet de Realibus iuxta naturam suā, & modô Realibus congruô philosophari*. Et sic de alijs, ob rationem datam: quam autem hinc D. Caramuel maiorem deducere possit inter *Moralia* & *Realia* analogiam & paritatem, quam inde inter *Chimæras* & *Realia*; *Moralia* & *chimæras*, *Moralia* & *quæcumque alia*, ignoro: discam lubenter. Interea sit.

DVBIVM III.

An in Realibus, seu obiectiuè, dentur species inadæquatæ; & si dentur, an etiam in Moralibus, seu moraliter dentur.

D. CARAMVEL.

In Quæstione sua nu. 3. & 6.


65 Arriaga disp. 8. Logicæ sect. 1. subsect. 2. n. 9. & 10. *Admittit genera & differentias* (*ergo etiam species*) *inadæquatas*. *Consonat Ouiedus distinguens Petrum à Paulo numerô, Petrum à Bucephalo* (*equi Alexandri*

*lexandri nomen est) specie: Petrum à Ioanna, plusquàm numero, & mi-
ùs quàm specie: & vt ipse loquitur, specie inadæquatâ. Consonat etiam
homas Comptonus* disp. 5. de anima sect. 3. n. 5. *Probabile iudicans,
agis differre animus viri & fœminæ. quàm animus duorum virorum (pro-
abile id inquam iudicat; quia contrarium iudicat probabilius.) Sed cla-
ius* disp. 4. de Anima sect. 1. n. 4. *affirmans partes formæ viuentis e-
ui esse heterogeneas, seu inter se dissimiles & specie incompletâ diuersas, &
tat pro hac sententia Ioannem Andream, Paulum Venetum, Niphum, Sua-
ium, Rubium, Murciam, Hurtadum* &c. nu. autem 6. *Quæro, cur non
ossunt reperiri inadæquatæ species in Moralitatibus.*

AVTHOR.

66 MVlti prudenter Docti iudicarunt, Quæstionem hanc examen suum ac resolutionem non mereri, quod speculationem potiùs, quàm mores spectet; quia tamen eam iterum atque terum rogor; pro resolutione, 67

Notandum, dubium hoc procedere de specie obiectiua, non de formali: An v. g., in obiectis actus formaliter specificantis (nam ista realia; hic verò intentionalis à Philosophis dicitur) dentur species inadæquatæ, idest, quæ plusquàm solô numerô, & minùs quàm notabiliter, inter se differant; ita nempe, vt ex parte sua, siue obiecti, sic cum solô numerô distinctis in intrinsecis cōueniant, vt eorum vnum sit, in quo quidem ab eis disconueniant, sed non tale, in quô ab eis notabiliter differant, & cum notabiliter distinctis conueniant: vnde harum specierum inadæquatio, seu conuenientia & disconuenientia obiectiuè inadęquata, ex parte obiecti & intrinsecorum eius necessariò plura prædicata importat, in quorum saltem vno conuenientia fundetur, & in altero disconuenientia: quia autem prædicata hæc iuxta Arriagam, Ouiedum & Comptonum *disp. 5. de Anima loco cit.* sunt rei realiter simplicis; & ego prædicata talia in re vna & realiter simplici intrinsecè multa, efficaciter, vt puto; tum *in Logica Tract. 1. disp. 1. dub. 5.* contra Scotistas ac Thomistas; tum *de Anima disp. 2. dub. 2.* reieci, Quæstioni propositæ verbo satisfacere possum, Respondendo, in ea falsum supponi; ne tamen videar illam, in eo quod Theologiam moralem concernit, eludere, sit



RESOLVTIO AVTHORIS.

68 DIco 1. in *Realibus* realiter ſimplicibus (de quibus, vti ſuppoſitum, Quæſtio procedit ; & non de complexo artificiali, ad quod malè, P. Petrus de Hybernia illam, apud Caramuelem *Theol. fund. eiuſdem 2. p. epiſt. 6. dub.* 1. videtur trahere) non dantur ſpecies inadæquatæ; non ſolùm realiter ; ſed nequidem formaliter Scotiſticè , aut virtualiter obiectiuè Thomiſticè, diſtinctæ.

69 Probatur iiſdem prorſus fundamentis & rationibus, quibus in Philoſophia *locis n.* 55. *citatis*, probauimus, non dari diſtinctionem formalem Scotiſticam, aut virtualem obiectiuam Thomiſticam, in eadem re realiter ſimplici; omnia enim, quæ ab alijs realiter & obiectiuè, ſiuè adæquatè, ſiue inadæquatè, diſtinguuntur, vtpote hæc, prout vna hæcceitas ab alia, vltimò & ſummè obiectiuè diſtinguuntur ; quod ſpeciebus inadæquatis in ſententia iſta non conuenit, ergo &c.

70 Dicet fortè, ſe vtramque diſtinctionem illam ſumere moraliter, ſic vt velit, illâ diſtinctione diſtingui ea, quæ verè & realiter non diſtinguuntur, at prudentum opinione & decretô, ita ſe habent, ac ſi realiter diſtinguerentur. Valde bene: illa ipſa eſt, quam in Repoſita quæſtione n. 7. ex Phyſica noſtra ſolam defendendam putamus, & infra *dub.* 7. *Reſol.* 4. Confirmamus : verùm hæc non eſt illa diſtinctio intrinſeca, quam Scotiſtæ formaliter ex natura rei, Thomiſtæ obiectiuè ex parte obiecti, profitentur; ſed purè extrinſeca ad mentem Nominalium. Tamen ſit

RESOLVTIO II.

71 DIco 2. gratis datô, quòd in *Realibus* dentur ſpecies inadæquatæ formaliter Scotiſticè, aut virtualiter òbiectiuè Thomiſticè; eas dari in *Moralibus* moraliter non ſequitur.

72 Probatur: quia, ſicut in *Moralibus* moraliter, aliter philoſophari oportet in ordine ad ſubſtantiam rei & modum rei; ad diſtinctionem ſubſtantialem & accidentalem ; ad diſtinctionem ſolô nu-

merô

nerô & specie &c, quàm in *Realibus* realiter & obiectiuè, vt *Du-*
io 2. probatum est; ita & in *Moralibus* moraliter oportet aliter
philosophari in ordine ad distinctionem specie inadæquatam &
adæquatam, quàm in *Realibus* realiter, formaliter Scotisticè &
obiectiuè Thomisticè (quia horum eadem est ratio) ergo &c:
sequela tenet à pari; præsertim, cum aliunde de præceptis sub
peccato mediæ aut inadæquatæ speciei, hucusque nihil audiue-
imus; consequentia autem, suppositâ sequelæ veritate, est legi-
tima.

Confirmatur 1. gratìs datô quod in Realibus dentur species 73
inadæquatæ realiter, formaliter Scotisticè aut virtualiter Tho-
misticè, vt v.g. idem actus oppositus charitati & castitati simul,
specie inadæquatâ distinctus ab opposito charitati, aut castitati
tantùm: quæro cur illæ species, quæ in realibus inadæquatæ di-
cuntur, quia eiusdem entis realiter simplicis; in moralibus dici
non debeant species adæquatæ, vtpote entium, tam, secundùm
iudicium prudens,& moraliter,diuersorum,quàm sint duo actus,
quorum vnus sit contra charitatem tantùm,alter contra castita-
tem;propter quod etiam in *Realibus* dici possunt species adæqua-
tæ, si ab eo præscindas, quod ab Authoribus suis (sine funda-
mento tamen) inadæquatæ dicantur, quia eiusdem entis reali-
ter simplicis; ergo &c.

Quæret fortè D.Caramuel ex Quæstione sua n.6. *Cur non possint* 74
reperiri inadæquatæ species in Moralitatibus; siquidem moralia simillima
Realibus sunt, & illæ species inadæquatè, in Realitatibus reperiuntur, vt
vidimus? si verò dicis inadæquatas has species in morali Theologia reperi-
ri; postulo exempla, quibus possim hanc doctrinam intelligere & dilucidare.
Et si meliora non occurrant, interrogo, an contumeliæ prolatæ contra Deum,
& contra Sanctos sint eiusdem speciei? & dum asserit Reginaldus tom.2.
lib.24. cap.5. num. 102. *& negat Zanardus & Sanctarellus* tract. de
Blasphemia cap. 4. dub 2. nu. 5. *An non posset aliquis inire mediam*
viam & docere illas distingui inadæquatâ, non autem adæquatâ specie; &
hoc modô differentes Authores ad concordiam reducere?

Respondeo imprimis, Quæstionem istam falsum supponere, 75
videlicet *Moralia Realibus simillima esse*, quod hucusque, ac specia-
lim *n.* 3. improbatum est: Deinde Resp. huius argumenti, *In Reali-*
tatibus species inadæquatæ reperiuntur, ergo & in Moralitatibus, negandā
esse

esse consequentiam, iuxta præmissa *n.72.& 73*. Denique contumelias contra Deum & contra Sanctos (sint eiusdem, aut diuersæ speciei) saltem dici non posse moraliter distingui specie inadæquatâ tantùm; non verò adæquatâ, ob rationes præmissas, ac etiam

76 Primò, quia, vel contumelia in Deum seorsim à contumelia in Sanctos, moraliter est speciei adæquatæ contumeliæ, vel non? Si primum; etiam coniuncta, aut realiter identificata contumeliæ in Sanctos, moraliter erit speciei adæquatæ; quia, quod semel ens completum est, semper manet; vnde emanauit axioma, *ex duobus entibus in actu completis non potest fieri vnum per se*; & quod semel est species completa, sicut propter coniunctionem, aut identitatem, cum altero peccato, naturam & substantiam non mutat, ita nec speciem completam & adæquatam; maximè cum, qua est in Deũ, mente præscindi possit ab eo, quod sit in Sanctos, & è contra, ac sic vtrôuis modô præcisè spectari, quomodò est, vt diximus, species completa & adæquata, haud secùs quàm si esset in Deum tantùm, aut Sanctos tantùm. Si secundum (quod tamen est contra communem omnium Theologorum sensum) contumelia dicenda erit speciei inadæquatæ, donec omnia obiecta, in quæ ferri potest, attigerit; quod cum vix, aut ferè nunquam contingat, vix aut ferè nulla contumelia erit (& sic consequenter de detractione, blasphemia &c.) quæ speciei adæquatæ & completæ fuerit; quod iterum est contra communem Theologorum sensum; nec parum Theologiam Moralem turbat ac confundit; præsertim in sentẽtia D. Claudij Liberi, qui apud Caramuelem *Theol. eiusdem fund. p. 2. Epist. 2.* negat species inadæquatas esse in confessione aperiendas; quod dubio sequenti examinamus.

77 Secundò, quia, si moraliter detur contumelia speciei inadæquatæ, idem erit de quolibet alio peccato mortali, à paritate rationis, adstruendum: hinc verò sequetur, vel minimum mortalium esse, secundùm speciem suam adæquatam, plusquàm mortiferum, plusquàm pœnæ æternæ meritorium &c. quia vt sic grauius esse debet, quàm secundùm inadæquatam præcisè: vel illud ipsum, secundùm speciem suam inadæquatam, non esse mortiferum, non esse pœnæ æternæ meritorium &c; quia vt sic minus esse debet, quàm secundùm adæquatam præcisè. Quid igitur erit?

Veniale

'eniale ne? non sic; quia similiter minimum venialium secun-
ùm speciem adæquatam, secundùm speciem suam inadæquatā
)ecatum, nequidem esset veniale peccatum. Vnde dicendum
set ipsum, vt speciei adæquatæ, à seipso speciei inadæquatæ di-
ingui, prout mortale à veniali, prout hoc veniale à non veniali
c; quæ, prout notabiliter in esse offensę Dei inter se distinguun-
ır, ita & specie adæquatâ, iuxta præmissa *n.* 54. Mortale ne?
)c minus; quia implicat dari peccatū mortale infra minimum.
ec apparet, quid aliud esse possit secundùm speciem inadæqua-
m; igitur hæc moraliter figmentum nouum esse debet, prout
incipium, unde deriuatur, *Oportet de Moralibus moraliter, sicut de*
'alibus realiter philosophari, illimitatè sumptum.

Dicet 1. D. Claudius Liberus apud Caramuelem *suæ Theol.* 78
nd. p. 2. *Epist.* 2. *Species inadæquatæ, seu incompletæ, sunt (nisi quæstio-*
n de nomine faciamus) species habentes prædicatum differentiale vix no-
'iliter diuersum: tales dantur; ergo dantur species incompletæ, etiam in
'ibus humanis, seu moralibus.

Respondeo (præterquàm iam satis probatum sit, à realibus, 79
1 physicis, ad moralia, nullam esse consequentiam, ad sensum
ijcientis) quærendo ab eodem Claudio, an id, quod habet prę-
:atum differentiale vix notabiliter diuersum ab eo, quod est
:ciei completæ peccati mortalis minimi, sit peccatum morta-
an veniale? Vtrumque negari non potest, vt patet: siue mortale
e veniale dicatur, *n.* 76. satis improbatum est. Deinde, si per
ùm species inadęquata blasphemię v. g. (de qua ipse *ibidem*,
ılò infra, tales species *inadæquatæ sunt blasphemia cōtra Dei iustitiā,*
lasphemia contra eiusdem misericordiam.) sit peccatū mortale, quo-
)dò *infra ibidem* dicit, quod *confitens, inadæquatas species exponere*
teneatur? Si verò veniale; omne mortale, habens speciem in-
:equatam, moraliter erit peccatum veniale, & consequenter
ñ erit confitendum; quia, cum per ipsum illa sit species inad-
ıata, quę habet prædicatum differentiale vix notabiliter di-
sum à specie adæquata mortalis, hæc adęquata ab illa mora-
:r non differet; quia *vix notabiliter diuersum* & *non notabiliter di-*
sum parum differunt; *in Moralibus* autem *parum pro nihilo reputa-*
vt recte D. Caramuel *suæ Theol. fund. p.* 2. *nu.* 55. Si denique
ęquata mortalis ab inadęquata non differat; sicuti per ipsum

D hac

hæc non est confitenda, ita nec illa; ac sic nullum mortale, cuius semper est invenire speciem aliquam inadęquatam, per ipsum erit confitendum; quod est hæreticum. Vnde

80 Confirmatur nostra Resolutio 2. *Parum*, quô species inadęquatæ inter se & ab adæquatis differunt, *in Moralibus*, sive moraliter, *pro nihilo reputatur*, vt statim dictum est; ergo in Moralibus, sive moraliter, non dantur species inadæquatæ inter se & ab adęquatis distinctę; ergo omnes sunt adęquatę, nullæ inadęquatæ, moraliter.

81 Dicet 2. P. Petrus Martyr de Hybernia apud Caramuelem *locô statim citatô* Epist. 6. dub 1. *Dari species incompletas in moralibus, & circumstantias tribuentes huiusmodi species actibus; esto nullibi reperiatur expressè & assertiuè dictum apud D. Thomam: nihilominus, qui asserit huiusmodi species, fundamentum non leve habet in doctrina D. Thomæ, implicitè & arguitiuè: nam 1. 2. q. 72. art. 7. quærens vtrum peccatum convenienter dividatur in peccatum cordis, oris & operis, Respondet in corpore articuli; In Moralibus, ita ad invicem comparari peccatum cordis, oris & operis, sicut ad invicem comparantur collocatio fundamenti, erectio parietis & ædificatio domus: & in hoc paritatem ponit, quòd prima inchoatio peccati & quasi fundamentum ruinosi ædificij, est fundatio in corde; deinde erectio parietum peccati in ore, secundùm quod homo prorumpit ad manifestationem cordis, & completa eius consummatio in opere.* Ergo &c.

82 Respondeo (præterquàm mirer Thomistam re & familiâ, tam exoticam sententiam D. Thomæ tribuere, quæ in eius operibus assertívè non reperiatur) ex toto illo profuso discursu, nihil ad mentem D. Caramuelis quærentis posse concludi: non enim agit de specie incompleta peccati aggregati ex multis reipsâ completis, quę vnum, propter ordinem ad vnū principale, moraliter censeantur; de quô ibi D. Tho. vt maximè patet ex Resp. ad tertium; sed de specie incompleta cuiuslibet peccati mortalis; realiter quidem indivisibilis; virtualiter tamen multiplicis, ob multiplices respectus ad terminos multiplices, prout patet ex præmissis *n.* 55. Vnde, quid in favorem specierum incompletarum ad mentem Quęrentis in D. Thoma arguitiuè reperiatur, nō video, nisi eiusdem peccati cordis indivisibiliter speciem inadęquatam agnoscat, quę inde argui non potest, vt vel ipse Caramuel n. 83. citandus insinuat.

DVB. 4.

DVBIVM IV.

n datis ſpeciebus inadæquatis in Moralibus, vi Concilij Tridentini docentis peccatorum ſpecies in confeſſione explicandas, etiam inadæquatas, explicare oporteat, an ſolas completas?

D. CARAMVEL.

In Quæſtione ſua num. 7.

I dentur in moralitatibus inadæquatæ & incompletæ ſpecies. Quæro 2. 83
an debeant in confeſſione exponi; quod eſt quærere, an illa verba Conij Tridentini, videlicet, eas circumſtantias in confeſſione explindas eſſe, quę ſpeciem peccati mutant, *intelligenda ſint de ſpecie mpleta tantummodò, an verò de alterutra? & quidem duo ſunt, propter æ non videtur egiſſe Concilium de incompleta.* Primum, *nam vbi lex bet duos ſenſus, benignior vſurpari poteſt, & ſolet; nec aliquis admittere veriorem tenetur: & vbi Canon habet duos ſenſus, non erit hæreticus, i alterum alteri præferat; nam ab eodem Concilio definitur, vnicam eſſe uſam noſtræ iuſtificationis; & quia vnitas eſt duplex; moralis, aliſque; alij Authores illud de reali; & alij de morali intelligunt; & oms procedunt probabiliter.* Secundum, *quia voces accipiendæ ſunt eâ ſigficatione, quâ proferuntur: at Patres noluerunt agere de ſpecie incompleillâ die; ergo nos non debemus illud nomen* ſpecies *accipere pro ſpecie inmpleta. Probatur minor; quia nihil volitum, quin præcognitum; at Patres n cognoſcebant ſpecies incompletas, ergo: Minorem probo; quia ſpecierum mpletarum & incompletarum diſtinctio videtur Concilio Tridentino rentior: non enim apud antiquos reperitur; vel dato veteres Theologos, aut ilosophos, qui de ſpeciebus inadæquatis & completis diſputaverint.* a ille

AVTHOR.

Notandum hic, nos nolle ſpecies inadæquatas adſtruere, 84
quas dubio 3. reiecimus; ſed dari gratis ſupponere, vt ple-

nius Quęstioni nobis à D. Caramuele propositæ satisfaciamus; ob merita quidem Proponentis, at non materię moralis, nisi subtiliùs solitò eam scrutandam volueris.

RESOLVTIO AVTHORIS.

85 DIco speciebus inadęquatis gratis omninò suppositis, siue in Realibus, siue in Moralibus; vi Concilij Tridentini *sess.* 14. *cap.* 5. docentis, peccatorum species in confessione explicandas esse, etiam inadęquatas explicare oportet, quę moraliter in sua adęquata, (prout verba lasciua, tactus impuri &c, præuij ad copulam, in ipsa fornicatione) explicari non censentur. Pro resolutione hac Authores non cito; quia eā ab alijs motam non lego.

86 Probatur 1. quia, vi istius loci Tridentini, oportet omne peccatum mortale in confessione explicare; ergo & species inadęquatas: probatur consequentia; quia species inadęquata peccati mortalis, in se semper est pręvaricatio legis graviter obligantis; & quantumvis sit mortale levius adęquatâ specie, à qua inadęquatè tantùm, seu vix notabiliter, distinguitur; in se tamen manet prævaricatio gravis, prout esset inadæquatarum specierum quęlibet, si vna ab altera realiter distingueretur, vt patet; tum ex præmissis *nu.* 60. tum exemplô, quô D. Caramuel in sua Quęstione *n.* 6. vtitur, *Contumeliæ* videlicet, *contra Deum & contra Sanctos*. quę haud minùs distinctè confitenda est, quàm duę contumelię solô numerô distinctę contra Sanctos; prężertim cum, quâ parte est contra Deum, gravius sit peccatum (vt omnes fatentur) quàm contumelia contra Sanctos; tum denique, quia contumelia contra Deum & contra Sanctos, haud minùs est secundùm species inadęquatas in confessione explicāda, quàm furtum quadraginta quinque assium, secundùm quod viginti & viginti quinque assium (suppositô, quod infra *dub.* 16. probamus, quod oporteat cōfiteri circumstantias omnes, siue intra, siue extra eamdem speciem, notabiliter aggravantes; & aliundè, quod materia gravis in furto sit viginti asses:) sicut enim oportet distinctè cōfiteri furtū viginti & viginti quinque assium; quia in se est graves pręvari-

ęvaricationes in materia furti, licet hę ad invicem comparatæ, x, imò non, notabiliter differant, & sic quodammodò sint spe- :s inadæquatæ (quæ in eo consistitui debent , quod sint entia, t *vix notabiliter diversa*, vt explicat D. Claudius Liberus *nu. 65. atus*; aut *diversa differentiâ & dissimilitudine, quâ possit reperiri minor*, out D. Caramuel species logicas exponit *in sua Quæstione nu. 7.*) ideò est furta mortalia virtualiter multiplicia; ita oportet di- nctè confiteri contumeliam contra Deum & Sanctos; quia in se graves prævaricationes in materia contumeliæ, licet hæ ad in- :è comparatæ vix, aut non, notabiliter differrent, & illæ sic fo- it species inadęquatę; ac ideò esset contumelię mortales virtua- er multiplices; ergo &c.

Probatur 2. quia, si species illas inadæquatas confiteri non orteat (sive mortalia, sive venialia peccata dicantur) sequi- :, vt ostendimus *n.* 79. Peccatum mortale non esse confiten- m : atqui hoc est hæreticum, nisi aliunde subsit legitima ex- satio ; ergo &c. 88

Confirmatur. qui in confessione tales peccati mortalis inadę- :atas species scienter omitteret ; grauiter peccaret : 1. contra iritatem propriam, exponendo se periculo æternę damnatio- , si fortè sint materia necessaria confessionis : 2. contra reve- itiam Sacramento pœnitentiæ debitam, illud defectu materię, tè necessariæ, nullitatis periculo exponens: ergo &c: Probatur ımptum; quia, licet certum non esset tales species esse in con- ione explicandas, vt minùs de eo dubium esset; ac ideò dicta icula, eas in confessione tacentem comitantur; *Qui verò amat iculum, peribit in illo*, vt probant omnes. Deinde, sicut ex eo, od probabile sit aliquid ad Sacramenti valorem & effectum icere, non statim sequitur (per se loquendo) licitum esse pro- ılitatem istam sequi, & illud, quod probabiliter tantùm suf- t, assumere ; sed, quod probabilius est & certius, sequendum & plectendum ; tum ne Christo iniuria fiat, aliud fortè ad Sa- menti valorem substituendo, quàm instituerit, & substituen- n sibi soli reservavit; tum ne irreverentia Sacramento irroge- . ei perfectionem suam materialem fortè negando, detruncã- &c. ita licet probabile foret species inadæquatas non esse in ıfessione aperiendas; non statim tamen sequeretur (per se lo- 89

 quendo)

quendo) licitum esse eas in confessione, sine alla legitima excusatione, reticere; ergo &c.

90 Dices 1. ex P. Vasquez 1. 2. *disp.63.cap.3.* & multis alijs; nulla Sacramento iniuria irrogatur, ex eo quod iuxta opinionem minùs probabilem tractetur: 1. quia prudenter creditur habiturum effectum: 2. quia vbi probabiliter, ac ideo prudẽter, creditur aliquid lege divinâ non prohiberi, si fiat, nulla fit iniuria Deo, licet oppositum probabilius sit: 3. quia, qui iure suo vtitur, etiam cum damno tertij, nemini præiudicat, ergo &c.

91 Resp. Negando assumptum; licet enim Sacramentum, cum creatura rationalis non sit, etiam non sit injuriæ propriè dictæ capax; est tamen parte aliquâ essentiali defectibile, ac sic iniuriæ cuiusdam latè sumptæ capax. Quamobrem ad primum Respondeo inde solũ fieri, vt excusetur Minister à culpa, & Reus, in confessione tacens species inadæquatas, à culpabili imprudentia; interea defectum Sacramenti non suppleri; neque propterea cessare obligationem species illas inadæquatas clavibus subijciẽdi; quia, tum obligatio hæc, tum materia Sacramenti, prudentiæ humanæ non est, sed Christi institutoris; quas proinde nequidem Ecclesia, & multò minùs prudentia humana, supplere possit, vt omnes fateri tenentur. Ad secũdũ autem, Respondeo esse disparitatem; quia vbi Deus aliquid tantùm prohibet, ne malè fiat, satisfit, si prudenter fiat; nam quod prudenter fit, non malè fit; nec per illud proinde Deo vt sic præcisè prohibenti vlla iniuria fit; si verò prohibeat aliquid, ne aliud invalidè fiat, non est satis, si prudenter fiat; quia licet, vt diximus, prudentia hæc à malo, seu peccato excuset; id quod tamen ad valorem illius necessarium esse supponitur, non supplet. Ad 3. quod est D. Caramuelis *suæ Theol. fund. 1. p. n. 285.* Respondeo falsum supponi, videlicet aliquem, extra casum prẽponderantis necessitatis, habere posse ius ad Sacramentum nullitatis periculo exponendum; sicut enim falsum est, extra casum illũ, aliquem ius habere ad mutandum certam materiam ad valorem Sacramentorum à Christo institutam; ita & aliquem ius habere ad Sacramenti materiam istiusmodi mutationis periculo, extra casum præponderantis necessitatis, exponendum.

92 Dices 2. ex D. Claudio Libero apud Caramuelẽ *eiusdem Theol. fund. p. 2.*

nd. p. 2. Epist. 2. *Alioquin Concilium præcepisset rem valde difficilem, intellectui paulò hebetiori quasi impossibilem; cum quævis minutissima ficiat ad eam,* puta speciem inadæquatam, *constituendam differen-t; quod dicere durum videtur.* Ergo &c.

Respondeo, res difficilis sit aut facilis,& intellectui paulò he- 93
tiori quasi impossibilis aut possibilis; totum sequitur ex absur-
hipothesi, vt dubio 3. vidimus, *quod in moralibus dentur species
dæquatæ;* ex absurdo autem gratis concesso, absurdum sequi,
surdum non est; sed plerumque necessarium: deinde inconve-
ens illud, quod à posteriori est dumtaxat, non probat Conci-
tale præceptum non esse; sed potius modum esse perquiren-
m insinuat, quô ei moraliter satisfiat; nec certè video ab his
identini verbis; *Oportet à pænitentibus omnia peccata mortalia, quo-
n post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione re-
feri*, excipi inadæquatas peccati mortalis species; præsertim
m peccata mortalia sint; nec difficile, & multo minùs impos-
ile, sit, in confessione recensere peccata, quorum post diligen-
n nostri discussionem conscientiam habemus: nam conscien-
illa supponit perfectam mortalium, secundùm numerum &
ciem, notitiam, &.quæ vt sic perfectè noscuntur, verbo *centies,
lies &c.* quoad numerum in confessione recenseri possunt; quo-
speciem verò non plus debent distingui, quàm conscientia &
moria ferant. Quod autem D. Claudius addit, *Cum quævis mu-
issima sufficiat ad speciem incompletam constituendam differentia*, Nil
stat; quia cum differentia numerica sit illa minor, ad illam
nùs, quàm ad hanc requiritur; & tamen extra controversiam
, quod oporteat in confessione recensere mortalia, quorum
nscientiam habemus, sòlô numerô distincta. Deinde manet,
od, hoc inconveniens sit à posteriori tantùm, quod prioris
stentiam non tollit, sed supponit.

Dices 2. ex D. Caramuele *in Quæstione sua sæpè citata n.* 7. quod 94
probat D. Claudius Liberus *Epist.* 2. supra. *Vbi lex habet duos sen-
benignior vsurpari potest & solet; nec aliquis admittere severiorem te-
ur:* sed benignior est sensus, quô dicitur non oportere species
completas in confessione explicare, ergo &c.

Respondeo 1. distinguendo maiorem, vbi lex habet duos sen- 95
æquè receptos, cæteris paribus, benignior vsurpari potest,
concedo

concedo maiorem: vbi lex habet duos sensus, quorum vnus est receptus, & alius reipsâ nullus & inauditus, si hic benignior sit, vsurpari potest, nego maiorem; quia alioqui, cum lex non sit, cui talis sensus affingi non possit; non esset lex, cuius obligatio & genuinus sensus eludi non posset, vt consideranti patebit.

96 Respondeo 2. distinguendo maiorem, vbi lex generaliter, siue secundùm sensum genericum, loquitur, & habet duos sensus specificos, benignior vsurpari potest, quasi alterô tantùm loqueretur, nego maiorem; quia cum ab vtroque propriè participetur, prout genus à speciebus, de quibus in quid prædicatur, vtrôque sensu obligat: & habet duos sensus genericos, cæteris paribus, concedo maiorem; sed hinc nil contra nos; quià lex Tridentini (de qua dubium procedit) de specie peccati generaliter loquitur, prout de specie completa & incompleta, tamquam genus, prædicatur, idest incompletè, & non vt tota essentia, vti in Logica probauimus.

97 Respondeo 3. D. Caramuelem falsum supponere, videlicet benigniorem sensum legis, de quâ ipse Caramuel, esse quod species incompletas non oporteat confiteri: quasi verò, præsenti rerum prouidentiâ perseuerante, benignius sit non confiteri, quàm confiteri: attendendum enim confessionem non esse pœnalem, sed valde favorabilem; cũ per illam in Tribunali Sacramentali Reus non ligetur, sed liberetur; licet oppositum contingat in Tribunali Ciuili. Quidquid tamen sit, ne in confessione species inadæquatæ reticeantur, cum supra probatum sit, illas esse peccata mortalia, & Trideninum definiat, mortalia secundùm numerum & speciem, quam propriè participant, confitenda, cautum est.

98 Instabis tamen ex eodem *ibidem* (quod similiter D. Claudius approbat) his verbis, *voces accipiendæ sunt eâ significatione, quâ proferuntur: at Patres noluerunt agere de specie incompleta. illâ die, ergo nos non debemus illud nomen* species *accipere pro specie incompleta: Probatur minor; quia nihil volitum, quin præcognitum; at Patres non cognoscebant species incompletas; ergo. Minorem probo; quia specierum completarum & incompletarum distinctio videtur Concilio Tridentino recentior: non enim apud Antiquos reperitur: vel dato veteres Theologos, aut Philosophos, qui de speciebus inadæquatis & completis disputaverint.* Ergo &c.

99 Respondeo 1. dissimulando totũ: sed, præterquàm discerem lubenter

lubenter, quomodò D. Caramuel velit esse benigniorem Tridentini sensum, quem hîc dicit (saltem æquiualenter) à Patribus Tridentini, nec volitū, nec prçcognitum; inde, non tam sequitur species incompletas non esse in confessione explicandas, quàm eas moraliter nō dari, prout reipsâ, iuxta Resolutiones *dubij præcedentis*, non dantur.

Respondeo 2. Eas præviderint in se & explicitè, vel non; eas 100 tamen confusè prævidisse in *specie*, quam definivêre confitendā, negari non potest; hoc autem abundè sufficit; quia, cum definierunt peccatum mortale esse secundùm numerum confitendum; omne mortale, etiam in se & explicitè, non prævidisse, nemo sapiens inficiatur, & tamen sufficit ac confiteri oportet: deinde solutio patet ex præmissis *n.* 83. in fine.

DVBIVM V.

Vnde actus morales sumant suam moralitatem.

D. CARAMVEL.

Suæ Theol. fund. p. 1. num. 319.

E*St hodiè celebris in Europa illa quæstio, quæ inquirit*, An actiones, 101 quæ malæ dicuntur, prohibeantur, quia malæ; an potius sint malæ, quia prohibitæ ? *Ante omnem humanam prohibitionem, omnes illas, quæ militant contra Decalogum, esse malas, est certum. An & ipsæ malæ sunt independenter ab omni lege Diuina? Asserit D. Thomas; asserunt Patres Dominicani, & omnes, qui Angelico præceptori subscribunt. Negat Doctor subtilis; negant cum illo Patres Franciscani, & cum ipsis Scotistæ vniuersi. Et ego, quia generosissimè de meo Deo sentio, Scotistis consentio, & ante positiuum Dei præceptum, nullum peccatum, aut culpam mortalem, vel venialem admitto. Vide meæ Theologiæ moralis* n. 1019.

Si quæras an Deus dispensare possit in Decalogo? & *si possit, an non solū* 102 *possit contradictoriè, sed & contrariè? remittā te ad ejusdem Theol Moral.* lib. 2. c. 3. disp. 6. n. 1160. *Vbi à ratione rem expedio*, ad disp. 7. n. 1196. & disp. 8. n. 1216. *Vbi Scoti Doctrinam, Bernardi testimonijs cōfirmo; dicamq;* Deū in omnibus dispensare contradictoriè posse, &

 in ali-

in aliquibus etiam contrariè. *Et quia hæc omnia fusissimè* in lib. citato *pertracto, non est, cur molestus Lectori sim eadem rescribendo. Subscribo Scoto* in 3. dist. 37. q. 1. §. hîc dicitur & seqq. *Okamo* in 2. q. 19. ad 3. dub. *Petro de Aliaco* in 1. dist. 14 *Andreæ de Castro novo* in 1. dist 48. q. 1. art. 1. *Gersoni Alphabeto* 61. lit. E & F. *Gabrieli* in 3. dist. 37. q. 1. art. 2. *Almaino* 3. Moralium cap. 15.

103 *Vt ostendam hanc esse omnium Patrum Franciscanorum opinionem* in Theol. Moralis lib. 2. cap. 3. disp. 6. n. 1187. *Sic aio (in Comitijs Provincialibus Patrum Franciscanorum, quibus Lovanij Anno* 1643. *præfuit Reverend. P. Marchantius, vir multis titulis illustris, nonnisi pura doctrina Scoti defensa, die* 13. *Iulij Præside P. Simone Iordens (tum Provinciali electo) erat Thesis* XX. Naturalis lex non est ipsa natura; sed actus divinæ voluntatis, quô per impossibile sublatô, nullum restat peccatum contra legem naturæ. Aliqua naturæ lex complectitur materiam absolutè necessariam, aut contrariam creaturæ rationali; alia non item. Hæc à Deo solo; à nullo illa dispensabilis. *At sequenti die, præside P. Antonio Oudenhoven, fuit Thesis* IV. Ex præceptis Decalogi duo priora primæ tabulæ, si intelligantur tantùm esse negativa (*hoc est nullum actum præcipientia; sed solùm odium Dei, blasphemias & periuria vetantia*) sunt legis naturalis strictè. De 3. præcepto, videlicet sanctificatione Sabbathi, quatenus positiuum Dei cultum præcipit, dubitat Scotus, & nos cum illo. Cætera, exceptô illô, quod vetat mendacium, sunt tantùm legis naturalis largè, adeoque in rigore juris positivi. In his Deus dispensare potest, non verò in illis. In nullis Pontifex, aut alius purus homo. *Et Thesis VI.* Etsi verò implicet hominem cum vsu liberi arbitrij creari, quin etiam præfixam sibi habeat legem naturalem; si tamen per impossibile, Deus non præcepisset ea, quæ sunt legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licèt sciret quis se agere contra naturalem honestatē. *Volui citare has Theses, vt Lectores cognoscant, quas sententias Schola Lovaniensis admittat, & tota Subtilis profiteatur. Non enim videtur credibile, in Provincialibus tanti Ordinis Comitijs, Marchantio virô doctissimô, & Scoticæ Doctrinæ defensore acerrimô, totius Belgij Patribus præsentibus, Doctrinam contra Scotum, sub nomine Scoti, potuisse sine contradictione defendi.*

AVTHOR

AVTHOR.

Dom. Caramuel hîc, multâ authoritate munit ſententiã, pleriſque ingratam, moralem videlicet bonitatem & malitiam actuum noſtrorum non eſſe ante poſitivum Dei pręceptum; ac ideò, quod hic ſit bonus, ille malus, in legem Dei poſitivam eſſe referendum : mihi autem pro & contra graves occurrunt difficultates. Et quidem 105

Pro illa Scotiſtarum ac D. Caramuelis prius negante, & poſterius affirmante ſententia: occurrit, 1. Quod alioqui bonitas (& ſic de malitia) actuum noſtrorum & Dei moralium, ſumi debeat ab objecto creato aut creabili; quaſi verò priùs ſit hoc eſſe bonũ, quàm illos eſſe bonos, quod dici non poteſt; quia, ſi ſine errore dici non poſſit, objectum hoc eſſe prius ſecundùm eſſe, quàm ſint Dei actus morales ſecundùm eſſe; non eſt quomodò dici poſſit, objectũ hoc eſſe prius ſecundùm bonitatem, quàm ſint Dei actus morales ſecundùm bonitatem : videtur enim ſervanda proportiò, cum eôdem modô ſe habeat *bonitas actuum* ad *bonitatem*, quô *eſſe* ad *eſſe* eorum. 106

Secundò: quod Deus alioqui abſolutè minus velle poſſit, quàm abſolutè producere phyſicè poſſit, v.g. actum odij ſui; ſi tamen actum hunc abſolutè velle poſſet, & non poſſet abſolutè producere phyſicè, meritò cenſeretur potentiâ phyſicâ imperfectus. 107

Tertiò: quod ſimiliter Deus alioqui in lege poſitiua ferenda minus poſſit proportionaliter, quàm Dominus quilibet creatus; nam dominus creatus ſubditis ſuis quà talibus pręcipere vel prohibere poteſt omne id, cuius oppoſitum dominus ei ſuperior nõ præcepit vel prohibuit; id autem non poſſet Deus; quia licèt nullus ei Superior Dominus odium Dei, hæreſim, blaſphemiam, mendacium &c. prohibuerit; tamen hæc lege poſitiuâ præcipere non poſſet: item nullus Deo ſuperior amorem Dei aut cultum, veriloquium &c. præcepit, & tamen hæc lege poſitivâ prohibere non poſſet; quod videtur primum omnium Legiſlatorem tollere, vti primam omnium cauſam phyſicam tolleret, quod Deus minus phyſicè cauſare poſſet, quàm quælibet creatura cauſare phyſicè poſſit. 108

109 Quartò: quod independenter ab apprehensione nostra, ratio adferri non possit, cur Deum sui odium creatum præcipere, sic sit contra eius bonitatem; præcipere hæresim, sic contra ejusdem veracitatem &c; vt hæc absolutè præcipere non possit; & tamen Deum Osææ fornicationem præcipere, Israëlitis furtum, Abrahamo filicidium &c. sic non sit contra eius castitatem, justitiam, mansuetudinem &c. vt hæc absolutè præcipere possit, prout plerique valde probabiliter post Scotistas docent: attamen Deus non magis vnum ex suis attributis, quàm aliud infringere potest; & aliunde apprehensio nostra, cum cœca sit, præsertim post originale contractum, id sufficienter non evincit, quamdiu cœcę isti apprehensioni, supremū alioqui, Dominium Dei, ac legislativa juris altissimi potestas non subijcitur, vt plus non possit, quàm ipsa dictet. Pro opposita verò, & receptissima extra Scoti Scholam sententia,

110 Contra eamdem etiam occurrunt: 1 quod alioqui odium Dei creatum, hæresis, blasphemia, perjurium, mendacium &c, per Deum absolutè fieri possent licita; & è contra, amor Dei, cultus, fides &c, illicita, quæ in mente nostra horrorem, in moribus vitia, in fide tergiversationes per se causare videntur.

Secundò: quod in illa sententia dari non posset ratio, cur Deus amorem sui, & non odium; eleëmosynam, non furtum &c. lege suâ positivâ præceperit, præter purum ejusdem beneplacitum; quia bonitatem aut malitiam objecto intrinsecam non agnoscit, à qua sola aliunde peti debet.

111 Tertiò; quod Deus, antecedenter ad legem suam positivam, tam esset odibilis, quàm amabilis; tam contemptibilis, quàm laudabilis &c; quia objecti cujusque bonitas vel malitia moralis, in sentētia ista, ab ejus lege positiuâ petitur: hoc verò & illud 2. sup. asserere, est malitiam, imperfectionē &c. Deo intrinsecam, quod absit, præsupponere, vt patet; ac sic, Deum ipsum tollere.

112 Quartò: quod, si nec Deus, nec principes, creaturæ rationali legem positivam dedissent, hominem occidere, furari, fornicari, imò & Deum odisse, blasphemare, mentiri &c, non esset moraliter malum, sed moraliter actus indifferens; quod est contra omnium, etiam Atheorum, apprehensionem naturalem. Sed allatis pro & contra solidis rationibus.

131 Petes, quid ego desuper sentiam? Respon-

Respondeo, salvô meliori judiciô, viâ mediâ incedendum, sic nempe, vt dicamus nullius nostrorum actuum bonitatem aut malitiam esse ante legem Dei naturalem; bonitatem tamen aut malitiam illorum, qui hâc lege præcipiuntur aut prohibentur, esse ante omnem legem Dei positivam, seu ejusdem positivum præceptum. Pro quo tamen

114 Notandum, quod Lex naturalis Divina, sit dictamina Dei inseparabilia; Divina verò positiva, ejusdem dictamina separabilia, id est, quæ abesse potuerunt., & eorum opposita adesse: Lex autem naturalis humana, hominis dictamina inseparabilia, per modum typi, imaginis aut indicis exprimentia, significantia, aut indicantia id, quod lex Dei naturalis statuit, per hoc quod idipsum esse à Deo indispensabile repræsentent; vel certè id, quod lex Dei positiva præscribit, per hoc quod idipsum esse à Deo dispensabile representent, iuxta illud Gersonis p. 3. *tract. de vita spirit.* Lect. 2. corrol. 5. *Lex naturalis preceptiva est signum inditum cuilibet homini, non impedito in vsu rationis, & notificativum voluntatis Divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum vel non agendum, per consecutionem sui finis naturalis.* Cui consonat D. Thomas 1. 2. q. 91. art. 2. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Psal. 4. *Cui quæstioni respondens dicit: signatum est super nos, lumen vultus tui domine, quasi lumen rationis naturalis, quô discernimus, quid sit bonum, & quid malum; nam, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud est, quàm impressio Divini luminis in nobis.*

115 Ratio autem nostræ Responsionis pro 1. parte, sumitur 1. ex ratione 1. in favorem sententiæ D. Caramuelis à nobis n. 106. allata: 2. ex eo, quod alioqui ratio naturalis creata per se primò constitueret bonitatem aut malitiam; cum tamen ipsamet dictet omne, quod creatum est, bonitatem aut malitiam à lege Dei primi Legislatoris naturali, aut positiva, præcipiente, aut prohibente, sumere debere: iuxta 2. & 3. rationem, 3. ex authoritatibus in Confirmatione Resolutionis dubij, infra citandis.

116 Nec tres aliæ, in ejusdem sententiæ favorem allatæ, obstant: non secunda; quia Dei intellectus, voluntas efficax & potentia objecto differunt; nam intellectus attingit, etiam impossibilia; voluntas efficax, solum bonum; potentia solum possibile, tam malum, quàm bonum, vt omnes fatentur; vnde, sicut, sine ab-

 surdo,

ſurdo, admittitur, quod potentia Dei minus poſſit, quàm intellectus repręſentet; ita quod voluntas Dei efficax minus velit, quàm potentia poſſit:non etiã tertia;quia per nos Deus lege ſuâ, aut naturali, aut poſitivâ poteſt omnia præcipere aut prohibere: nec quarta denique; quia apprehenſio illa,cum ſit penè omnium extra Scoti Scholam, Theologorum, quoad Dei odium, hæreſim, blaſphemiam, mendacium &c, non quoad fornicationem, furtum, homicidium &c, in moralibus ſufficientem arguit diſparitatem; quia in his potiſſimùm ſpectatur authoritas.

117 Pro 2. autem parte, ratio patet; quia naturalis poſitivam immutabiliter præcedit; hincque vitantur omnia abſurda contra ſententiam Scotiſtarum ac D. Caramuelis à nobis à num. 110. allata.

APPENDIX I.

D. CARAMVEL.

Suæ Theol. fund. p. 1, n. 1171.

118 *SVppono, eſſe communem & probabilem opinionem Scoti, quæ docet deciſionem ſeminis extra-matrimonialē,ideò eſſe mortaliter peccaminoſam* (n.b.)*quia à Deo interdicta fuit; adeoq́, ſi per impoſſibile non interdixiſſet illam Deus, non fore peccatum. Suppono, eſſe etiam communem & probabilem opinionem contrariam, quam Angelicus Doctor & omnes Thomiſtæ defendunt, videlicet, eamdem deciſionem ſeminis,præſcindendo ab omni Divino decreto & præcepto,eſſe malam ſecundùm ſe & peccaminoſam mortaliter.*

119 *Dico hanc opinionem D. Thomæ eſſe probabiliſſimam; quis enim ita eſſet audax & temerarius,qui integræ Scholæ dogmata improbabilitatis condemnaret? Cæterum, ſtando nudæ rationi, non auderem hanc D. Thomæ opinionem nominare probabilem: ſunt enim objectiones nonnullæ, quibus reſpondere non ſcio; & inter alias hæc, quæ ſequitur.*

120 *Fornicatio, inquam, mortiferum peccatum eſt, etiam quæ à ſolutis commiſſa: at ſi ſtaremus D. Thomæ principijs,deberet interdum eſſe licita: ergo Scoto debemus conſtare, & dicere fornicationem ex ſe, nec malam, nec bonam eſſe; ſed indifferentem: eſſe nunc malam; quia à Deo interdicitur; fore bonam, ſi præciperetur; & bonam fuiſſe, ſi quando à Deo præcepta fuit. Porrò D. Thomas* 2.2. q. 154. art. 2. in corp. *probat fornicationem eſſe peccatum,*

peccatum,sic: quia,quod est contra ordinem naturæ, peccatum est; at contra ordinem naturæ est, quod filij bene non educentur; ergo ita illos generare, vt non bene educentur, peccatum est : sed qui extra matrimonium generantur, non bene educantur ; ergo matrimonium est de jure naturæ ; ergo omnis vagus concubitus militat contra jus naturæ. *Respondeo non tam concedendo , quàm condonando totum syllogismum priorem, & negando minorem subsumptam; video enim nonnullos legitimos malè educari ; nonnullos illegitimos bene: adeoq; assero subsumptum D. Thomæ vniversaliter acceptum esse falsum. At S. Doctor hanc responsionem art. citato prævidit, & idcircò subiunxit:* Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione ; quia id , quod cadit sub legis determinatione , judicatur secundùm id , quod in aliquo casu potest accidere. *Et tamen ego non video , quô D. Thomas modô suam opinionem defendat.*

Primò enim falsum est filios illegitimos malè educari; qui enim ab adultera habiti, inter legitimos nutriuntur, educanturque : qui à soluta, exponuntur, communiter à Republica curantur: dantur enim in Civitatibus Xenodochia , in quibus ejusmodi infantibus & puellis , de omnibus necessarijs providetur. 121

Secundò , si hæc ratio sufficeret , pauperes & mendici non possent matrimonia contrahere; quia ipsi, communiter loquendo , malè educant filios; carent enim medijs, vt illis magistros procurent , scientiâ vt instruant , authoritate vt corrigant. 122

Tertiò , vt demus illegitimos filios communiter malè educari , & legitimos communiter been : rationem & responsionem D. Thomæ resumo, & contra suum Authorem retorqueo. Sic, inquam. Finis & ratio formalis legis interdicentis vagos concubitus , teste D. Thomâ , cessat aliquando per accidens , non in communi , sed in particulari. At probabile est legem,quando eius finis & ratio formalis cessat per accidens in casu aliquo particulari, cessare & obligationem legis pro eodem casu: ergo quando ratio formalis & finis legis,quę vagos interdicit concubitus,cessat per accidens in aliquo casu particulari . tunc probabiliter cessabit obligatio illius legis. *Major evidens est, est enim obvia, & qui dubitet , relegat textum D. Thomæ : minor est evidens, vel qui dubitet, legat Dianam* p. 1. Tract, 10. resol. 27. & 28. (*Noto te aliqua æquivocatione laborare : nota bene , quæ dico. In* 123

majori & minori positiones modales assumo : quidquid enim sit de dicto majoris, est evidens illud teneri à D. Thoma ; & quidquid sit de dicto minoris, est evidens illud esse probabile) ergo oritur esse evidens consequens, nimirum probabile est fornicationem, si provideatur proli, non esse peccatum mortale. *At fornicationem esse peccatum mortale, non jam probabile, sed certum est; & tamen hæc certitudo à D. Thoma, nec probatur, nec probari potest; sed à solo Scoto demonstratur: ergo deserere Thomistas debemus, & cum Scotistis dicere, omnem fornicationem esse graviter malam, quia omnem interdixit Omnipotens; ejus enim est imperare, & hominum illi obedire. Sic discurro, & aliquem audire Thomistam benè respondentem ab annis plurimis desideravi.*

A V T H O R.

123 Miror D. Caramuelem, tam abjectè hîc de tanto ac Angelico Doctore sentire, vt *n.* 118. dicat se, *stando nudæ rationi, non audere istam D. Thomæ opinionem nominare probabilem ; quia sunt objectiones nonnullæ, quibus se non scire respondere* ait. Deinde *n.* 119. quod *si staremus D. Thomæ principijs, fornicatio deberet interdum esse licita.* Item *se non videre, quô D. Thomas modô suam opinionem defendat.* denique *n.* 122. *certum est fornicationem esse peccatum mortale, & tamen hæc certitudo à D. Thoma, nec probatur, nec probari potest.* Quis vnquàm audivit Angelicum Doctorem ita explodi, præsertim in eo, in quo à Scoti sententia, quam Caramuel amplexatur, penè omnes Doctores vt D. Thomæ adhæreant, recedunt? Interea à ratione, ad quam appellat,

124 Contra est; quod sententiæ communis Theologorum, & multò minùs Doctoris Angelici, probabilitas pendere non debeat ab vna à Caramuele objectionibus data solutione; non enim omnes thesauri sapientiæ humanæ sunt in vno Caramuelis cerebro reconditi: deinde quænam sunt illæ objectiones, quibus D. Caramuel respondere non scit? Hæcne, *quod, si staremus D. Thomæ principijs, fornicatio deberet interdum esse licita, vbi scilicet, non esset periculum malæ educationis prolis?* An quia D. Caramuel non scit hanc objectionem solvere, non scit nobilissima D. Thomæ Schola, quæ quàm plurimis fulget præclarissimis ingenijs?

Isti

Isti objectioni imprimis (quidquid D. Caramuel) abundè satisfecit D. Thomas; 1. hæc premittendo, *fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus.* Non enim periculum malæ educationis est post partum dumtaxat, contra quod solùm militant Caramuelis exempla; sed & ante partum, dum Pater & Mater cōmuniùs vellent fermentatum semen resolvi, fœtum suffocari, abortum gigni &c. 2. etiam respondendo: non quidem, *quia id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere.* (hîc enim est manifesta falsificatio textus, errore Typographi, vt credo, non malitiâ D. Caramuelis:) sed, vt textus habet, *quia id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundùm id, quod communiter accidit, & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere.* Attentô autem periculô malæ educationis, quod est ante partum, illud non cessat, nisi in casu particulari, propter quem non cessat lex obligare: quia, cum finis legis non sit respectu casus particularis, sed communis; & maneat obligatio manente fine legis, nisi aliunde per legislatorem irritetur; nunquam cessat in casu particulari: quæ videtur Doctrina D. Thomæ, tum *locô* paulò ante *citatô*; tum 1. 2. *q.* 96. *art.* 1. Argumento, *Sed contra est, quod Iurisperitus dicit, quod iura constitui oportet in his, quæ sæpiùs accidunt: ex his autem, quæ fortè vno casu accidere possunt, iura non constituuntur.* Vnde ex istis, ego clarè video (si D. Caramuel non videat) quô D. Thomas modô suam opinionem defendat. Sed de his ex professo contra eumdem Caramuelem *dub.* 18. 124

APPENDIX II.

D. CARAMVEL.

Suæ Theol. fund. p. 1, n. 1176.

TE, Thomista, alloquor & interrogo, Annè pollutio sit peccatum mortale? Respondes affirmativè, & bene. At subpeto, cur peccatum sit, & respondes malè. Quid est semen? sudor, spuma, lac, sanguis, excrementum (sic loquuntur Philosophi doctissimi; nec tu demonstrabis contrarium; imò sic multi etiam Thomistæ) ergonè ante omnem Dei prohibitionem est malum ex natura rei sudare, spumare, minuere lac, paucas sanguinis guttas 125

F emittere,

emittere, aut corporis excrementum egerere? non intelligo. Ergo ad te converto oculos Scotista, & cur pollutio sit peccatum interrogo, & respondes phlebotomiam esse licitam; quia non fuit interdicta à Deo, & si Deus lege latâ inhiberet sectionem venæ, debere hominem potiùs mori, quàm venam secare. Transis ad pollutionem, & ais, eiusmodi decisionem seminis (sive seminis nomine intelligamus sudorem, sive spumam, sive lac, sive sanguinem, sive excrementum) ex natura rei & ante omne Dei præceptum non esse mortaliter malam. Addis, quod eadem non esset hodiè peccatum, nisi Deus illam interdixisset. De facto Deum illam vetuisse asseris, & ideò esse mortale peccatum, & debere potiùs hominem mori, quàm pollui (nempe etiam in casu, quô laboraret seminis abundantiâ, nec aliter posset mortem evitare, quàm si semen emitteret) & hoc ego profundissimè intelligo. Standum igitur ab Scoto est, & dicendum D. Thomæ Doctrinam fortissimè arietari, cum agimus de materia venerea.

126 *Annè est defensabilis D. Thomæ Doctrina? Si dicatur semen esse sudorem, spumam, lac, sanguinem, aut aliud qualecumque excrementum, & ponatur non dari Divinum præceptum, quod pollutionem interdicat; nō scirem defendere pollutionem esse peccatum; nec tamen dicam indefensabilem esse Theologicam Angelici Doctoris sententiam; possemus enim dicere semen esse integralem hominis partem, sicut manum aut brachium, & esse rationi absonum partes integrales excidere.*

127 *Si dicas has posse excidi ob conservantiam totius, & inferas pollutionem in eo casu esse licitam, quo esset totius hominis conservationi necessaria, urgebor; & ut bene respondeam ab aliquo Thomista iuvabor; qui ergo Doctior me sit, dignetur huic observationi respondere, quin recurrat ad Doctrinam Scoti.*

128 *Thomistas æquè ac Scotistas torquet hæc sequens ratio; & debet habere solutionem claram & manifestam, ne dicatur incertum esse, quod supra omnem quæstionis aleam esse verum tenemus. Sic discurro. Pollutio ideò est peccatum, quia est seminis ad prolem ordinati infœcunda decisio; sed hæc ratio non sufficit: ergo. Probatur minor; proximior est proli fœtus ipse, quàm semen: at fœmina, quæ vel deberet mori, vel embryonem, aut fœtum emittere, potest, Theologorum consilio, contra embryonem, contra fœtum (imò etiam contra ipsum infantem animâ rationali præditum) sicut contra invasorem, procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ; & datô casu, quod aliter nequeat vitam servare; illius emissionem directè & positivè procurare, & eumdem de facto etiā emittere. Ergo à fortiori poterit directè & positivè*

procurare

procurare emißionem seminis in casu, quô illud inuadat hominem, & iste nequeat se conservare aliter, quàm semen superfluum decidendo. Nec hinc volo tantùm sequi posse semen corruptum emitti; quia argumentum æquè probat de non corrupto, vivo & sano; nam aliqui seminis corruptione, & alij laborant incorrupti abundantiâ. Ergo ratiocinij propositi solutionem expecto.

Multa de mollitie Sacræ litteræ severa, & notatu dignißima: sæpe enim molles, viros sanguinũ *dicunt, quod impedire generationem sit quodammodò hominem interimere. At peto, cur mollitiei peccatum tam enorme sit, & tamen concubitus cum gravida aut vetula, in quo æquè impeditur generatio, toleretur? Si dicantur naturales actiones secundùm se consideratæ, nec bonæ, nec malæ esse, & tota earumdẽ malitia ab interdictione pendere; quod Scoto placuit, & hodiè à Doctißimis viris defenditur; cessabit quæstio: stante enim rationis paritate, aut etiam identitate, dici poterit mollitiem à Deo interdici, & matrimonialem copulam cum gravida, aut vetula permitti: hanc fore illicitam, si Divinitùs interdiceretur; illamque fore licitam, si permitteretur.* 129

At audire Thomistas vellem; ipsi enim ante omnẽ Dei interdictionem mollitiem esse malam contendunt, & deberent damnare omnes matrimoniales copulas, quæ sine probabili generationis spe solent haberi; cum igitur non poßint damnare has, nec dicere mollitiem esse licitam; videntur debere deserere Angelici Doctoris fundamenta, & Scoticæ Opinioni subscribere, & dicere moralem omnem peccatorum malitiam ab interdictione Dei pendere, Deoque per impoßibile nihil interdicente, nullum peccatum ab hominibus committi posse. 130

AVTHOR.

IN sententia quidem Scoti, quam cum D. Caramuele hîc ex parte, iuxta dicta n. 113. supponimus, ratio manifesta est, cur pollutio & seminis voluntaria effusio, quôcumque casu extra matrimonium, sit peccatum mortale, videlicet *quia Deus graviter prohibuit*. At si à D. Caramuele huius rationem quæram; sufficientem dabit, aut ignorabit? Si primum; adferat illam, & ego illam ipsam proferam tamquam rationem, in qua, iuxta Thomistas, lex naturæ istiusmodi fundetur: Si secundum, eôdem jure, motivi legis naturæ ignorantiam, quô D. Caramuel Dei positivæ præ- 131

textabunt ipsi. Rationes tamen Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 17. *n.* 16. & aliorum, quas hic producit, Thomistas ad hoc effugium non premunt; quia, vt solutionem dent, quam se nu. 128. expectare ait, Respondere possunt; 1. quod, si fornicatio sit peccatum mortale ob malam prolis educationem iuxta præmissa n. 123. à fortiori ipsa voluntaria seminis effusio sit tale; cum ipsa, vtpote prolis futuræ plerumque enecatio, sit malâ prolis educatione pejor, dum præstat prolem malè educare, quàm enecare. 2, attentô jure naturæ non esse quidem malum sudare, spumare, minuere lac, paucas sanguinis guttas emittere, aut excrementum corporis egerere, extra pollutionem; secùs in pollutione, & cum vehementi corporis delectatione, ex qua, si extra concubitum matrimonialem aliquô casu licita censeatur, prudenter timeri possit, ne ad alios casus, cum totius speciei præjudicio, cõmuniter extendatur; quia autem aliunde, ex præmissis nu. 124. iuxta D. Thomam, *Id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundùm id, quod cõmuniter accidit, & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere.* Iuxta eumdem, quôcumque casu voluntaria seminis effusio, prout fornicatio extra matrimonialẽ concubitũ, est mortale peccatũ. Quid igitur D. Caramuelem movet, vt tam facilè n. 125. inferat, *standum igitur ab Scoto est, & dicendum D. Thomæ Doctrinã fortissimè arietari, cũ agimus de materia venerea*; & vt n. 126. quęrat *Annè sit defensabilis D. Thomæ Doctrina?* quasi verò sapiens videri possit, qui dubitat an Roma extet, vel an D. Thomas defendi possit, in eo, quod Scholæ Thomistarum & Societatis sapientissimę in dies ipsum defensant: apagè dubia similia; maximè, cum ratio, quâ D. Caramuel n. 127. ad dubitandum movetur, & vrgetur, inquit; nimiam dubitantis facilitatem satis insinuet: facilè enim responderi potest consequenter, non esse rationi absonum partem integralẽ corporis, quomodocumque excidere; secùs cum vehementi corporis delectatione, ex qua &c, vt paulò ante diximus; neque alius ad Doctrinam Scoti necessarius est Thomistis, pro solutione, recursus.

132 Casus autem, de quo D. Caramuel n. 128. non ideò *Thomistas, æquè ac Scotistas torquet;* quia *ratiocinij* à se ibidem *propositi solutionem expectat.* vt notaui n. 124. Nam, disparitate allatâ inter embryonis, fœtus &c, emissionem, in eo quod hæc, cum molesta valde sit,

de fit, cum dolore & horrore fiat; & feminis emissionem, quod hanc vehementissima delectatio comitetur (vnde ex hac est periculum, de quo statim n. 131. propter quod ipsa omni casu jure naturæ prohibita censetur; secùs ex illa, propter quod è contra jure naturæ & positivô, certis casibus, licita habetur,) Casus *habet solutionem claram & manifestam*, & quam D. Caramuel fortè non *expectat*.

Casus denique n. 129. allatus minus habet difficultatis quàm præcedentes: quia (præterquàm, sicut ex præmissis fornicatio, subsistente inhibitionis illius naturalis fine in communi, qui est *mala educatio prolis vitanda*, cum quacumque puella est illicita; ita, inquient Thomistæ, copula matrimonialis, subsistente permissionis naturalis illius fine in communi, qui est *generatio prolis*, cum quacumque, aliunde servatis servandis, est licita) copula matrimonialis præter generationem prolis alios fines habet, quibus cohonestetur, videlicet, vt servetur fides conjugi, vitetur periculum incontinentiæ &c. iuxta illud Apostoli 1. ad Cor 7. *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum.* Et Gersonis in Compendio Theol. tit. de vitio in fine, quod sumpsit ex Confess. Bonav. p. 14. cap. 2. *Concubitus Matrimonialis assignatur triplex modus* &c. *Licitus fit tripliciter, vel scilicet causâ prolis ad honorem Dei & cultum: vel causâ reddendi debiti, dum exigitur: vel causâ fornicationis vitandæ.* Ita Authores communiùs apud Dianam 3. p. tract. 4. de Sacram. resol 216. Dum verò Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. vult esse *peccatum veniale*, si præcisè fiat ob duos postremos fines: per *peccatum veniale*, ipse intelligit aliquod non ordinatum ad vitam æternam, quod tamen licitè, seu cum venia fit; alioqui, cum Apostolus locô citatô dicat fieri *secundùm veniam*, seu *indulgentiam*, iuxta versionem vulgatam; & Augustinus libro de bono Coniug. cap. 10. addat, *quis ambigat absurdissimè dici non peccasse, cui venia datur?* Vellet Apostolum dedisse veniam ad propriè peccandum venialiter, quod absurdissimè diceretur. 133

RESOLVTIO

AVTHOR.

Circa principale Dubium n. 86. *Propositum.*

134 DIco, actus morales, radicaliter & vltimatè suam moralitatē à lege Dei præcipiente, consulente (si paulò latiùs sumatur) aut prohibente, accipiunt: à naturali quidem, si apprehendantur vt à Deo indispensabiliter boni vel mali; à positiva verò, si dispensabiliter; sic vt omnes sint boni, quia à Deo præcepti aut consulti; mali, quia à Deo prohibiti.

135 Probatur: quia prima pars omninò sequitur ex præmissis à n. 106. Secunda verò etiam ex præmissis n. 114. Nec certè apparet, à quo alioqui eam commodiùs acciperent: non imprimis ab objecto, tum ob præmissa n. 106. tum quia idem objectum modò est amoris, modò odij objectum; horum tamen actuum diversa est moralitas; nam amor in Deum tendens est moraliter bonus, & odium in eumdem tendens est moraliter malum; idemque proportionaliter dicendum de amore & odio peccati: neque etiam à natura creata rationali vt tali, dictante v. g. illud esse bonum, hoc malum, vt patet, tum etiam ex præmissis nu. 109, tum ex eo, quod dictamen huius naturæ non sit prima regula moralitatis, ob dicta n. 114. sed typus, imago, index &c, legis Divinæ, vt ibidem declaratum est, & fusiùs declarabitur in confirmatione sequenti n. 149. Ergo &c.

136 Obiicies tamen 1. si Deus invincibiliter ignoraretur, aut per impossibile non esset, remaneret idem hominis dictamen de non mentiendo, occidendo, furando &c, sive, vti P. Suarez de Legibus *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 14. Etsi Deus non prohibeat, vel præcipiat ea, quæ sunt de lege naturæ, nihilominùs mentiri est malum, & colere parentes bonum & debitum; ergo &c.

137 Respondeo, sive Deus invincibiliter ignoretur, sive per impossibile non sit, dictamina creaturæ rationalis, similis existenti, semper & immutabiliter fore typos, imagines & indices materiales legis Dei æternæ; cum id habeant ex natura sua, & peccatum quod-

quodcumque, siue materiale, siue formale, sit contra legem Dei materialiter vel formaliter, iuxta definitionem peccati, quam tradit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27.. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum, contra legem æternam.* Et illud Anselmi lib. de voluntate Dei, *quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.* Vnde ex parte assumpti nil contra Resolutionem: sed tantùm mendacium, homicidium &c, adhuc forè materialiter contra legem Dei, & hinc materialiter tantùm peccatum. Pater Suarez autem difficulter loquitur: quia, cum supponit nullam esse legem, tam naturalem, quàm positivam, naturæ increatæ; supponendo tollit, quod lex creata naturalis sit dictamina creaturæ rationalis. quæ sint typi, imagines & indices legis Dei æternæ, contra rationes & authoritates à n. 114. citatas. Deinde casus ille, tam est impossibilis, quàm creaturam esse, & non esse creatorem; legem secundariò obligantem esse, & non esse primariò obligantem, vt patebit ex authoritate D. Thomæ in Confirmatione citanda.

Instabis: ideo Deus peccatô offenditur, quia peccatum malum est; ergo prius est, quod malum sit, quam quod Deum offendat: ergo Deô, per impossibile, sublatô, adhuc remaneret peccatum. 138

Confirmabis 1. ex P. Oviedo 1. 2. tract.6. Cont.2. p.7. vbi sic habet, Dei offensam in omni peccato reperiendam existimo, etiamsi quis ignoret invincibiliter Deum existere; quia, etiam hâc ignorantiâ suppositâ; potest Deus de peccatore conqueri suam spreuisse gratiam: sanctisque cogitationibus restitisse &c; sicut enim Pater rationabiliter indignatur contra filium, propter furtum, aut mœchiam; tametsi filius indignationem illam incurrendi periculum non adverterit; quia equidem furtum, aut mœchia, filij, est de se digna tali indignatione; prout voluntas animam suam annihilandi, etiam sub dicta ignorantia, ex se annihilatione digna est; ergo &c. 139

Confirmabis 2. ex eodem ibidem, vt actus bonus sit vitæ æternæ de condigno meritorius, non requiritur expressa in Deum relatio; sed sufficit virtualis in tendentia ad objectum honestū inclusa; ergo vt actus malus sit dignus pœna æterna, non requiritur expressa notitia oppositionis cum voluntate divina; sed 140

sufficit

sufficit inclusa in cognitione oppositionis ad naturam rationalem: eadem ratio confirmatur, inquit, ex 1. ad Cor. c. 6. *Nolite errare, nolite fornicari; neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores* &c. *regnum Dei possidebunt.* Hic enim Apostolus exclusionem à regno adscribit his actionibus, nullô ordine ad Deum significatô: subdit autem idem Pater inferiùs, alioqui sequeretur posse fieri homicidia & adulteria sine gravi culpa, ex invincibili ignorantia, aut inadvertentia Dei, ergo &c.

141 Respondet ad Instantiam D. Caramuel *Theol. sua moralis lib. 2. disp.* 12. *n.* 1292. negando primum antecedens; *quia*, inquit, *ideo actus aliquis moraliter peccaminosus est, quia Deum offendit, non è contra: nam si Deum non offenderet, non esset peccaminosus moraliter: vnde, sublatô Deô, aufertur, quod Dei offensa sit, ac per consequens quod peccatum sit.* Ita ille: sed ibi sistendo, principium petit, vt consideranti patebit. Quare aliter

142 Respondeo distinguendo antecedens, ideò Deus peccatô offenditur, quia peccatum ex se intrinsecè, sive independenter ab omni lege Dei æterna, malum est, nego antecedens: quia extrinsecè, sive dependenter à lege Dei æterna naturali, aut positiva, prohibente, malum est, concedo antecedens: distingue proportionaliter primum consequens; ad secundum verò dic, tunc fore tantùm peccata materialia, prout dictamina nostra tunc solùm erunt typi, imagines & indices legis æternæ materiales, iuxta solutionem datam ad objectionem præcedentem.

Ad 1. Confirmationem

143 Respondeo 1. negando assumptum; quia illud mihi tam improbabile est, quàm peccatum esse voluntarium quoad circumstantiam invincibiliter ignoratam & nullô modô apprehensam: quod omninò negandum, ne liberum, quale debet esse peccatum, sine vlla cognitione; imò & peccatum sine voluntate, cum voluntas non feratur in incognitum; agnosci debeat.

144 Scio quidem aliquos velle ignorantiam illam, saltem in ijs, quæ sunt juris naturæ, fuisse in radice, sive peccato originali, vincibilem, ideoque hodiè non excusare à peccato: sed hinc gravia valde absurda sequi videntur: ac imprimis hodiè aliquem in illis mortaliter actu peccare posse, sine intellectu & cognitione, ac proinde

ac proinde etiam infantes, ebrios, amentes &c; quia in his sola ignorantia invincibilis libertatem & peccatum impedit; hæc autem, iuxta Authores istos, est in originali vincibilis, & ideò hodiè non excusat à peccato: deinde infinitas circumstantias, etiā juris naturæ, dum quis peccat, invincibiliter ignoratas, afficere & aggravare peccatum, de veniali in mortale transferre, prout facerent, si, dum quis venialiter peccat, notæ fuissent: denique ignorantiam hodiè malè dividi in culpabilem & inculpabilem alicuius juris naturę, aut circumstantię alicuius ad illud spectantis; & similia, de quibus alibi fusiùs.

Respondeo 2. ad assumpti probationem, Deum, ignorantiâ istâ invincibili suppositâ, posse quidem iustè conqueri de peccatore, quod gratiam & inspirationes sibi factas spreverit; non tamen quod illas *vt Dei* spreverit; quia hunc & has vt sic invincibiliter ignorauit, vt supponitur: si verò illas *vt Dei* nō spreverit, cur Deum potiùs, quàm alium offendit formaliter, & quidē peccatô, quod iuxta Trident. sess. 14. cap. 5. *Homines iræ filios & Dei inimicos reddere* debet? Exemplum autem patris & filij nō est ad rem; quia pater non videt clarè, vti Deus, filium suum invincibiliter ignorare periculum istiusmodi secuturæ indignationis; sed potiùs supponit filium id nosse, cum peccet contra legem naturæ & Dei, ad quam servandam tenetur filium impellere. Quod verò additur mœchiam ex se, sub ignorantia invincibili istiusmodi periculi, mereri indignationem patris, prout, sub eadem voluntas animā suam annihilandi, ex se hujus annihilatione digna est: etiam non est ad rem; quia hic non quæritur, quâ pœnâ dignum sit peccatum sub ignorantia invincibili &c, commissum; sed quā de factò à Deo legislatore annexam habeat; cum omne mortale, sub Dei cognitione commissum, peccatoris annihilationem, imò & pœnas æternas, sine vlla misericordia, statim infligendas mereatur; quas tamen de facto annexas à Deo non habet, vt fide & experientiâ constat. 145

Ad 2. Confirmationem

Respondeo etiam negando assumptum; quia nullus actus est vitæ æternæ meritorius, qui non sit ob finem proportionatum actui vitæ æternæ meritorio; is autem Deus est; non verò quivis indifferens & creatus, vt omnes fateri debent: vnde fit, 1. quod 146

nullus actus sit talis, qui ex prævio actu fidei circa Deum non sit, *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ad Heb. 11. Alioqui, cum *Deus non cognitus* & *Deus non existens* ad istiusmodi actus finem moralem eôdem modô se habeant, licèt Deus per impossibile non existeret, adhuc actus ille vitæ æternæ meritorius esset; quô tamen retributore? Nescio; aut certè quicumque assignatus, locô veri Dei substitui posset. Inde etiam fit, 2. quod neganda sit consequentia, & sub Scripturam ex Apostolo objectam sit audiendum, *contra voluntatem Dei*, prout *contra dictamen rationis* subaudiri debet (ne istâ lege obligentur dormientes, amentes &c,) licèt neutrum, aut ad neutrum ordo. expresſè significetur. Sequela autem, quam P. Oviedus subdit (datô quod homicidia, adulteria &c. sub ignorantia Dei invincibili committantur) sine absurdo admitti potest, & debet, nisi ignorantia invincibilis alicujus circumstantiæ in peccatum influat, quod à nu. 143. rejectum est.

147 Obijcies 2. ex P. Arriaga 1.2. disp. 19. n. 19. Amor bonus requirit objectum bonum, & malus malum: è contra, odium bonum requirit objectum malum; odium verò malum, objectum bonum, abstrahendo à reflexa prohibitione actus ergo &c.

148 Confirmatur ex eodem ibidem. aliqui actus sunt necessariò mali ex objecto independenter à libera Dei prohibitione: & quidem (quidquid sit de actu odij Dei, mendacio, adulterio &c,) nemo prudens dicere potest volitionem hanc, *etiamsi hoc objectum millies esset prohibitum à Deo, ego tamen illud prosequi vellem*, non esse essentialiter, & antecedenter ad omnem legem Dei positivam & liberam, moraliter malam; nam esto de facto nihil esset prohibitum; quia tamen volitio illa se extendit sub conditione ad omnem prohibitionem possibilem, si foret, necessariò de facto moraliter mala est; ergo &c.

149 Respondeo negando assumptum, pro illa parte, *abstrahendo* &c; quia, vt patet ex præmissis, tam objectum, quàm actus, moralitatē suam sumere debet à lege Dei ęterna; vnde hæc interpretativè saltem cognosci debet, vt amor sit formaliter bonus, & odium formaliter malum, moralitate radicali & vltimatâ.

Ad Confirmationem verò

Respondeo,

Respondeo, concessô antecedente, negando consequentiam; 150
quia actus necessariò mali, à lege Dei naturali prohibente malitiam suam moralem accipiunt, iuxta resolutionem nostram; non autem à libera & positiva: vnde frustra ad objectum vt moralitatis istius principium recurret Arriaga; nam & hoc objectum vlteriùs suæ moralitatis principium supponere debet: & sic rectè Sylvius 1.2.q.18. art.2. ad 4. *Respondeo actionem humanam, sine dubio, sortiri primam suam bonitatem ex lege; sed non propterea sequitur, quod non ex objecto; quia sortitur illam ex vtroque: ex lege quidem æterna, sicut ex prima & suprema regula: ex objecto autem, quatenus illud est consentaneum rectæ rationi, ac per consequens legi Divinæ; recta namque ratio dicitur, quæ est informata lege Divinâ, id est, quæ habet dictamen conforme legi Divinæ, vel naturaliter, vel per doctrinam, vel per lumen Divinitùs infusum.*

Quod est omninò conforme D. Thomæ, infra n. 160. & 161. 151
citando in Resolutionis nostræ confirmationem; si autem ipse, aut alij Patres velint aliqua prohiberi, quia sunt mala antecedenter; sic intelligendi sunt, vt solùm velint, aliqua prohiberi lege humanâ, quia sunt mala ob prohibitionē legis Divinæ; aut, si de lege Divina loquantur, solùm volunt, aliqua prohiberi lege Divinâ positivâ, quia sunt mala ob prohibitionem legis Divinæ naturalis, etiam ab ipso Deo indispensabilem.

RESOLVTIONIS

Confirmatio ab authoritate.

Confirmatur 1. ex Scriptura ad Rom. 2. *Per prævaricationem legis Deum inhonoras.* Et ad eosdem 4. *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Infero, ac proinde nec Dei inhonoratio, cum hęc sit per prævaricationem legis: tolle igitur 1. legem, tolles legis prævaricationem: 2. tolle legis prævaricationem, tolles Dei inhonorationem, sic vt ante legem nihil sit, quô Deus inhonoretur; ac per consequens nihil est ante Dei legem, quod necessariò prohibere debeat, nisi Deus ad prohibendum necessitetur, id quô non inhonoratur; hæc autem necessitas per se absurda est, & supremo 152

Dei dominio injuriosa: atqui, si ante legem nihil sit, quod Deus necessariô prohibere debet, totum quod prohibuit malū est, quia prohibuit; & cum id ante prohibitionem tale sit, quô Deus non inhonoratur, solùm post Dei legem malum esse potuit, prout omne aliud, quod ex se non est contra Dei debitum honorem; ergo sicut objecti malitia est dissonantia à Dei lege, legis Dei prævaricatio &c, ita bonitas moralis est consonantia cum Dei lege aut consilio, legis Dei observantia &c. ac sic moralitas necessariò à lege Dei æterna radicaliter & vltimatè sumenda est, cum hæc omnium prima sit, & ante omnem creaturam.

153 Dices ex P. Arriaga 1. 2. *disp*. 19. *n*. 3. expresse Sanctus Paulus videtur contrarium sensisse, dum ait, *Gentes sine lege peccasse*; & alibi, *naturaliter ea, quæ legis sunt, fecisse*: atqui, si vera est ista sententia, non potuerunt peccare, ergo &c. Probatur minor; quia illis non erat intimata lex, vt Paulus supponit: naturaliter autem non potuerunt eam noscere, cum supponatur Dei; ergo &c.

154 Respondeo negando majorem & minorem; ad hujus probationem, Respondeo illam, si de omni lege Dei sit sermo, militare contra Scripturam *ad Rom*. 2. vbi præmissis, *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem*, idest scriptam, *non habentes, ipsi sibi sunt lex*. Additur, *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum*. Vnde Aug. *lib*. 2. *de serm. Dom in monte c*. 15. dicit, *Nullam animam esse, quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus. Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?* Numquid Deus potest in cordibus hominum, tam sibi libera, quàm necessaria, scribere & loqui? Vide dicta n. 114.

155 Confirmatur 2. ex S. Augustino 22. *contra Faustum cap*. 27. vbi definit Peccatū *esse factū, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam*, & addit *Legem æternam esse rationem, vel voluntatem Dei*. Vndè *lib*. 2. *de peccat merit. cap*. 16. *Neque peccatum erit, si quid erit, si non Divinitùs jubeatur, vt non sit*. Concordat Ambrosius *lib. de Parad. cap*. 8. *Peccatum est legis Divinæ prævaricatio, & cælestium inobedientia mandatorum*. Respondebitur fortè, Augustinū loqui de peccato Theologico, & prout est offensa Dei, quam præcedit peccatum morale, & prout præcisè est contra rationem. Sed hoccè peccatum morale, antecedens omnem naturalem Dei prohibitionem, non posse

posse adstrui, sine supremi dominij, Scripturæ & Patrum authoritatis præjudicio, hucusque contendimus.

156 Dices ex P. Suarez *lib. 2. de Legibus cap. 6. n. 11.* Theologorum axioma est, *Quædam mala esse prohibita, quia mala.* Quod fundamentũ habet in Augustino *lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 28.* vbi ait quædam esse, *quæ non possunt bono animò fieri vt stupra, blasphemiæ &c.* Clariùs ex *lib. 1. de lib. arb. cap. 3.* vbi Evodius ait, *adulterium non esse malum, quia lege prohibitum; sed è converso.* quod Augustinus tacitè approbat, ergo &c.

157 Respondeo axioma illud, nec debere, nec posse, intelligi de prohibitione per legem Dei naturalem, vt supra n. 135. & n. 152. probavimus: sed de prohibitione, aut per legem Dei positiuam, quæ multa prohibet, *quia mala* juxta legem Dei naturalem; aut per legem humanam, quæ quàm plurima prohibet, quia mala juxta vtramque istam Dei legem. Ita ferè D. Thomas n. 160. infra citatus. Ad Augustinum autem Respondeo eum 1. locô solùm velle ea, quæ sunt lege Dei naturali, aut positivâ, nobis à Deo inditâ, prohibita, non posse bonô animô fieri, prout alia per illam non prohibita, vt manducatio, v. g. quia quod ista sint probibita, *Nulla est anima, quæ ratiocinari possit, in cujus cõscientia nõ loquatur Deus,* ait *ibid. cap. 15.* Ad alterum autem Augustini locum patet; quia Augustino Evodium roganti, *Dic prius, cur adulterium malè fieri putes; an quia id facere lex vetat?* Respondet quidem, *non sanè ideò malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur lege, quia malum est.* At hîc non esse mentionem de lege æterna, sed de positiva humana, ex continuatione textus manifestũ est; prosequitur enim Evodius, *Eò mihi videtur malum, quòd hujus criminis homines, vidi sæpe damnari.* Augustinus reponit: *Quid? propter rectè facta nonnè homines plerumque damnati sunt? Recense historiam, ne te ad alios libros mittam, eam ipsam, quæ Divinâ authoritate præcellit. Iam invenies, quàm malè de Apostolis, & de Martyribus sentiamus, si placet nobis damnationem* (vtiquè humanam) *certum indicium esse malefacti; cum illi omnes damnatione digni, propter confessionem suam judicati sunt. Quamobrem, si quidquid damnatur* (vtiquè sententiâ humanâ,) *malum est; malum erat illô tempore credere in Christum, & ipsam confiteri fidem.* Si tamen putes Augustinum de lege Dei æterna loqui, ipsum intellige de positiva, non de naturali; nam ab hac nil vetatur, quia est antecedenter ma-

 lum,

lum, vt patet ex dictis à n. 156. benè ab illa, quod est lege naturali Dei antecedenter prohibitum.

158 Instabis juxta Augustinum *hæresi* 70. damnantur Priscilianistæ dicentes, *jura, perjura, secretum prodere noli.* Et *lib. contra Mendaciũ ad Consentium cap.* 20. docet, nulla ex causa, magis esse mentiendũ, quàm fornicandum. *Si ergo, nisi, quòd veritas docet, facere non debemus; cum veritas doceat, nec, propter hominem baptizandum, facere, quod contrarium est castitati; quomodò nos docebit facere propter baptizandum hominem, quod ipsi est contrarium veritati?* Atqui horum alia ratio esse non potest, quàm quod perjurium, fornicatio, mendacium &c. sit, independenter ab omni Dei prohibitione, malum, ergo &c.

159 Respondeo 1. damnari Priscilianistas; quia docebant perjuria & mendacia, ad tegendum secretum, de facto esse licita; quod est hæreticum. 2. nulla ex causa mendacium, fornicationem &c. post prohibitionem à Deo factam, licere; quia non obstante quôcumque casu in particulari, communiùs mendacium habet annexum periculum diffidentiæ, & fornicatio, malæ educationis prolis; legislator autem, legem condendo, attendit ad id, quod communiùs, sic vt velit, etiam casus particulares, sub ea comprehendi, vt diximus n. 124. Accedit quod, si, non obstante prohibitione Divinâ, fornicatio & mendacium aliquô casu censeri possent licita, quàm plurimos falleret vehemens fornicationis delectatio, ac frequentissima mendacij occasio, vt notat Augustinus ibidem cap. 18. aiens: *Huc accedit, vbi miserabiliùs ejulandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægri, de vita filij ejus fuisse mentiendum, ita paulatim, minutatimque succrescit hoc malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum* (& idem est proportionaliter de fornicationibus) *sensim subintrando perducitur, vt nunquam possit penitùs inveniri, vbi tantæ pesti, per minima additamenta, in immensum convalescenti possit obsisti.* Hîc autem nihil asseritur, esse independenter ab omni Dei prohibitione, malum; neque vlla est hujusmodi malitiæ ad istorum veritatem necessitas, vt patet: vnde nego minorem.

160 Confirmatur 3. ex D. Thoma 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. *ad* 4. *Dicendum, quod cum dicitur, quod non omne peccatum, ideò est malũ, quia est prohibitũ; intelligitur de prohibitione facta per jus positivum: si autem referatur ad jus naturale, quòd continetur, primò quidem in lege æterna; secundariò verò in natu-*

in naturali indicatorio rationis humanæ, *tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.* Consonant PP. sequentes apud P. Suarez *lib.* 2. *de Legibus cap.* 6. *n.* 4. Vbi sic scribit, *Fundamentum hujus sententiæ videtur esse, vel quia actiones non sunt bonæ, aut malæ, nisi quia à Deo præceptæ, aut prohibitæ; quia ipsemet Deus, non ideò vult hoc præcipere, aut prohibere, creaturæ, quia malum est, aut bonum; sed potiùs, ideò hoc est justum, vel injustum, quia Deus voluit illud fieri, aut non fieri, juxta illud Anselmi in Prosologio cap.* 11. Illud est justum, quod vis; & non justum, quod non vis. *Quod etiam sentit Hugo Vict. lib. de Sacram. p.* 4. *cap.* 1. *& Cyprianus lib.* 12. de singularitate Clericorum *illi attributo.*

Adde & alterum locum D. Thomæ 1. 2. *q.* 21. *art.* 1. in Corp. *In his verò, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana; regula autem suprema est lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem, secundùm ordinem rationis & legis æternæ, tùnc actus est certus; quandò autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem ex præmissis, quòd omnis actus voluntarius est malus per hoc, quod recedit ab ordine rationis & legis æternæ,* ergo ante legem æternam non est malus: *& omnis actus bonus concordat rationi & legi æternæ*, ergo ante legem æternam non est bonus: *Vnde sequitur quòd actus humanus, ex hoc, quod est bonus vel malus*, puta per concordantiam aut discordantiam ad rationem humanam tamquam regulam proximam, & legem æternam tamquam regulam supremam, *habeat rationem rectitudinis vel peccati.* Ibi profectò D. Thomas ipsissimam nostram sententiam continet; sed adhuc clariùs *ibidem* q. 71. art. 6. in Corp. *Habet autem actus humanus, quod sit malus, ex eo, quod caret debita commensuratione; omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua, si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex; vna propinqua & homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia verò est prima regula, scilicet lex æterna.* Vnde ad objectionem 5. subdit, *Potiùs debuit dici, quod peccatum sit contra rationem; quàm quod peccatum sit cōtra legem æternam.* Respondet per authoritatem Augustini, cui alia addi potest Scripturæ & rationum allatarum. 161

Objectionem, quæ contra fieri posset, solutam habes infra commodiùs n. 196.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vnde actus morales sumant suam speciem.

D. CARAMVEL.

Suæ Theol. fund. 1. p. num. 1183.

162 QVæstio incidens. *An peccata contra naturam distinguantur specie? Res erat heri certa & facilis; negativam enim sententiam docuerat D. Thomas, quem sequebantur universi Doctores, apud quos nomen* Sodomiæ *universaliter & particulariter solebat sumi; & latiùs sumptum, omnia contra naturalia peccata; & strictiùs, præposteram masculorum commixtionem significabat: at hodiè aliqui inter hæc peccata ponunt gradus, eosque specie distinctos, quos non intelligo. Porrò* Sodomiæ *nomine omnia peccata contra naturam solere intelligi constabit ex Marchantio, cujus verba dabo n.* 1000.

163 *Contra nostram, hoc est omnium, aut ferè antiquorum sententiam, obijciunt, quòd nimium* Sodomiæ *execrabilem malignitatem diminuamus; si quidem volumus eam specie à pollutione distingui: & nos hoc ipsum negamus omninò, & demonstramus clarè nimium (ô nimium) illos pollutionis propudiosam excusare malitiam, quam tot gradibus infra* Sodomiam *collocant.*

164 *Dicimus ergo cum Doctore Angelico* Sodomiam *esse in eodem gradu malitiæ, quô ab illis collocatur, & in hoc est mirabilis partium consensio: in quo ergo differimus? in eo quod nos, non substantiali specie, sed accidentali, aut modali pollutionem à* Sodomia *distinguentes, pollutionem horribilem esse culpam dicamus, teneamusque quoad Deum, viæ molles distingui à Sodomitis, quos totus orbis terrarum detestatur: at ipsi pollutionis malitiam nimium attenuant, & debent homines ab illa terreri, non allici.*

165 *Sed hoc ipsum argumentum morale est; ad Scholastica veniamus. Sic discurro,* vt physicus de rebus naturalibus naturaliter, sic Ethicus de moralibus moraliter philosophatur &c.

Author

IMprimis D. Caramuel n. 162. rem heri certam & facilem dicit, ex principio heri & nudiusteriùs valde incerto & difficili; vix enim adduci possum, vt credam, D. Thomam àc vniversos Doctores &c, docuisse, peccata contra naturam specie inter se non distingui: &, vt incertitudinis hujus ac difficultatis rationes proponam efficaciùs, do gratis D. Caramueli alterum Principium, quô vtitur & nititur n. 165. videlicet *vt Physicus* &c. Tum 166

Sic argumentor 1. Affirmatio & negatio, ens & non ens, vas & non vas, in naturalibus specie distinguuntur; aut potiùs (ne Porphyrianum rigorem attendas) notabiliter, imò notabilissimè diversa sunt, (quomodò specie distincta hîc sumuntur) ergo modi humanæ pollutionis in vas & non vas, etiam specie distinguuntur. 2. vas generalissimè dividi potest in naturale, id est generationi serviens, & innaturale, id est generationi non serviens, tamquam in notabiliter diversa, prout animal in rationale & irrationale, tamquam genus in species: ergo modi coeundi in vas naturale & in vas innaturale sunt notabiliter diversi, & hoc sensu specie differunt, prout animal rationale & irrationale. 3. vas naturale dividitur in humanum & brutale, similiter tamquam notabiliter diversa, prout animal in hominem & brutum: ergo modi ab homine coeundi in vas humanũ & brutale sunt notabiliter diversi, ac sic specie distinguuntur, prout homo & brutum. 4. vas innaturale, eô, quô naturale, modô dividi potest, in vas innaturale humanum & brutale, vt specie distincta, & sic cõsequenter coitus hominis, in coitum in vas innaturale humanum & coitum in vas innaturale brutale, vt specie distinctos. 167

Debet autem D. Caramuel, priùs probare istos coeundi modos non esse notabiliter, ac sic specie diversos, quàm resolvat omnia peccata contra naturam esse ejusdem speciei: debet, inquam, probare, heri D. Thomam ac vniversos Doctores &c, docuisse illos modos non esse notabiliter, ac sic specie, diversos; quàm dicat ad quæstionem. *An peccata contra naturam distinguantur specie? Rem fuisse heri certam & facilem: negativam enim sententiam docuerat D. Thomas, quem sequebantur vniversi Doctores &c.* Quia id, vt vidimus, malè supponit: docuerit enim D. Thomas peccata contra natu- 168

ram *pluribus modis contingere*. Iuxta locum *n*. 187. *citandum*; non ideò dixit, solô modô distingui, specie non distingui, modos inter se notabiliter non differre &c, quod debuisset; sed tantùm id, quô species essentialiter diversæ constituuntur, modum vocavit: species autem essentialiter differre eô, quod respectu alterius est modus, manifestum est in coitibus hominis in vas naturale & in vas innaturale, quos essentiali specie distingui, inficiatur nullus: inter hos tamē, & illos coeundi modos, mihi evidens est paritas.

Constat autem ex statim præmissis D. Caramuelem n. 164.
169 falli, dum ait, *Dicimus ergo cum Doctore Angelico, Sodomiam esse in eodem gradu malitiæ, quô ab illis*, puta ipsi adversantibus nobis, *collocatur*. Quia eam collocamus in gradu malitiæ substantialiter distinctæ à pollutione, prout à fornicatione simplici; non verò, vt malè putat, in gradu malitiæ ab illa accidentaliter tantùm distinctæ: neque, in quo iterum fallitur, pollutionis malitiam attenuamus; sed suæ speciei ac naturæ eam relinquimus; cum tamen ipse Caramuel eam ad Sodomiæ & bestialitatis speciem ac naturam immeritò transferat, vt hæc summè detestanda peccata, ad speciem & naturam nudæ pollutionis, quam ipsô teste n. 174. infra, nonnulli *ob sanitatem fieri absque gravi peccato posse docuerunt*, è converso traducat; & ipsa eadem in nudæ pollutionis cōfessione, omni tam detestabilium peccatorum suppressâ verecundiâ, satis aperiri doceat; dum certùm esse docet in sua *Quæstione* n. 5. circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, non esse in confessione aperiendas; quod ex professo dub. 16. impugnabimus.

APPENDIX I.

D. CARAMVEL.

Ibidem n. 1183. & 1185.

170 *Pono igitur, ex communi Doctrina, rerum alias distingui specie essentiali & intrinsecâ; alias specie accidentali extrinsecâ; alias magnitudine & gravitate; alias modô concomitante & circumstantiâ aliquâ &c.*

171 *Dico 3. peccata contra naturam non differre specie intrinsecâ, hoc est, non contrahi per differentias essentiales & incommunicabiles alij diviso; animal*

animal enim contrahitur per rationalitatem & irrationalitatem; quæ ideò essentiales differentiæ dicuntur; quia nullum aliud genus contrahunt, præter animal; si enim aliud contraherent, essentiales non essent.

AVTHOR.

QVæro ego à D. Caramuele, (lubentiùs tamen has sordes pestiferas omisissem) an hominis coitus naturalis & 172
innaturalis, ad coitum non se habeant, sicut animal rationale sive homo, & animal irrationale sive brutum, ad animal? Id ni fallor concedit ibid. n. 1184. aiens, *Dico igitur* 1. *Luxuriem in connaturalem & contra-naturalem dividi specificè intrinsecè adæquatè, eô omninò modô, quô animal in rationale & irrationale.* Vnde vlteriùs quæro, an hominis coitus innaturalis humanus sive cum homine, & innaturalis brutalis sive cum bruto; aut, an coitus hominis intra vas naturale humanũ, & coitus hominis intra vas naturale brutale; non tam specie morali differant, quàm homo & brutum? Aliud certè, attentis differentijs contrahentibus, non video; præsertim, stante D. Caramuelis n. 167. gratis datô principiô, & præmissis n. 168.

APPENDIX II.
D. CARAMVEL

Ibidem n. 1185. & 1186.

ADdo nec omnia distingui specie extrinsecâ; quia differentiæ, quibus contrahuntur, non sunt nova peccata in alia Decalogi præcepta impingentia. Consultò dixi non omnia; *nam in peccatis contra naturam posset dari ratio scandali, aut etiam sacrilegij, & ex multorum sententia, etiam incestus: sed hîc de speciebus intrinsecis specialiter agimus; non enim has externas negamus. Teneo distingui magnitudine & gravitate intra eamdem speciem; quæ distinctio nascitur à distinctione modali; puto enim illa distingui, vt homo parvus sedens ab homine magno jacente, in quibus relucet distinctio magnitudinis, gravitatis & modi.* 173

Primus contra naturam peccandi modus est mollities, quam tametsi Sanchez (si credibile hoc est) non esse peccatum docuerit, si ob sanitatem fiat, esse mortaliter peccaminosam vniversi Doctores tenemus; sed minùs gravem reliquis culpis contra-naturalibus. Et quia P. Sanchez mentionem fecimus, 174

audiendus est Beyerlinchius verbo mollities, *vbi ait*, Non defuerunt, qui ob sanitatem fieri, absque gravi peccato, posse docuerunt; adscribitur hæc sententia Thomæ Sanchez in Tractatu de Matrimonio, in prima illius editione; at in posterioribus videtur Author, aut alius ejus nomine, sententiam suam retractasse, & communem aliorum amplexum esse. *Hoc crimen, si probetur, lege punitur arbitrariâ, præcipuè si commissum alienis tactibus; & Madriti vnius pistoris vidua, ante annos aliquot, ob hoc crimen flagellis publicè excepta est.*

175 *Secundus est Sodomia, mollitie multò gravior, quæ, commissa cum persona diversi sexus, videtur adhuc gravior esse. Ignem illa cælestem Sodomæ & Gomorræ promerita, hodiè etiam igne solet piari; nec mirum peccata intra eamdem speciem graviùs puniri, si graviora; nam ejusdem speciei est occidere Regem & vnum Patremfamilias privatum; & furari quatuor imperiales & mille; & tamen hæc peccata pro gravitate puniri solent, licet ejusdem sint infimæ speciei. Tertius est bestialitas &c.*

AVTHOR.

176 Dicit quidem 1. D. Caramuel n. 173. de differentijs, quibus peccata contra naturam contrahuntur, *non sunt nova peccata in alia Decalogi præcepta impingentia.* Sed id non requiritur, vt sint species sub eodem genere infimo differentes; quod nobis sufficit; id enim tantùm requiritur, vt genere infimô differant, quod hîc non tangimus.

Dicit 2. *Teneo distingui magnitudine & gravitate intra eamdem speciem.* Sed, *dub.* 16. infra ostendemus furtum magnum & parvum, intra eamdem speciem per conversionem ad objectum spectatã, specie morali (quam hîc omnes Theologi attendunt) ex parte aversionis à Deo, sicut mortale à veniali, distingui.

Dicit 3. *Puto enim illa distingui, vt homo parvus sedens ab homine*
177 *magno jacente.* Sed, præterquàm à physicis ad moralia nulla sit consequentia, vti contra ipsum dubio 1. & 2. ostendimus; talem imprimis non reperio magnitudinis & parvitatis differentiam inter Sodomiam & bestialitatem nefanda crimina: deinde det mihi D. Caramuel vocem vnam æquè primò significantem ista tria *humanitatem, parvitatem* & *sessionem*, & aliam etiã

æquè

æquè primò significantem *humanitatem*, *magnitudinem* & *jacentiam* prout Sodomia æquè primò significat *coitum*, *viros* & *vas innaturale generationi humanæ*; bestialitas verò *coitum*, *virum* & *brutum* ac *vas innaturale generationi humanæ*; & dabo ego ista esse tam specie distincta, seu tam notabiliter diversa, ac sunt homo & brutum: vnde consentimus D. Caramueli, si nobis consentiat, distinctionem illam in magnitudine majori & minori, de qua ipse n. 170. & 173. esse moraliter specificam & essentialem, aliter non.

Supponit falsum D. Caramuel n. 175. videlicet *esse ejusdem speciei infimæ moralis, occidere Regem & vnum Patremfamilias privatum; & furari quatuor imperiales & mille*: nam *dub.* 16. probabimus circumstantias, quæ alijs sunt notabiliter intra eamdem speciem aggravantes, speciem moralem nobis mutare; ex quibus à fortiori patebit, species luxuriæ contra naturam, non solô accidente, sed differentiâ essentiali notabiliter diversâ, inter se distingui; vti & ipsum paulò infra malè docere, *semel positâ contra-naturali effusione seminis, quòd effundatur huc vel illuc, perinde esse*. Cur enim hoc magis perinde esset, quàm, positâ naturali effusione seminis, perinde sit, illud effundi huc vel illuc, in vas scilicet solutæ, conjugatæ aut Monialis? An fortè viri prudentes non apprehendunt majorem malitiam & turpitudinem in actu Sodomitico & brutali supra simplicem pollutionem, quàm sit in adulterio aut sacrilegio supra simplicem fornicationem? An fortè actus brutalis non æquè saltem, si non magis, repugnat castitati & honestati naturalitatis debitæ actui, quàm adulterium castitati & iustitiæ; sacrilegium castitati & religioni? Difficulter persuadebit, præsertim attentis pœnis gravissimis, quibus ille nunc punitur, hæc non. Sed de his ex professo alibi. 178

APPENDIX III.

D. CARAMVEL.

Ibidem n. 1188.

TErtia. Pollutio, procurata tactibus viri, non videtur differre specie, à procurata tactibus fœminæ. *Sed vtra gravior? Videretur quod prior, qui enim virum tangit, non solùm actu, sed & potentiâ, tactibus deordinatis vtitur; illi enim non possunt ad finem naturalem* 179

 ordinari;

ordinari ; qui autem fœminam , deordinat tactus, qui possent naturali commixtioni servire, si vellet. Videretur gravior esse posterior ; quia ex tactibus cum viro, pollutio cum aliquali necessitate nascitur, quæ deest, cum quis fœminam tangit, quâ potest naturaliter vti : & quia major hîc est in peccando contra naturam libertas , & major ad aliter peccandum facilitas , posset dici gravius & majus hoc peccatum.

180 *Quarta.* Sodomia cum viro , aut cum fœmina , non videntur differre specie. *Quia in vtraque reperitur eadem formalis contra-naturalitatis ratio. Sed vtra gravior ? Videretur prior deordinatior ; quia in illa vtitur vir sexu & vase improprio; qui tamen in posteriore , sexu vtitur debito, at non vase. Videretur posterior; quia faciliùs posset committere fornicationem, quàm Sodomiam, qui habet mulierem; & peccata semper judicantur graviora, quæ possent faciliùs vitari.*

A V T H O R.

181 Concedere non possum id, quod D. Caramuel n. 179. per modum Conclusionis docet , nempè *pollutionem procuratam tactibùs viri non videri differre specie à procurata tactibus fœminæ.* Quia hæc per se , sive ordinariè,ad fornicationem ordinatur ; illa verò ad Sodomiam; ac proinde specie distingui debent,prout hi actus principales, ad quos per se ordinantur ; & , licet in casu particulari eò fortè non ordinentur; satis est,quod ordinariè & communiùs eò ordinentur, vt specie, prout illi actus principales, distingui dicantur ; quia attendere debemus ad id , quod communiùs fit in peccatis, & non ad casus particulares,vt supra n. 124. probavimus, contra eumdem Caramuelem: vnde etiam

182 Quod n. 180. subdit, *Sodomia cum viro, aut cum fœmina, non videntur differre specie.* Concedi non potest : non enim minùs,ad hominum copulam , sexus servari præcipitur , quàm vas ; nec minùs sexus virilis à fœmineo distinguitur , quàm vas nat[illegible] hujus à præpostero : coitus autē in vase mulieris præpostero,ex parte vasis specie distinguitur à coitu in vase naturali ejusdem, vt omnes fatentur ; igitur & coitus cum sexu indebito , ex parte sexus specie distinguitur à coitu cum sexu debito ; puto enim talem esse plurimorum apprehensionem, satis per receptam Sodomiæ definitionem, Sodomia est *masculorum in vase præpostero commixtio* , significatam.

CARA-

APPENDIX IV.

D. CARAMVEL

Ibidem n. 1189. 1190. 1191. & 1192.

SExta. In Sodomia agere & pati multùm differunt. *An specie?* 183
Negant multi, & inter ipsos specialiter recensendus est Alphonsus de Leone Tract. de officio & potestate Confessarij p. 1. collect. 9. n. 216. & 218. *Vbi sic ait (Ego dicerem, salvô meliori judiciô, non esse necessariò exprimendum, an fuerit agens vel patiens; quia tale peccatum est ejusdem speciei; & ideò, quia gravius peccatum est agentis, quàm patientis, ideoque majori pœnâ punitur; non sequitur esse diversæ speciei; cum magis & minus non varient speciem) ita ille: cui subscribit Diana* p. 3. Tract. 4. Resol. 159. *qui ait, (Si quis verecundiam haberet confitendi se in actu Sodomitico fuisse patientem, sufficit, vt dicat,* toties Sodomiam exercui) *& quidem, vt hæc sententia sit probabilis*, supponit primò, *virum, aut fœminam, patiendo delectari, & se delectando initium pollutionis habere.* Secundò, *pollutionem completam & inceptam esse ejusdem speciei, nec debere pœnitentem exprimere, an tantùm cæperit, an compleverit.* Tertiò, *pollutionem tactibus alienis procuratam, Sodomiamque, non differre specie; sed tantùm materaliter & modaliter, sicut pollutio habita tactu manuum, aut tactu femorum. Porrò ista tria debet supponere, qui nolit actionem à passione in Sodomia distinguere: vnde Diana, qui de primo & secundo nihil dicit, & tertium negat; asserere, sine inconsequentia, non potest, circumstantias agentis & patientis non debere in confessione explicari.*

Septima. Bestialitas est pollutio habita tactibus bestiæ, *& potest* 184
committi multis modis: nam tactus sunt partium exteriorum; aut vir reverà membrum inducit in vas præposterum bestiæ masculæ, aut in præposterum bestiæ fœmineæ, aut in vas naturale bestiæ fœmineæ; aut tandem mulier prostituit se bestiæ masculæ. In his omnibus sordidissimis criminibus non datur circumstantia scandali; non enim bestiæ scandalo seduci possunt: & dantur hìc multi modi decidendi semen extra vas, qui videntur esse ejusdem peccati materialitates differentes (porrò, si ex coitu hominis & bestiæ proles oriri posset, videretur gravissimum illud peccatum, quod hujusmodi generationi occasionem præberet; at non ideò statim diversam constitueret speciem; qui enim se polluit, non committit diversæ speciei culpam, si ex effuso & corrupto semine vermes, aut alia nascantur animalcula,)

Octava,

185 *Octava.* Luxuria dæmoniaca quà luxuria, non videtur differre à pollutione; at quà dæmoniaca complectitur novum peccatum: & ideò, non tam est diversa species peccati contra naturam, quã duplex peccatum. *Est enim luxuria & sacrilegium: nunquam enim hoc scelus committitur sine pacto, contractu & amicitia hominis, dæmonisque: & quæcumque dæmonis invocatio, advocatio, confœderatio & amicitia, peccatum gravissimum est.*

186 *Nona.* Sunt, qui venerem expleant instrumentis inanimis, quòd ipsum possunt viri, & solent fœminæ: qui etiam peccandi modus non videtur specie distingui à pollutione, cum tota contra-naturalitatis ratio in hac negatione consistat; nimirum, quòd semen extra vas debitum effundatur. *Ego quidem, si starem opinioni contrariæ, quæ peccata contra naturam vult specie distingui, nescirem, cur nõ etiam deberem addere* inanimalitatem *specie distinctam à reliquis, quæ esset effusio seminis inanimô instrumentô procurata.*

187 De mente Doct. Angelici. *Peccata contra naturam esse ejusdẽ infimæ speciei, & differre materialiter & merè modaliter, docuit D. Thomas* 2.2. q. 154. art. 11. *Rogat enim,* an peccatum contra naturam sit species luxuriæ, *& postquam assertivè respondit, illud subdividit his verbis:* dicitur vitium contra naturã, quod quidem potest pluribus modis contingere; vnô quidem modô, si absque omni concubitu, causâ delectationis venereæ, pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam *mollitiem* vocant: aliô modô si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei, quod vocatur *bestialitas.* Tertiò, si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, vt Apostolus dicit ad Rom. 1. quod dicitur *Sodomiticum vitium.* Quartò, si non servetur naturalis modus concumbendi, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monstruosos & bestiales concumbendi modos. *Ecce in modos, & non in species subdividit Doctor Angelicus contra-naturale peccatum.*

AVTHOR.

188 Ad quæstionem n. 183. propositam. An agere & pati in Sodomia specie differant? Respondeo negativè: quia copula hîc considerari non debet vt pollutio activa, aut passiva; sed prohiben-

vt Sodomitica, sivè vt infringens legem copulam præposteram prohibentem, quomodo tam pollutio passiva, quàm activa, sive tam patiens hanc, quàm agens, est infringens & agens; & sicut, in confessione adulterij soluti cum non soluta, distingui non debet solutus agens à non soluta patiente; quia vterque indivisibiliter est adulterãs, sive agens fractionē legis matrimonialis, licèt aliô, & aliô modô. vt statim dicetur; ita &c: idque respondendum puto, licet tria à D. Caramuele non supponantur, quæ *ibidem* vult supponi debere. Quia actus vt Sodomiticus per hoc perficitur, quod duo masculi immediatè concurrant ad pollutionē in vase innaturali, seu præpostero: sive patiens pollutione propriâ completâ aut incompletâ. delectetur, sive non: sive hæ delectationes & pollutiones sint ejusdem speciei, sive non: sive pollutio tactibus alienis procurata & Sodomia differant specie, sive non: quia ista omnia impertinenter se habent ad pollutionem vt duorum masculorū in vase præpostero, mutuô contactu excitatam, in qua præcise consistit Sodomia, respectu cujus vtraque pars est pollutionē agens & patiens; vna quidem semen commovendo & recipiendo; alia emittendo & perdendo: vnde in actu isto inter vnum & alterum ejusdem Sodomię complicè, differentiam notabilem non video, quidquid Emin Card. Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. n.* 243. quem Tamburinus & alii sequuntur. Addo tamen propriam patientis pollutionem, cum specie distinguatur ab actu Sodomitico, ex eo dumtaxat capite à confessione explicita excusari, quod communiùs actum hunc comitetur, aut certè alioqui non excusari. Nobiscum, multis citatis, sentit Diana varijs locis.

Addit D. Caramuel n. 184 *Si ex coitu hominis & bestiæ proles oriri posset, videretur gravissimum illud peccatum, quod ejusmodi generationi occasionem præberet: at non ideò statim diversam constitueret speciem.* Cur secùs obsecro? Quandoquidem haud minùs à pollutione simplici (quam cum bestialitate, saltem extra casum istum, specie confundit) quàm ab ea fornicatio, distingueretur; nec minùs, quàm fornicatio ad prolis generationem ordinari, illo casu, posset; secùs simplex pollutio. Ratio autem, quam subdit, *qui enim se polluit, non committit diversæ speciei culpam, si ex effuso & corrupto semine vermes, aut alia nascantur animalcula*; non habet proportionem ad 189

I casum,

casum, nisi velit vermem esse hominis prolem; deinde, quia vermes illi, non ex coitu viâ generandi ordinariâ; sed per accidens, ex putri materia, seu corrupto hominis semine, prout sæpiùs ex corrupta hominis carne, gignuntur; casus autem de coitu, viâ generandi ordinariâ, procedit.

190 Ex præmissis n. 177. 178. 181. 188. & 189. facile reijcitur, quod habet n. 185. nempe, *luxuria dæmoniaca, quà luxuria, non videtur differre à pollutione*. Sed

Infero 1. igitur Dæmoniacè, & plusquàm bestialiter, luxuriato sufficit in confessione dicere, *fui pollutus*; nam juxta D. Caramuelem in sua *quæstione* n. 5. circumstãtiæ intra eamdem speciem notabiliter aggravantes non sunt in confessione explicandæ. 2. ergo non est notabiliter peius dæmonem sibi & se dæmoni carnaliter commiscere, quàm se nudè polluere? Quis hæc credat, aut potiùs non detestetur?

Deinde, det D. Caramuel in coitu mulieris cum dæmone, semen ex homine decisum, fotum, asportatum &c, in vas mulieris immitti, sic, vt inde, coeunte dæmone cum muliere ista, vera generatio sequatur, (sequi enim posse supponit Durandus *in* 2. *dist.* 8. *q.* 2. D. Thomas *q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Et docere Authores, Merlinum vatem in Anglia ita fuisse generatũ, refert Colleg. Conimb. *in d.* 2. *sent. D.* 8. *q.* 2. *art.* 3. ex aliorum opinione: Lutherum istô modô fuisse natum existimant multi, è quibus Genebrardus *lib.* 4. *Can. cap.* 9. & alij. Denique ita generandum fore Anti-Christũ, *qui appellandus est, filius diaboli, homo peccati & filius perditionis*, iuxta Apostolum. 2. *ad Thessal.* 2. multorum Doctorum esse opinionẽ, scribit P. Gesualdus de Bononijs Capucinus *sua Theol. Moralis p.* 1. *fol. vlt.*) non apparet, cur coitus hic non reducatur ad speciem fornicationis superstitiosæ; nec proinde, cur minùs distinguatur à simplici pollutione, quàm sacrilegium, quod quà luxuria ab hac specie distingui, sine controversia, admittitur. Vnde, citra hunc casum, puto luxuriam dæmoniacam quà luxuriam, ad Sodomiam, aut bestialitatem, prout dæmon corpus, humanum aut brutale, assumpserit, reducendam; nec minùs à simplici pollutione specie distingui, quàm hæ ab illa distinguantur.

191 Sed quid de pollutione, sine adminiculo alterius concumbendi capacis, excitata, de qua D. Caramuel n. 186.? Respõdeo, cum

nec

nec sexus generationis vllius capax, nec vas alicui generationi à natura deputatum colludat, eumdem semper (quodcumque cooperans instrumentum accedat, præscindendo ab affectu ad sexũ aut vas dictum) videri affectum propriæ delectationis carnalis extra concubitum; vnde ad Sodomiam, bestialitatem aut luxuriam dæmoniacam, reducenda non videtur; sed ad pollutionem simplicem dumtaxat, quæ, licèt inanimis instrumentis procurata, inanimalitas, quidquid Caramuel, dici non debet; cum procurata proprijs manibus, animalitas non dicatur, sed pollutio simplex.

Ad præcedentium complementum, quærendum esset, an D. Thomas 2.2.q.159.a.11.docuerit *peccata contra naturam esse ejusdẽ speciei infimæ, & differre materialiter & modaliter* tantùm, vt D.Caramuel n. 187. citatus vult, & vbique supponit: sed isti quæstioni, ex præmissis n. 167.168.& 169. factum satis putamus. Quare sit 192

RESOLVTIO

AVTHORIS.

Circa dubium principale n. 161. Propositum.

Dico, actus morales originaliter & vltimatè speciem sumunt à sua hujus, aut illius speciei. cum Dei consilio quoad bonitatem, aut lege quoad bonitatem & malitiam, consonantia aut dissonantia. Ita Scotistæ,& Thomistæ omnes attentâ mente D. Thomæ, juxta præmissa, n. 160. & 161. loqui tenentur, etsi vix vllos reperiam, qui, in re tam clara, suam, ad illius mentem, expresse componant. 193

Probatur: actus morales originaliter & vltimatè suam moralitatẽ sumunt à sua cum Dei consilio, aut lege, cõsonantia, aut dissonantia: ergo & speciem vt sic à sua hujus aut illius speciei cum Dei consilio, aut lege, consonantia, aut dissonantia: antecedens probatum est dub. præcedenti: consequentia tenet à pari. 194

Dices, non est, vnde nobis constet de illa consonantia aut dissonantia, nisi per rationem & conscientiam dictantem Deum 195

illud præcipere, hoc prohibere: ergo ab hac ratione actus morales suam moralitatem, ac per consequens speciem, originaliter & vltimatè sumunt.

196 Respondeo concedēdo antecedens, juxta dicta n. 114. & 161. Deus enim (quantùm colligitur 1. ex Apostolo *ad Rom. 2. Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.* 2. ex Augustino lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 15. *Nulla anima est, quæ ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus: quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus?* 3. ex Ambrosio *lib. 9. epist. 71. Lex naturalis non scribitur; sed innascitur* D. Thoma 1. 2. q. 71. *art. 6. ad 4. Ius naturale continetur, primò quidem in lege æterna; secundariò verò in naturali indicatorio rationis humanæ.* Gersone *p. 3. tract. de vita spir. lect. 2. corol. 5. Lex naturalis præceptiva est signum inditum cuilibet homini non impedito in vsu debito rationis, & notificativũ voluntatis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum, vel non agendum; per consecutionem sui finis naturalis*) talem rationalem creaturā condidit, quæ connaturalibus suis dictaminibus indicaret & significaret *quid lex Dei æterna præcipit & prohibet*; sive, cujus dictamina naturalia, essent signa expressiva legis æternæ; vnde meritò David psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ex quibus manifestum est, negandam esse consequentiam. moralitatemque, & moralitatis speciem, primò & originaliter sumi, à consonantia aut dissonantia cum Dei cōsilio, aut lege, in hancque vltimatè resolvi; à ratione autem humana vt signo illius & indicatorio, ac sic secundariò (quod supra expresse D. Thomas) dumtaxat. Quia tamen gravissima difficultas manet, nondum satis explanata, vnde vna consonantia, aut dissonantia cum lege Dei æterna, ab alia specie diversificetur, sit

DVBIVM

DVBIVM VII.

Vnde vna actuum consonantia, aut dissonantia, cum lege Dei æterna, ab alia specie diversificetur.

D. CARAMVEL.

In supra relata Quæstione sua n. 5.

S*Vppono tamquam certum, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum vel speciem.* Item 1. p. suæ Theol. fund. n. 1185. *Dico 3. peccata contra naturam non differre specie intrinsecâ, hoc est, non contrahi per differentias essentiales & incommunicabiles alij diviso.* Et paulò post n. 1186. *Ejusdem speciei est occidere Regem & vnum Patremfamilias privatum, & furari quatuor imperiales & mille; & tamen hæc peccata pro gravitate puniri solent, licet ejusdem sint infimæ speciei.* 197

AVTHOR.

FRustra D. Caramuel de his, vel illis, tamquam specie distinctis, aut indistinctis, loquitur, priusquàm principium, quòd jam in quæstione est, statuerit, *vnde scilicet vna actuum consonantia, aut dissonantia cum lege Dei æterna, ab alia specie diversificetur:* quapropter ad supra relatam ejusdem *Quæstionem,* in *Quæstione* à me reposita, in hunc modum respondi. 198

Suppono 3. ex sufficienter insinuatis in Physica &c. Vide *Quæstionem* à me Repositam supra à *n. 7. ad* 11. Quia autem D. Caramuel rogat, vt quæstionem, *vnde actus vitij sint diversæ speciei objectivè ab actibus virtutis,* quam ipsi reposui, ipse solvam, vt patet ex fine Epistolæ ipsius ad nos quintæ, inter relatas *in 2. p. suæ Theologiæ fundamentalis;* nec commodè resolvi potest, quin nonnullas Resolutiones Physicales præmittamus. Sit 199

RESOLVTIO I.

200 DIco 1. actiones & relationes non ſpecificantur à terminis tamquam ſignis, ſive hôc ſenſu, quod vbi eſt terminus ſpecie diverſus, neceſſariò etiam ſit ſpecie diverſa actio; quod ferè omnes ſupponunt, & non probant.

201 Probatur 1. quia, ſicut ab vna realiter indiviſibili potētia poſſunt eſſe duo effectus ſpecie diverſi, vt v. g. ab eodem intellectu aſſenſus & diſſenſus, & ab eadem voluntate amor & odium; ita, ſaltem per Deum. ab vna actione realiter indiviſibili duo termini, ſive effectus, ſpecie diverſi; ergo &c.

202 Nec dicas iſtam potentiam eſſe quidem realiter numerô indiviſibilem, ſed ſpecie diviſibilem: in ſe enim eſt, aies, virtualiter tot ſpecierum, quot ſpecie diverſos habet effectus. Ne, inquam, id dicas; quia, ſi eadem entitas intrinſecè objectivè indiviſibilis (quales eſſe res omnes realiter ſimplices ex dictis in *Log. tract. 1. diſp. 2. dub. 5.* ſupponimus) ſic effectus, aut terminos. ſpecie diſtinctos reſpicere poſſit, vt in ſe maneat intrinſecè objectivè indiviſibilis; quidni duos illos effectus ſpecie diſtinctos duæ res ſolô numerô diſtinctæ. ſed ſimul & complexè iſti vni æquivalentes, ſic reſpicere poterunt, vt maneant ſolô numerô diſtinctæ; hoc enim, cum ſit priori imperfectius, à fortiori creaturis concedi debet.

203 Probatur 2. à duobus principijs ſpecie diverſis poſſunt eſſe effectus ſolô numerô diverſi. vt ab igne & calore, calores A & B, à ſole & igne ſiccitates A & B; ergo etiam à duabus actionibus ſpecie diverſis poſſunt eſſe duo termini ſolô numerô diverſi; ergo actiones non ſpecificantur à terminis &c.

204 Confirmatur 1. ab eo ſpecificantur actiones & relationes, à quo termini, principia, objecta &c. ſpeciem ſumunt; quia omnium iſtorum eadem eſſe debet ratio; atqui iſta ſpeciem non ſumunt ab alio, quod per modum vlterioris termini, principij aut actus, reſpiciunt; ne in ſpecificatione ſequatur proceſſus in infinitum, principium vnde hęc & iſta ſpeciem ſumant, in infinitum inquirendo; ergo &c.

205 Confirmatur 2. omnes rationes, & entia omnia realiter ſimplicia,

plicia, sunt objectivè indivisibilissimè hoc & hoc, ac proinde, prout hæcceitates, summè distincta objectivè, seu ex parte objecti vltimæ rationes differendi: sed non est, cur inter summè distincta ex parte objecti, aliqua ex ea parte, solò numerò, & aliqua specie distincta dicantur; ergo actiones non specificantur à terminis, nec cætera entia per ordinem ad invicem: Minor patet; Major autem probata est cum Nominalibus contra Thomistas & Scotistas, in Log. *tract.* 1. *disp.* 2. *dub.* 5. Consequentia mihi evidens est; quia alioqui sequeretur omnia esse tantùm specie, aut numerô tantùm, distincta; quorum alterum alteri, sine vlla ratione; non tamen sine manifesto errore, præligeretur; ergo &c.

RESOLVTIO II.

Dico 2. actuum vna, ab alia, ad legem æternam dissonantia (& idem est de consonantia,) specie morali non diversificatur ab objecto, fine remoto, aut circumstantijs; sive collectivè & conjunctim, objectum, finem remotum & circumstantias sumpseris; sive distributivè & seorsim. Per finem autem remotũ, hic intelligimus finem operantis (qui non malè ab alijs objectum formale actus interni, seu propter quod in externum tendit, vocitatur) distinctum ab ipso objecto materali. 206

Probatur 1. quia ista, sive 1. sivè 2. modô sumpta, sunt indivisibilissimè hoc & hoc objectivè, à quibus species sumi non potest, vt patet ex Confirmatione 2. *Resol.* 1. ergo &c. 207

Probatur 2. aggregatum, seu collectio, ex amoris v. g. objecto materiali, fine remoto & circumstantijs, non magis differt à collectione ex odij objecto materiali, fine remoto & circumstantijs, quàm amor ab odio, assensus à dissensu &c. atqui, vt probavimus. *Resol.* 1. vna objectivè & vnius speciei voluntas tendit in amorem & odium; vnus objectivè & vnius speciei intellectus in assensum & dissensum; ac ideò voluntas & intellectus ab illis specie non diversificantur: ergo consequenter potest vnus objectivè, & vnius moralis speciei, actus tendere in collectionem ex amoris objecto materiali, fine remoto & circumstantijs, & simul in collectionem ex odij objecto materiali, fine remoto & circumstantijs; ac ideò amor & odiũ ab illis specie morali diversificari non possunt: Consequentia tenet à pari. 208

Confir-

206 Confirmatur 1. ab eo actus amoris, odij &c. & dissonantiæ ad legem Dei æternam inter se specie morali diversificantur; à quo vna collectio &c. speciem moralem ab alia distinctam sumit; quia omnium istorum eadem est ratio: atqui collectio ista ab alia collectione, sine processu in infinitum, vt patet ex *Confir.* 1. *Resol.* 1. speciem moralem sumere non potest: ergo &c.

210 Confirmatur 2. ab omnibus receptum est, idem & vnius speciei moralis objectum formale esse posse plurium objectorum materialium specie morali diversorum, vt v.g. missæ, horarum & quietis ab opere manuali, die festo; abstinentiæ à carnibus & lacticinijs in quadragesima; furti famę & furti bonorum fortunæ; infidelitatis positivæ & fidei actus omissionis tempore debitô &c; imò & specie morali diversorum præceptorum, vt v. g. naturalis & positivi humani de non occidendo; divini & Ecclesiastici de confitendis peccatis &c. ergo & plura solô numerô distincta, iuxta dicta n. 202 & idem consequenter dicendum est de actibus & dissonantijs, quod de objectis istis materialibus & præceptis; ergo actus & dissonantiæ ab obiecto isto formali speciem moralem non magis sumunt . quàm obiecta materialia & præcepta; ac per consequens, nec ab obiecto materiali & circumstantijs. Ex his autem

211 Colliges non omninò fidendum P. Granado 1.2. *tract.* 8. *disp.* 4. *n.* 3. dicenti *Quoties objectum formale est essentialiter diversum, actus etiam voluntatis est essentialiter diversus.* Vti nec P. Oviedo 1.2. *tract.* 6. *Cont.* 5. *p.* 2. Vbi sic habet, *Ex his inferes, hanc esse legitimam consequentiam,* peccata respiciunt distincta formalia obiecta; ergo distinguuntur in specie. *Ex qua intulerunt Thomistæ peccata per objecta esse distinguenda.* Bonacinæ, *de peccatis disp.* 2. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 1. *Peccata distinguuntur specie per ordinem ad diversas specie perfectiones, quibus privant.* Scoto *in* 2. *dist.* 2. *q.* 1. & alijs, qui docent *peccata specie distingui, per ordinem ad diversas specie virtutes.* Quia patiuntur difficultates hâc, & præcedenti Resolutione, propositas.

RESOLVTIO III.

212 DIco 3. vna, ab alia, ad legem Dei æternam dissonantia (& idem est de consonantia) specie morali non diversificatur penes

penes præcepta in particulari specie distincta. Est contra Vasquez *disp.*98.*cap.*2.Granad.1.2. *cont.*6. *tract.*2. *disp.*1.*n.*13. Tanner.*disp.*4.*de peccatis q.*2.*n* 41. Layman *lib.*1.*tract.*1.*cap.*2. *n.*1. & Sanchez *lib.*9.*de Matrim.disp.*15.*n.*5.Salas,Tamburinum &c.

Probatur 1. quia,dum ab Authoribus illis quæritur, vnde præcepta specie diversificentur; respondent,ab objectis, motivis &c. specie diversis: atqui per hoc manifestè incidunt in sententias *Resol.* 1. *&* 2 rejectas; ac proinde hæc eorum sententia eôdem modô reijcienda est; ergo &c. 213

Probatur 2. prohibitio vna (& idem est de præcepto) tendere potest in objecta specie diversa, sub vno fine, vt v.g. 1. prohibitio ne die veneris comedantur carnes,ova & lacticinia,ad macerandum corpus: 2. ne proximus vocetur fur, adulter & homicida, ad avertendum injuriam honoris: 3. ne quis alterius furetur pecunias, triticum & oleum, ad avertendum injuriam bonorum fortunæ. Deinde vlteriùs. 214

E contra autem duo præcepta specie distincta, sub duobus motivis formalibus specie distinctis,in vnum & vnius speciei objectum tendere possunt,vt v.g.1 præcepta de audiendo sacro die Dominicâ, concurrente festô, ad honorem Resurrectionis Christi & S. Petri: 2. de ieiunando in quadragesima, concurrente vigiliâ, ad corporis macerationem & honorem Sancti: 3. de confitendo vrgente præceptô annuæ confessionis ab Ecclesia & mēstruæ à Prælato, ad Sacramentorum frequentationem & conscientiæ religiosam puritatem. 215

Subsumo 1.atqui,si,sicut vnum præceptum,sub eodem motivo formali,in plura obiecta specie diversa tendere potest;ita. è contra, possint plura præcepta specie diversa, sub pluribus specie diversis motivis, tendere in vnum & vnius speciei obiectum; manifestum est, dissonantias specie diversificari non posse penes præcepta specie diversa; ergo &c. 216

Subsumo 2. atqui, si duo præcepta specie diversa, sub duobus specie diversis motivis, habere possint vnum & vnius speciei obiectum; è contra, poterunt duo obiecta specie diversa, sub duobus specie motivis, vnô & vnius speciei præceptô præcipi (& idem est de prohibitione) ergo dissonantiæ specie diversificari non possunt penes præcepta specie diversa. 217

K Dices

217 Dices tamen, ex P. Oviedo *de peccat. Cont.* 5. *n.* 26. imprimis à nobis n. 214. falsum supponi, nempe esse vnum & vnius speciei motivum formale de non comedendo carnes, ova & lacticinia: Deinde *ibidem n.* 214. præcepta illa de missa, ieiunio & confessione, proportionaliter idem numerô & specie motivum formale habere; ergo &c.

218 Respondeo ad primam partem assumpti, quærendo, cur ibi idem & vnius speciei formale motivum non sit, prout prohibitionis 2. refectionis in piscibus, oleribus, amygdalis, dactylis &c, die ieiunij sumendæ; tam enim hæc inter se, quàm ista distinguuntur: licet tamen ibi foret diversum specie motivum; probatio subsisteret in 1. & 3. exemplo; imò & ab exemplis istis independenter, vt consideranti patebit.

219 Respondeo ad secundam partem assumpti, *honorem* ad Christi Resurrectionē & S. Petrum, eôdem modô, se habere sub præceptis Sacri, quô injuria in Christum & S. Petrum sub prohibitionibus contumeliæ; ac proinde, si contumelia in Christum & contumelia in Sanctum Petrum, sub diversis specie motivis prohibeantur, quod n. 28. *ibidem* admittit: etiam honos ad Christum, & honos ad Sanctum, sub diversis specie motivis, præcipiuntur; quâ igitur consequentiâ id n. 24. negat? Deinde non minùs differunt motiva auditionis Sacri Dominicâ, simul festô concurrente, quàm motiva voti castitatis in sæculo & voti castitatis in Religione approbata; hæc autem specie differre colligitur à pari; tum ex motivis præcepti castitatis & voti castitatis, quæ, vt communissima habet sententia, specie differunt; tū ex motivis specie diversis præcepti de non furando, & de non furando in templo; quæ tamen non magis differunt, quàm motiva voti de non fornicando & de nō fornicando in Religione approbata, ergo &c.

220 Confirmatur Resolutio: quia (præterquàm quod, gratis concessâ clarâ deprehensione præceptorum, & motivorum specie diversorum, nil adhuc contra Resolutionem obtineatur) cognitio vt specificans motiva, aliunde peti non potest, quàm ab eo, à quo dissonantias specie diversificamus, videlicet Prudentum apprehensione, vt Resol. sequenti ostendemus: deinde semper quæri potest, cur præcepta legis naturæ, positivæ humanę & Regulæ in Religione, nō æquè diversificentur specie penes principia

specie

ſpecie diſtincta, nempe Deum, Principem Regulam, nō obſtante eôdem ſpecie motivô; ac præcepta facta filiæ, à patre de non fornicando, ne malè educetur proles, & à matre, ne ſuâ corruptione honeſtum matrimonium impediat, penes motiva ſpecie diſtincta, non obſtante eôdem ſpecie principiô: certè hujus ratio difficulter, ſine petitione principij (præterquàm ad ſequentem noſtram reſolutionem refugiendo) dabitur: ergo &c.

RESOLVTIO IV.

Dico 4. vna, ab alia, ad legem Dei æternam diſſonantia (& idem eſt de conſonantia,) quoad nos originaliter & vltimate, morali ſpecie diverſificatur à communi Prudentum ſenſu & apprehenſione. Ita ferè D. Paſſerinus apud Caramuelem 2. *p. ſuæ Theol. fund. Epiſt.* 11. His verbis, *Quando enim de ſpecie peccati eſt ſermo; agitur de illa apparentia & æſtimatione peccati; quâ vulgò dicimus rem quampiam aliter narratam, habere aliam ſpeciem, id eſt aſpectum, formam & conſiderationem in hominum æſtimatione.* & P. Oviedo 1. 2. *tract.* 6. *Cont.* 5. *p.* 2. *n.* 20. vbi ſic habet. *Dixi etiam, non quamcumque diſtinctionem objectorum conſtituere diverſas ſpecies; ſed quamdam notabilem diſtinctionem, taxandam morali quâdem ratione & prudenti quôdam judiciô* (nota.) *Sic etiam modò dico, inter actus oppoſitos eidem virtuti diverſam ſpeciem ſumi; non ex quacumque materiarum differentia, etiam eſſentiali; ſic enim diceretur peccatum ſpecie diſtinctum, comedere carnē arietinam & carnem ſuinam in diebus prohibitis; ſed ex materia notabiliter differenti, qualis eſt, quæ reperitur inter comeſtionem carnium & comeſtionem lacticiniorum. Quanta autem debeat eſſe materiarum diverſitas, vt ſufficiat fundare malitias ſpecie diſtinctas, in tranſgreſſionibus præceptorum circa illas materias, Prudentum judiciô taxandum eſt* (iterum nota.) *Nec mirum in re morali aliam me non aſſignare differentiam; cum etiam in rebus phyſicis dixerim Cont. 1. de Anima p.* 8. *n.* 10. *eôdem modô Prudentum judiciô taxandum eſſe* (quod etiam notandum) *quando differentia prædicatorum tanta ſit, vt ratione illius poſſint dici prædicata, ſeu illius ſubjecta ſpecie differre.* In ſimili adſtipulatur P. Ferdinandus Caſtro Palao Tract. 2. diſp. 2. puncto 7. n. 2. aiens, *Propter hæc dicendum exiſtimo ex communi ſenſu Eccleſiæ, & fidelium deſumendam eſſe gravitatē* 221

aliquarum rerum, & levitatem aliarum. Imò puto ego illam esse omnium Philosophorum & Theologorum sententiã super quęstione, *Quænam entia absoluta* (ad quæ notabilis cæterorum distinctio reduci debet,) *inter se notabiliter differant;* hæc autem hîc cum specie distinctis confundimus.

222 Probatur Resolutio; quia vna, ab alia, ad legem Dei dissonantia, specie morali diversificari, originaliter & vltimatè quoad nos, non potest à rejectis Resolutione 1. & 2. vt vidimus: neque etiam aliunde ab intrinsecis suis; tum quia, dissonantiarum istarum intrinseca ad sensum non patent; nihil autem est in viatorum intellectu, quod priùs non fuerit in sensu, vt receptum ab experientia est; tum quia, à vario plerumque extrinseco fine pręcipientis, aut prohibentis, non satis distinguibili, pendent; nam iejunium v. g. quod per se, & quasi naturâ suâ, ad carnis macerationem ordinatur; ab ipso præcipiente, ab hac præscindendo, ad imitationem Christi immediatè ordinari potest; & cessatio ab opere, quæ quasi per se ordinatur ad moderatam quietem, immediatè etiam ad cultũ divinum ordinatur: neque aliud restat, quã, vt vna, ab alia, dissonantia, à Prudentum sensu & apprehensione specie morali diversificetur: ergò &c.

223 Dices: communis prudentum Theologorum sensus & apprehensio suum fundamentum habere debet in objecto materiali aut formali, præcepto aut circumstantijs &c; alioqui multa censerentur peccata mortalia, quæ non essent; vti & aliqua specie distincta, quæ solô numerô distinguerentur; è contra verò non esse mortalia, quæ essent, & esse solô numerô distincta, quæ specie distinguerentur: atqui hæc sunt absurda & periculosa, ergo &c.

224 Confirmatur: dum quærunt Theologi, quæ mortalia inter se specie distinguantur; non tam quærunt qualis desuper communis Theologorũ sensus & apprehensio, quã rationes pro vel contra. An sint contra virtutes specie distinctas? An objecta habeant formalia specie diversa? An vnum notabiliùs, quàm aliud, contra rectam rationem &c. militet; ergo ab illis potiùs vna, ab alia, ad legem Dei æternam dissonantia, specie morali diversificari debet, quàm à prudenti Theologorum sensu & apprehensione.

225 Respondeo distinguendo assumptum; ille communis Theologorum prudentum sensus & apprehensio suum fundamentum habere

habere debet in objecto materiali aut formali &c. nego assumptum; tum ob rationes Resolutionibus præcedentibus prætactas; tum ob sequentes: 1. quia sæpe contingit peccata mortalia affirmari esse specie morali distincta, quæ tamen minùs ex objecto materiali aut formali &c. distingui videntur, quàm, quæ recipiũtur vt solô numerô distincta; vt v. g. pollutiones intra manum complicis viri & intra vas ejusdem Sodomiticum, quàm Bestialitates cum capra & mula: comestiones ovorum & pulli in quadragesima, quàm in ea esus pulli & agni: 2. varia dicuntur gravissima, quæ ex objecto materiali & formali &c levioribus multò leviora apparent, vt Dei odium, siue optata Deo displicentia, quantùm præcisè venialium levissimô offendi potest, quàm iniusta per filium patris tortura; perjurium de pica volante visa &c. quàm nigerrima cõtumelia in Papam, Reges & omnes Superiores &c. 3. Pollutio voluntaria vitæ conservandæ destinata, est ex objecto materiali & formali juxta naturę inclinationem; nunquam tamen naturæ licita; mutilatio verò membri notabilis corporis eidem destinata, est ex objecto materiali & formali contra naturæ inclinationem; semper tamen licita: 4. nullô casu homo, etiam ne injustè occidatur, ne bona illius à prædonibus surripiantur &c. mentiri posse dicitur; bene occidere, ne ab injusto aggressore occidatur; & alterius bona surripere, ne fame pereat &c. mentiri tamen illô casu, videtur levius, quàm alterum occidere & bona illius surripere.

His præmissis. Ad alterum distinctionis assumpti membrum 226 procedamus.

Ille communis Theologorum prudentum sensus & apprehen- 227 sio habere debet suum fundamentum in fine legum moralium, qui omnium generaliter est ædificatio morum, reformatio &c. concedo assumptum; sed hinc nihil contra nos; quia solùm sequitur, quod vbi Prudentes apprehendunt hæc motiva legũ esse notabiliter diversa, consequenter apprehendant actus illis notabiliter contrarios, esse inter se notabiliter diversos; quod non negamus; sed solùm volumus, omnium inter se, sive objectorum, sive motivorum, sive legum, sive actuum, notabilem diversitatẽ, vltimatè quoad nos, peti debere, ab eo, quod, consideratis considerandis, de ea sit Prudentum apprehensio: nec certior regula à

quoquàm adferri videtur; imò nec alia ſtatui poſſe, per quam vitetur proceſſus in infinitum, de quo n.806. quæ ad iſtam non reducatur, vt conſideranti patebit. Quam ob rem deſuper D. Caramuelis & aliorum inſtructionem expectabimus, ſi melior occurrat.

CONCILIATVR
D. THOMAS.

228 DIvus Thomas *q.2. de malo art.3. in corp.* in terminis de noſtra illa apprehenſione loquitur, aiens, *Actus exterior dupliciter conſiderari poteſt; vnô modô ſecundùm quod eſt in apprehenſione ſecundùm ſuam rationem.* Et *art.7.* etiam in corp. *Si circumſtantia differentiam aliquam habeat per comparationem ad rationem* (rationem enim hic ſumit pro Prudentum apprehenſione,) *aut importat aliquid primò & per ſe rationi repugnans, & tunc dat peccato ſpeciem, ſicut accipere alienũ.*

229 Quod vero 1.2. *q.72. art.1. in corp.* dicat, *Actus autem voluntarij diſtinguuntur ſpecie ſecundùm objecta, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt. Vnde ſequitur, quod peccata propriè diſtinguantur ſpecie ſecundùm objecta.* Non obſtat; quia, cum ibi objecta ſecundùm ſe non conſideret; ſed vt rationi, ſivè Prudentum apprehenſioni, conſentanea, aut non conſentanea, vt apertè ſignificat ibidem *q.71. art.* 6. in corp. *Habet autem actus humanus, quod ſit malus, ex eo quod caret debita ſui commenſuratione* (ad rationem noſtram & legem Dei æternam:) *omnis autem commenſuratio cujuſcumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua ſi divertat, incommenſurata erit: regula autem voluntatis humanæ eſt duplex; vna propinqua & homogenea, ſcilicet ipſa humana ratio* (nota;) *alia verò eſt ipſamet prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei.* haud obſcurè noſtram reſolutionem confirmat, quidquid Adverſarij ipſum aliter intelligant.

230 Ne quis tamen eô turbetur, quod ibi D. Thomas ex diverſis capitibus, vt v.g. *finibus, virtutibus oppoſitis &c.* actuum ſpeciem ſumat; notandum, quod ea omnia ad objecta, modô ſtatim explicatô, reducat, vt ipſemet fatetur eâdem *q.72. art.1. ad 1. In idem redit, quod peccata differant ſecundùm objecta, vel ſecundùm fines.* & ad 2. *Peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundùm objecta actuum, quàm ſe-*

cundùm

cundùm opposita; quamvìs etiam, si distinguantur secundùm oppositas virtutes, in idem rediret; virtutes enim distinguuntur specie secundùm objecta.

D V B I V M V I I I.

Quid in dubio, an vna, ab alia dissonantia, specie distinguatur, resolvendum?

D. C A R A M V E L.

1. p. suæ Theol. fund. n. 1322.

T*Eneo secundò, eum, qui dubitat de peccati commissionis quantitate* 231
aut absolutione, non teneri confiteri: & videtur probari manifestè; nam confessionis tribunal est analogum tribunali forensi & litigioso, vtrumque enim constituitur Actore, Reo, Testibus & Iudice. In confessionis Tribunali Iudex, est confessarius est; Reus pœnitens, in quantùm peccavit; Actor ipsemet pœnitens, in quantùm Deum amans & peccata fragiliter commissa detestans; Testimonia sunt rationes graves & infallibiles, quibus actio fundatur: atqui in Tribunali Mechliniensi hæ accusationes (Appello de latrocinio Sortem, quia dubito vtrùm furatus fue[illegible]. Ambrosiũ, quia tametsi nullus testis id afferat, fortè furatus est. Anselmum, quia est vnum indicium leve.) *& hujusmodi aliæ admitti non debent: ergo nec in tribunali confessionis.*

Confirmo 1. *pœnitenti legitimè confitenti debet confessarius absolutionem* 232
impendere: atqui absolvi non potest absolutè, qui ad tuos pedes provolvitur, & ait, Domine, vtrum furatus fuerim dubito; si verò furatus sim, me accuso, aliàs non. *Vel fortè,* Scio quidem me furatum esse, at quantitatem nescio, si fuerit levis non me accuso, non enim levia teneor confiteri; si autem fuerit gravis. me accuso. *Vel tandem,* Scio certò me peccavisse mortaliter, dubito an tale crimen fuerim confessus, cumque non tenear bis eadem peccata confiteri, non me accuso de illo, si illud confessus sum; si non sum confessus, me accuso. *Quod non possit absolvi absolutè demonstro; quia absolutio absoluta requirit materiam certam & absolutam, quæ in hujusmodi confessionibus non reperitur.*

Confirmo

hypochondriaca. Respondeo tamen hoc esse verum in alijs Authoribus & locis; non tamen in præsenti. Ratio est, quia illa Concilij verba, ex his colligitur, *suadent consequentia ex antecedentibus inferri: atqui ex antecedentibus non infertur conscientia dubia, sed certa: ergo in eo loco*, Conscientiæ *nomine non intelligitur dubia, sed certa. Maior videtur certa: minorem probo; ideò debemus singulorum peccatorum speciem & numerum confiteri; quia sacerdotes iudicium hoc* (*verba Concilij sunt*) *incognitâ causâ exercere non possunt, nec æquitatem in pœnis injungendis servare: ergo dubia peccata non debemus exponere: patet consequentia; quia causa dubia non est cognita; & causâ incognitâ judicium hoc exerceri non potest &c.*

AVTHOR.

MVltùm distingui debet dubium, an peccatum reipsâ sit commissum; an sit mortale; an sit specie distinctum &c, necne; à dubio an actus, si committatur, sit futurum peccatum, mortale, specie distinctum &c, necnè: quia in hoc secundo casu, in quo dubium est antecedens, pro innocentia evidètèr stat possessio, ac ideò pro innocentia resolvendum, si actus committatur; quia, *In dubijs melior est conditio possidentis*. Et, *In obscuris, quod minimum est, sequimur*. Sivè, *Quòd minimum est, amplecti intendimus*; minùs verò est non peccatum, quàm peccatum: in primo autem casu possessio est dubia; nam lex prohibens haud minùs est in vigore, quàm ipsa innocentia, pro qua de possessione contenditur; & cum aliunde *Magis favendum sit Reo, quàm Actori*. magisque faveatur, si possessio legi adjudicetur, in tali dubio prudenter præsumitur peccatum potiùs esse commissum, quàm non commissum. 238

Difficultas fortè est, vt probetur, in dubio isto. Reo potiùs favere peccatum esse commissum, quàm non commissum. Parva tamen est attendenti Tribunal Sacramentale, in Rei favorem esse; cum à Christo, vt absolvatur & liberetur Reus, omni eô casu, quô ante legem gratiæ de peccato perfectè conteri debebat, sit institutum; è contra Forense in Rei odium; cum à Principe, vt ligetur & puniatur Reus, sit institutum: Reum autem absolvi & liberari, favoris est; ligari, & puniri, è contra, odij; *Odia verò restringenda, favores ampliandi.* 239

240 Sed, inquiet aliquis, sicut melius est non peccasse, quàm peccasse; ita Reo favorabilius est, præsumi non peccasse, quàm præsumi peccasse. Contra tamen est, quod prius quidem verum sit, sed posterius falsum; eò quod *præsumptio* peccato succedens dubium, ac ideò peccatum fortè commissum, non tollat, prout non peccatum tollit peccatum: & cum favorabilius sit Reo respectu Tribunalis Sacramentalis, prout antè legem gratiæ respectu perfectæ contritionis, præsumi ejus peccatum commissum, quod fortè reipsâ commissum non est, & ab eo absolvi ac liberari; quàm præsumi non commissum, quod fortè commissum est, & eô fortè ligari in gehennam perpetuam; illud potiùs, quàm hoc, prudenter præsumi debet; *magis enim favendum Reo, quàm Actori:* hæc autem non distinguit D. Caramuel, prout nec attendit, optimū mentis Christi, & Tridentini n.236. citati, interpretem esse axioma hoc, *Dubia mortalia, vt dubia sunt confitenda*, vsu immemoriali Ecclesiæ, & verisimiliùs Apostolorum, qui materiam confessionis certò noverant, inductione receptum: accedit, quod dici possit peccatum mortale dividi in certum & dubium, prout actus intellectus in certum & dubium, & consequenter mortale dubium esse annumerandum mortalibus, de quibus Tridentinum n.235. vt *mortale*, licet non vt mortale certum. Vnde

Ad pleniorem satisfactionem

241 Respondeo 1. ad ea, quæ ex ipso Caramuele attulimus n.231. Aliam esse rationem Tribunalis Sacramentalis, aliam Forensis; priusque, vt statim probatum est, esse in Rei favorem; posterius verò in odium: vnde exempla D. Caramuelis, quà respiciunt Tribunal Mechliniense, esse non possunt ad rem: notandum tamen ipsum per illa significare se agere de dubio subsequente, de quo nos, & non de antecedente, juxta explicationem à nobis n.238. allatam.

242 Respondeo 2. ad Confirmationem ejusdem n.232. pœnitentem posse absolutè absolvi à suo dubio, haud secùs quàm, qui hôc modô confiteretur, *Circa dubium, an peccaverim* (quidquid sit in foro Dei) *prudenter præsumo me peccasse, ac ideò confiteor me peccasse.* Re autem bene & maturè discussâ, iste esse debet, vt vidimus, dubij peccati confessionis sensus. Quod verò addit D. Caramuel absolutionem absolutam requirere materiam certam & absolutā distingui

distingui debet ; certam & absolutam physicè, nego; nam contrarium manifestum est in requisita contritione supernaturali; certam & absolutam moraliter, sive ex prudenti præsumptione, concedo; & ita omnes alij mecum, ni fallor: scio quidem, quod ferè omnes peccato dubio velint in confessione adjungi debere aliud certum; sed cur hoc onus pœnitenti imponant, non satis video; cum materia dubia modô explicatô videatur satis certa; *Odia verò restringenda, favores ampliandi. Magis favendum Reo, quàm Actori.* Malo tamen, propter aliorum authoritatem, id in ordine ad absolutionem absolutam, necessarium asserere, (cum sit res valde notabilis:) quàm, meâ speculatione, pœnitentiæ Sacramentum periculo exponere; quia, non obstante istô onere, adhuc pœnitenti est favorabilius obligari ad peccatum dubium confitendum, quàm non obligari, vt probavimus n. 239. Quare

Ex præmissis evidens est solutio ad 2. confirmationem n. 233. allatam; quia Reum, ex prudenti præsumptione peccati commissi, convictum moraliter, ac ideò sufficienter, supponimus; neque propterea confessio aut absolutio cōditionata esse debet; sed fortè absoluta esse potest, vt probavimus n. 242. Si tamen pœnitens (quod ibi malo) certum addat peccatū, clarè imponi potest certa pœnitentia, & absolutio sine conditione proferri, vt patet. 243

Ad 3. verò confirmationem, de qua n. 234. Respondeo scrupulosorum dubia frequenter esse antecedentia, à quorum confessione omnes excusantur, vt sequitur ex dictis n. 238. sed de illis, hîc non agimus; plerumque etiam consequentia, & ab illis etiam confitendis, ab omnibus ferè excusantur similiter, eô quod scrupulosi rarò dubitent prudenter; & licet prudenter dubitarent, quod alijs favor est, ac vnô confessionis actu libertas & absolutio; illis continua esset tortio, ob continuam apprehensionem dubiorum peccatorum & ea confitendi obligationis: vnde aliter de scrupulosis, aliter de alijs, judicant Doctores. 244

Sed quid ad probatam veritatem *clarissimus*, vt ait n. 235. *verbis* Trid. *sess.* 14 *cap.* 5.? Nil lucis pro sententia opposita D. Caramuelis. Quæro enim, an qui, post diligentem sui discussionem, hanc conscientiam haberet, *dubitavi quidem, an peccassem, sed me peccasse prudenter præsumo*, peccati conscientiam non haberet? Non auderet, putem, affirmare; non enim conscientia esse debet notitia 245

titia ſcientifica,ſeu phyſicè,aut Metaphyſicè,certa;ſed certa moraliter & ex prudenti præſumptione ſufficit, vt n. 242. probatum eſt : per quod verbô patet ad ea, quæ n.236. ſubdit.

246 Adde contra hanc D.Caramuelis ſententiam, pro noſtra,multùm facere, quod is, qui in confeſſione tale dubium peccatum omitteret, graviter peccaret, 1. contra charitatē propriam,ſicut ille, qui antè legem gratiæ de tali dubio perfectam contritionem non elicuiſſet; nam huius neceſſitati confeſſio à Chriſto coextenſa eſt. 2. contra reverentiam Sacramento debitam: pro quibus vide præmiſſa n.89. & 91. Ex illis enim & hîc præmiſſis,commodè ſatisfiet ijs. quæ fusè valde deducit *1.p. ſuæ Theol. fund. à n.* 1323. dum ait v. g. 1. *qui peccata dubia ſubticet, tutus eſt; nam probabilem ſententiam eligit.* Sed hoc argumentum continuò fallit D. Caramuelem, & plures alios; rationem habes n. 91. Deinde 2. *qui dubitat de voto, non eſt dicendus habere conſcientiam voti.* Quidem pro & contra multi Authores citantur: Pro *Sotus, Suarez, Sanchez, Præpoſitus, Arriaga, Franciſcus de Lugo & alij, quos citant*; Contra verò *Vaſquez, Corduba, Azor, Lorca, Turrianus, Sayrus, Hurtadus, & alij, quos citat Diana p.4. Moral. Tract. 3. Reſol.* 10. Sed non ſatis probant; quandoquidem, illô caſu, tam lex de reddendo vota Deo, ſit in poſſeſſione, quàm ipſa voventis libertas, & è contra: vnde poſſeſſio manet dubia; in caſu autem iſtiuſmodi dubiæ poſſeſſionis, æquitas non ſervaretur, ſi jus, cæteris paribus, vni potiùs, quàm alteri diceretur: quid igitur reſolvendum? Authores illi ſolutionem dandam non tangunt? Puto ego ſtandum pro libertate; quia, cum non habeamus Tribunal inſtitutum, vt abſolvamur & liberemur à votis, æquè facilè, ac à peccatis; quod in dubijs peccatis præſumi peccaſſe,eſt favoris, in dubijs votis præſumi voviſſe, eſt odij & oneris, *Odia vero reſtringenda, favores ampliandi. In dubijs, quod minimum eſt, ſequimur.* Vnde patet iſtô exemplô nihil contra nos evinci.

247 Sed ſubjunges, quid in his duobus caſibus reſolvendum. *Certò peccavi; dubium eſt poſitivum, an ſim confeſſus: ſive probabile eſt,me eſſe confeſſum, & probabile æquè eſt, me non eſſe confeſſum.* Item, *Certò vovi; dubium eſt poſitivum,an voto ſatisfecerim; ſivè probabile eſt, me ſatisfeciſſe, & probabile æquè eſt, me non ſatisfeciſſe.* Huic autem caſus ſequens jungi poteſt, *Certò accepi centum aureos mutuò; dubium eſt poſitivum, an reſtituerim;*

restituerim; sive &c? Respondeo confitendū, satisfaciendū, restituendū; quia antecedens possessio certa præcepti confessionis, voti & debiti, non eliditur per subsequentem incertam confessionis, satisfactionis & solutionis; neque hæc consequentia valet, *probabile est me esse confessum, satisfecisse, solvisse* &c. *ergo probabile est, me vltra non teneri confiteri, satisfacere.* &c. quā tamen consequentiam virtualiter docet certissimam D. Caramuel, locô paulô ante citatô, *ad Obiect.* 8. ajens, *Dico esse certissimum, non teneri quempiam confiteri peccatum certô commissum, si probabiliter putat illud fuisse confessum. Ita Suarius 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 9. num. 6. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. distinct. 27. q. vnica art. 11. Diana p. 2. tract. 4. de Sacram. resol.* 107. Ratio nostra est, quia vna probabilitas factum respicit, altera ius ad factum; cujus juris certa est possessio, vt supponitur, quæ per incertam facti non eliditur, vt patet; vnde consequentia illa haud magis probabilis est, quàm hæc, *ergo probabile est per incertam facti possessionem elidi certam juris possessionem.* Hanc autem, nec ipse, nec alius prudens, admittet.

Dicet fortè aliquis; qui dubitat, an satisfecerit, habet dubium juris: nam dubitat, an debitor sit; atqui *In dubijs juris melior est conditio possidentis*, ergo &c. 248

Respondeo distinguēdo majorem; qui dubitat, an satisfecerit, habet dubiū juris, an hoc extiterit, nego majorem; quia supponitur certò extitisse; vnde dicimus possessionē certam pro illo persistere, quamdiu non constat esse elisam: an existat, idque ob solam possessionem in contrarium incertam, concedo majorem; sed hęc non elidit certam, vt contendimus. 249

RESOLVTIO AVTHORIS

Circa dubium principale n. 230.

Dico, in dubijs negativis, an vna ad legem Dei dissonantia ab alia specie distinguatur, resolvendum juxta tuam & prudentum apprehensionem; quotiescumque enim hęc dictat vnam ab alia specie differre, id ita resolvendum. Quid si in dubijs, intellectus in æquilibrio, inter assensum & dissensum, suspensus 250

 maneat?

maneat? Prudenter juxta hæc axiomata dubium deponetur. *Magis favendum Reo, quàm Actori*, vbi in Rei favorem est, quod peccatum dubium, ab alio non notabiliter & specie differat. *In obscuris, quod minimum est, sequimur*, vbi dubium est, an peccatum sit veniale, an mortale; an sit peccatum, necne. *Melior est conditio possidentis* innocentiæ, libertatis &c. vbi dubia sunt juris.

251 Probatur 1. pars: quia apprehensio ista est regula secundaria morum, vt patet ex *Resol.4. dubij 7.* Neque reverà apparet, quænam alia quoad nos certa & fixa statui possit: ergo &c. Vide præmissa n.204. & 227.

252 Probatur 2. pars: quia aliud non suppetit, cujus auxiliô, ad deponendum dubium, intellectus ex parte legis, materiæ, & circumstantiarum suspensus, prudenter iuvetur, ergo &c.

253 Dices, hinc fore, vt multorum peccatorum distinctio specifica in dubium revocetur, quæ à varijs Authoribus vt certa supponebatur: atqui id Theologiam moralem non parum confundit; pœnitentes multùm anxios reddit; & confessarios torquet; ergo &c.

254 Respondeo negando sequelam; quia (præterquàm nostra Resolutio specificam peccatorum distinctionem, quam omnes ex fallibilibus principijs, vt *dubio 7. per totum* probavimus, subordinatis deducunt, ad suum primum quoad nos & infallibile principium reducat) id notius est nobis, & simplicius, quàm cætera, quę Authores adducunt; vnde omne dubium faciliùs & tutius removet. Quomodò igitur Theologiam moralem confundit, & non potiùs expurgat à multis fallibilibus principijs & erroribus, inde deductis? Quomodò pœnitentes multùm anxios reddit? Cum juxta illud, satis sit eos propriam consulere conscientiam, an inculpabiliter apprehendant hoc esse peccatum, illud non; hoc esse mortale, illud veniale; hoc esse notabiliter, ac ideò specie distinctum ab illo, istud non? Numquid hoc faciliùs & tutiùs, quàm supra rejecta Authorum fallibilia consulere principia, de quibus tamen semper vlteriùs sit indagandum, an ab alio notabiliter & specie distinguantur, nec ne, idque in infinitum, nisi tandem in nostro principio sistatur? An id magis torquet Confessarios, quã pœnitentes; aut nõ potiùs eos liberat à gravi tortura, supra quam eos D. Caramuel, perpensâ Principiorum communium fallibilitate, suâ Theologiâ fundamentali posuit?

DVBIVM 9.

DVBIVM IX.

An aliqua distingui possint specie logicâ, quæ morali & physicâ non distinguantur.

D. CARAMVEL.

Suæ Quæstionis supra n. 8.

PRæter species adæquatas & inadæquatas, etiam logicæ & physicæ species apud Scholasticos Scriptores occurrunt: nam si quæras, an quæcumque differentia essentialis inter duo individua sit specifica; an ad distinctionem specificam, non quæcumque sufficiat, sed magna & valde notanda requiratur? Videbis dissencientes Theologos & Thomam Comptonum disp. 5. de Anima. sect. 3. n. 2. *dicentem* (*videtur posse lis decidi inter has duas sententias, si dicatur quamcumque differentiam & dissimilitudinem inter aliqua duo, quâ possit reperiri minor, esse aliquô modô specificam, saltem logicè: cum de ratione ab his abstracta verificetur definitio speciei tradita à Porphyrio, & à Dialecticis communiter recepta: nempe* esse prædicabile de pluribus differentibus numerô in quid. *Ad differentiam autem specificam constituendam physicè & moraliter, major requiri videtur dissimilitudo, quàm quævis minima discrepantia, qualis est inter duas vniones & visiones Petri & Pauli; talis nimirum, qualis est inter Equum & Leonē, ac res hujusmodi notabiliter diversas.*) *Ecce visio, quâ videtur Petrus, plus differt à visione, quâ videtur Paulus, quàm ab altera visione, quâ videtur idem Petrus; & tamen Comptonus, licèt concedat distingui specie logicâ, negat illas distingui morali & physicâ.* Ita ille. 255

AVTHOR.

SVper hac & sequenti Quæstione sensum aperui n. 66. ne tamen amicum resolutionem earum rogantem spernere videar. Pro hac 256

Suppono 1. per illum, juxta hæc verba *Ecce visio* &c. ad logicam speciem constituendam sufficere differentiàm & dissimilitudinem, 257

tudinem, quâ possit reperiri minor, videlicet numerica, quâ præcisè illa sit major: ad moralem verò & physicam requiri differentiam & dissimilitudinem, similem illi, quæ inter res notabiliter diversas reperitur, & majorem numericâ præcisè excedit.

258 Suppono 2. D. Caramuelem, non agere de distinctione specifica in apprehensione Prudẽtum præcisè fundata, juxta nostram dubij præcedentis Resolutionem; sed de fundata, juxta sententiam communem, in objecto; aut absolutè secundùm sua intrinseca spectato, vt exemplum *equi* & *leonis* insinuat; aut relativè ad diversos terminos sumptô, vt residuum discursus probat. His igitur gratis suppositis. Sit

RESOLVTIO

AVTHORIS.

259 DIco: non datur differentia major numericâ, inter numericam & moralem seu physicam, media; ac proinde nil distingui potest specie logicâ, quod non morali, & physicâ, ad mentem D. Caramuelis, distinguatur.

260 Probatur 1. quia D. Caramuel falsum supponit, videlicet differentiam, aut identitatem specificam in respectivis rebus, à differentia, aut identitate, specifica terminorum esse sumendam; cujus oppositum *toto dubio 7*. probavimus: sicut enim notabiliter diversa idem numerô & specie principium respicere possunt. & è contra, imò & duo solô numerô distincta principia, vt *ibidem*; ita duo actus notabiliter diversi vnum numerô & vnius speciei objectum, & è contra, attingere possunt, imò & duo solô numerô diversa; ergo &c.

261 Probatur 2. duæ vniones specie diversæ esse possunt (saltem successivè) ad idem subjectum & eamdem numerô formam, vt v.g. vna materialis & alia spiritualis ad corpus & animam meã spiritualem; ergo à fortiori ad duo solô numerô diversa subjecta & formas; & è contra, eadem numerô vnio esse potest ad duo subjecta specie diversa, carnem v.g. ossa &c. ergo à fortiori duæ vniones

vniones solò numerò diversæ ad plura subjecta specie diversa, quibus etiam ipsa anima spiritualis vnitur.

Confirmatur : differentia illa inter numericam & moralem, seu physicam notabilemque, media, planè, ex parte objecti, chimærica & improbanda est; ergo &c: Probatur assumptum; quia cum omnia realiter simplicia, juxta probata à nobis Logicæ *tract*. 1. *disp*. 2. *dub*. 5. *n*. 242. sint objectivè indivisibilissimè *hoc* & *hoc*, & *hæc* eorum vltimam, sine vlla prorsus identitate & convenientia, differentiam fundent; medium; in quo differentia illa objectiva fundetur, est ex parte objecti chimæricum & improbandum, ac per consequens etiam ipsa. 262

Sed hæc, cum magis philosophica sint, quàm moralia, ea videbis fusiùs rejecta *disp*. 2. *de Anima*. *dub*. 2. vbi ostendi Petrum à Ioanna non distingui plusquàm numerô; quidquid ex P. Oviedo D. Caramuel in sua præcitata *Quæstione n*. 3. quia fundamenta ista rejeci locô citatô. 263

Quæres fortè, quid resolvendum, sistendo in nostra dubij præcedentis Resolutione, de specificatione sumpta à communi Prudentum apprehensione ? 264

Respondeo, etiam in ea sistendo, agnosci non debere speciem illam mediam, magis quàm medium inter notabiliter & non notabiliter diversum; differentiam mediam moralem inter moralem infimam & moralem individualem; peccatum medium inter mortale & veniale &c. illa enim species media in Adversariorū sententia, ex falsis principijs, vt statim vidimus, originem habet, ac ideò, prout eorum principia ista, omninò reijcienda est. 265

D V B I V M X.

An pœnitens vi Concilij Tridentini teneatur peccatorum speciem, non solùm moralem & physicam; sed etiam logicam, si detur, in confessione aperire.

D. CARAMVEL

Suæ Quæstionis supra n.9.

266 QVæro 4. *An non solùm teneatur pœnitens in confeßione aperire circumstantias addentes speciem physicam, seu moralem; sed etiam addentes logicam, seu metaphysicam.* Ita ille. Vide num.255. ex eodem allata.

A V T H O R.

267 ELudit quæstionem illam sibi à D. Caramuele propositam D. Passerinus, primarius, in Vniversitate Placentina, Theologiæ moralis Professor dum, agnitâ illâ specie logicâ, inter speciem physicam seu moralem, & individuum medíâ, 2.*p. Theol. fund.* Caramuelis *Epist.* 11. subdens, ait. *Verùm non puto quæstionem hanc huc revocandam esse, aut juxta subtilitates specierum logicalium, aut physicalium examinandam: quando enim de specie peccati est sermo, agitur de illa apparentia & æstimatione peccati, quâ vulgò dicimus, rem quampiam aliter narratam habere aliam speciem id est aspectum, formam & considerationem in hominum æstimatione.* Quasi verò, reipsâ & cõmuni Prudentum iudiciô, illa, de quibus genus vt genus immediatè prędicatur, & in quæ vt genus immediatè dividitur, qualia sunt illa, quæ specie mediâ, quam agnoscit, differunt, non habeant *aliam aspectum, formam & considerationem in hominum æstimatione*, quàm illa, de quibus species infima immediatè prædicatur, & in quæ immediatè dividitur; ista enim differunt prædicatô essentiali communi logicè, & obiectivè indivisibili; nec vlla species vt species ab alia magis, quàm tali prædicatô differt: hæc verò solô prædicatô particulari & hæcceitate; quorum tam diversus est *aspectus, forma & consideratio in hominum æstimatione*, quàm diversus est maximæ differentiarum specificarum ab hæcceitate (gratis inter hæc concessâ distinctione obiectivâ) *aspectus &c.* Quarè alia sit

RESOLV-

RESOLVTIO
AVTHORIS.

DIco: pœnitens, vi Concilij Tridentini, etiam peccatorum speciem logicam, siue ex mente D. Caramuelis n. 255. allata, differentiam, quâ vnum peccatum ab alio non quidem notabiliter, sed saltem plusquàm numerô differt, si detur, in confessione aperire tenetur. 268

Probatur & confirmatur eôdem modô, quò dubij 4. Resolutio, quam habes supra n. 85.

Distinctio autem, quam adfert P. Petrus de Hybernia, apud D. Caramuelem *sua Theol. fund. 2. p. Epist. 8. dub. 4.* His verbis. *Intendo, quod pœnitens non obligetur illam eamdem circumstantiam exprimere in confessione reduplicatiuè vt tribuit speciem logicam: sed tantummodò vt concernit mores, & tribuit speciem moralem.* Parum videtur ad mentem D. Caramuelis: quia non quærit, an illam confiteri oporteat vt logicam; sed an oporteat illam confiteri, cum à distinctis solô numerô sit solâ non notabili differentiâ diuersa, quæ valde differunt; hôc enim modô mores concernit, & tribunal Sacramentale, vt logica nequaquam: Deinde ipse per *speciem moralem* non intelligit speciem, quæ præcisè mores concernit, sic vt per *speciem logicam* intelligat illam, quæ mores non concernit; alioqui æquivalenter quæreret, *an pœnitens, vi Tridentini, teneatur speciem, quæ mores non concernit, in confessione aperire*; quod Aquilinum ipsius ingenium non saperet: sed per *speciem moralem* intelligit id, quod à solô numerô distinctis est notabili differentiâ diuersum: at, cum de hoc etiam non quærat, an illud oporteat in confessione aperire, citra mentem quærentis ab eodem Patre respondetur, *oportere circumstantiam, vt tribuit speciem moralem confiteri.* 269

Adde, similiter ad Quæstionem non videri, Responsionem D. Claudij Liberi in Olomucensi Episcopatu Officialis, & Vicarij Generalis, apud eumdem Caramuelem *Epist. 2.* nempe *Resp. 3. pœnitentem non teneri explicare, vi Concilij, speciem physicam; sed solùm moralem.* Quia (quidquid de voce sit) quærens, speciē physicā conjungit, & quodammodò confundit, cum morali; non cum logica, de 270

qua sola quærit &c. quæ autem posset præfatus Liberus obijcere, soluta habes *dub*.4.

DVBIVM XI.

Vnde numerica peccatorum, sive mortalium, sive venialium, distinctio sumatur.

D. CARAMVEL

In sua supra citata Quæstione n. 11.

271 *QVare 5. an sit possibile peccatum, quod habeat vnicam materiam moralem & duas malitias, seu formas distinctas purô numerô? Aut etiam contra, nempe peccatum, quod habeat duas materias morales, distinctas purô numerô, & vnicam tantùm malitiam, seu peccaminositatem, pro formali? Si negas: cur has moralitates neges, intelligere volo: suppono enim vtrumque in realibus esse possibile. Si asseris, exempla desidero, vt mentem tuam assequi & comprehendere possim, & , si alia meliora non occurrant, hæc examinanda propono.*

272 *Petrus vnicô voluntatis actu occidere voluit quatuor homines; & modò ad se reversus doceri vult, quô peccaverit modô, & quô teneatur confiteri. Multi cum Vasquez* 3.p.tom.4.q.91. art.10.dub.4.n.8. *& Bonacina* de Sacram. disp.5. q.5. sect.2. p 2. §.3. diff.3.n.16. *Existimant quatuor illum commisisse peccata, adeoque debere hanc in confessione circumstantiam exponere. Suarius in* 3.p.tom.4.disp.22.sect.5.n.35. *& alij, tenent Petrum vnicum commisisse peccatum; debere tamen circumstantiam objecti aperire in confessione: quia est notabiliter aggravans.*

273 *At bene notat Vasquez, positâ opinione Suarezij, non teneri hanc objecti circumstantiam in confessione aperire; quoniam circumstantiarum aggravantium apertio non est de essentia confessionis.*

274 *An non, dum alij intentionem occidendi quatuor viros, quatuor esse peccata, & alij vnicum esse peccatum, eruditè contendunt, possemus nos asserere esse vnicum peccatum quadriforme, dicens pro materiali vnicam solam volitionem, & pro formali quatuor objecta: adeoque quatuor malitias & peccaminositates purô distinctas numerô? Sed si philosophemur hôc modô, quô Petrus debebit confiteri?*

AVTOR

AVTHOR.

PRo Solutione istiusmodi Quæstionis, & aliarum, à quibus pendet, Resolutione,

Suppono 1. peccata, quæ ab homine committuntur, duplicis esse generis: alia enim sunt, quæ in solo actu interno perfectissimè complentur & consummantur, vt v.g. *Odium, hæresis, blasphemia &c*; alia verò, quæ in interno & externo simul, vt v.g. *Furtum, adulterium, homicidium &c.* Quæ autem in externo consummantur, etiam sunt duplicis generis; nam sunt, quæ alia præmittunt & postponunt, vt v.g. *fornicatio*, oscula, tactus, turpiloquium &c. *homicidium*, iræ motus, armorum præparationem, insidias &c; quæ si præmittantur, cum ad principale, vti via ad terminum, ordinentur, vnum cum illo moraliter censentur; si verò postponantur, & ad aliud principale non ordinentur, videntur quædam super primo actu integrantes reflexiones, ac sic ad eumdem pertinere, prout continua complacentia reflexa pertinet ad peccatũ, super quo est, quamdiu abest periculum pollutionis in carnalibus. 275

Suppono 2. actum externum dupliciter interrumpi posse, aut continuari; physicè scilicet & moraliter: physicè interrumpitur solâ interceptione temporis, vt v.g. *furtum*, si quis hodiè & perindiè furetur: aut *fornicatio*, si quis cum Ioanna bis, aut semel cum illa & semel cum Catharina, fornicetur &c: physicè autem continuatur, si vel eôdem instanti compleatur, vt v. g. *homicidium*, si eôdem actu bombardæ Petrus & Paulus occidantur; *mendacium*, si eôdem iuramentô falsum testetur & periurium committatur; vel sine interposita quiete, vt v.g. *furtum* vnô quadrante cõtinuatum; *fornicatio* similiter continuata &c. Moraliter verò tribus præsertim modis interrumpitur: 1. quando prior voluntas aliâ voluntate contrariâ retractatur: 2. quando homo voluntariè ab actu interiori cessat, & ad alia impertinentia agendum, aut cogitandum, voluntariè se divertit: 3. quando inter vnum & alterum actum, tantum temporis, aut tale impedimentum, intercessit, vt, prudentis iudiciô, ab invicem pendere, dici non possint, aut etiam in tertio conjungi, sive cessatio per voluntatem deliberatam, sive per inadvertentiam naturalem, contingat. 276

277 Suppono 3. peccatorum internorum objecta, sive peccata externa, nonnulla esse incompleta & à se invicem dependentia, vt v. g. *sollicitationes*, *oscula* & *tactus* à fornicatione; *motus iræ*, *armorum præparatio* & *insidiæ* ab homicidio: cætera verò completa & à se invicem independentia, vt *furtum* vnum centum aureorum & *aliud* equi, *blasphemia* in Deum & *blasphemia* in Sanctos, *homicidium* viri & *homicidium* mulieris &c: attamen, tam hęc, quàm illa, (quod in hac materia valde notandum) actu vnô moraliter, aut pluribus moraliter, intendi possunt: nam priora vnô actu moraliter intenduntur, vbi quis vnô actu moraliter continuò intendit fornicationem & media ad illam, homicidium & media ad illud &c. pluribus verò moraliter, vbi inter media & finem seu actum principalem, interruptio fit vnô modô ex tribus *suppos.* 2. allatis; quia, quidquid plures, non minùs interrumpuntur intentiones, quando media & finis vt sic interrumpuntur, quàm, quandò intentio actus externi principalis & actus hic externus principalis vnô ex istis modis interrumpuntur: posteriora verò eôdem actu moraliter intenduntur, quando quis eôdem physicè actu illa simul & semel intendit; pluribus autem, quandò vel actus in subjectis pluribus realiter distinctis existunt, vel inter actum internum & externum principalem vnô ex allatis modis interruptio fit.

278 Sed quid ad D. Caramuelem? Patebit ex Resolutionibus sequentibus, vt dixi: intereà tamen notandum 1. ipsum n. 271. malè à realibus ad moralia trahere consequentiam, vt *dubio* 1. & 2. probatum est: notandum 2. eumdem n. 274. malè supponere, objecta actuum voluntatis habere malitiā & peccaminositatem ab actu voluntatis independentem, vti hæc ejus verba sonant, *Possemus nos asserere esse vnicum peccatum quadriforme, dicens pro materiali vnicam volitionem, & pro formali quatuor objecta, adeoque quatuor malitias & peccaminositates purô distinctas numerô.* Quidquid enim sit de malitia & peccaminositate objectiva, quę per se nulla est, prout per se libera non est; malitia peccati, quam Deus prohibet, non est amentium & irrationalium creaturarum, sed deliberata & moralis; priusque est actum externum ab actu interno prohibito denominari extrinsecè volitum & deliberatum, quàm nobis imputetur ad culpā, Deo displiceat, & pœnas ei annexas à Deo, vt gehen-

vt gehennam v. g. mereatur; malitia autem & peccaminositas, quæ non est amentium & irrationalium creaturarum, quę est deliberata & moralis, quæ imputatur ad culpam, quæ Deo displicet & gehennam meretur, est actus voluntatis malitia, non objectorum; est formalis, non objectiva; quia de illa, non de hac, ista in recto verificantur, vt consideranti patebit; vnde cum illa sit vnica, non obstante eô, quod hæc sit quadruplex, dici non debet, nec potest, quod peccatum illud sit *quadriforme, dicens pro materiali vnicam volitionem, & pro fomali quatuor obiecta, adeoque quatuor malitias & peccaminositates solô numerô distinctas.* sed, dici debet, quod dicat in recto vnam malitiam formalem & moralem (de qua sola hic sermo, & difficultas prudenter procedere potest) prout vnicam volitionem. Vnde

Si vlteriùs quærat D. Caramuel, cujus multiplicatione peccata multiplicentur? Responderi non debet, multiplicatione formalis ejus significati, aut multiplicatione materialis ejusdem significati; quia vtrumque est peccatum, prout vtrumque est prohibitum & contra legem Dei; imò significata ista sunt sibi invicem materiale & formale, prout se invicem denominant, vt in simili demonstramus Physicæ *p.* 1. *tract.* 1. *lib.* 1. *disp.* 2. *dub.* 3. *resol.* 2. Sed multiplicatione eius, quod importatur in recto, vt Logicæ initiô, in ipso *Præparamento disp.* 4. *dub.* 3. *resolut.* 1. ostendimus; peccatum autem prout non est amentium & irrationalium creaturarum, prout est deliberatum & morale, quod imputatur ad culpam, quod Deo displicet & gehennam meretur, in recto dicit id, de quo in recto ista verè prædicantur, quod esse debet actus voluntatis & malitia formalis ei annexa; non verò eius obiectũ & malitia objectiva ei annexa, vt prædicationes illas de hoc & isto enuntianti patebit; nam hæc prædicatio falsa est, *Obiectum actus voluntatis, & malitia obiectiva præcisè, non est amentium & irrationabilium creaturarũ, est deliberata & moralis, imputatur ad culpam, Deo displicet & gehennam meretur*, vt in homicidio ab amente & bruto perpetrato evidens est: hæc autem vera, *Actus voluntatis & malitia formalis præcisè non est amentium & irrationabilium creaturarum, est deliberata & moralis* &c, vt omnes fateri tenentur; de eo namque quod concreta important, aut non important in recto, judicare debemus secundùm veras prędicationes, quas de illis admittunt omnes, 179

omnes, aut saltem admittere debent, vt fusiùs *disp.* 4. paulò ante citata *dub.* 2. expressè probamus.

280 Præmissa autem non parum corroborantur authoritate D. Thomæ 1. 2, *q.* 71. *art.* 6. *ad* 5. vbi sic habet, *Dicendum, quod à Theologis consideratur peccatum, præcipuè secundùm quod est offensa contra Deum.* & *de malo, q.* 2. *art.* 3. *in corp.* vbi sic. *Ratio culpæ & moralis mali (* de qua contendimus *) completur, secundùm quod accedit actus voluntatis, & sic completivè malum culpæ est in actu voluntatis; sed si accipiatur actus peccati, secundùm quod est in executione operis (* quomodò D. Caramuel illud accipit *) sic primordialiter & per prius est culpa in voluntate.*

281 Quid verò Augustinus? Audiamus, *lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 3. ait, *Vt intelligas libidinem in adulterio malum esse, si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena; planum tamen aliquô modô sit id eum cupere, & si potestas detur facturum esse; non minùs reus est (* vtique propter actum internum & malitiam formalem præcisè*) quàm si in ipso facto deprehēderetur.* Respondet Evodius, *Nihil est omninò manifestius.* Vnde multi docent, & meritò, actum externum nihil addere malitiæ formalis (de qua continuò agimus, quidquid sit de objectiva, vt ante dixi) actui interno.

282 Rationem dat D. Thomas *de Malo q.* 2. *ar.* 2. *ad* 13. *Quia actus exteriores non pertinent ad genus moris, nisi secundùm quod sunt voluntarij.* præmiserat autem *ad* 10. *Dicendum, quod omne peccatum non est in alijs actibus, nisi in quantum sunt à voluntate.* ad 11. *cum actus exterior habeat rationem peccati ab actu voluntatis, idem peccatum est actus voluntatis & actus exterior coniunctus.* & post pauca. *Actus voluntatis est actus exterioris causa, sicut & actus superioris virtutis est causa actus inferioris, & semper formaliter se habet ad ipsum.* Attendat D. Caramuel, an cum hoc stet, quod peccatum, de quo ipse n. 274., dicat *pro formali quatuor objecta, adeoque quatuor malitias & peccaminositates,* sed *vnicam volitionem.* Interea, vt nos vlteriùs pergamus, sit.

RESOLVTIO I.

283 Dico 1. peccata, quæ in solo actu interno perfectissimè complentur & consummantur, vt *odium, hæresis, blasphemia* &c, toties numerô multiplicantur, quoties vnô ex quatuor modis

suppos. 2.

suppos. 2. allatis, interrupta resumuntur, licèt circa objectum ejusdem rationis, aut individuationis, versentur. Sumitur ex D. Thoma in *2. sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 1. Suare, Pesantio, Bonacina & alijs multis.

Probatur: quia ad vnitatem moralem peccati requiritur vnitas moralis temporis; atqui vbicumque est moralis illa interruptio, moralis vnitas temporis esse non potest; sed sola interruptorum moraliter temporum multiplicatio; ergo peccata, quæ &c. 284

Confirmatur: actus, qui post moralem illam interruptionem resumitur, est idem numerô, qui ante, vel non? Si primum; naturaliter dari debet reproductio physica ejusdem, contra communem & receptam, tam Theologorum, quàm Philosophorum; aut certè dici debet, non esse quidem actum eumdem numerô physicè, sed moraliter dumtaxat; contra quod tamen est, quod sicut non potest esse idem numerô actus physicè, post interruptionem physicam, ita nec dici debeat numerô idem moraliter, post interruptionem moralem; de quo controverti non posse arbitror. Si secundum; habemus intentum; rectèque dicimus peccata talia toties esse numerô diversa, quoties sunt præcisè moraliter interrupta, sive, quod in idem recidit, quoties in tertio moraliter non coniunguntur, eô modô, quô iuxta receptam Theologorum sententiam, volitiones multæ, quæ in opere externo consummantur, per respectū ad opus principale externum, in hoccè tertio moraliter coniunguntur; quamquàm per respectum ad invicem, aut actum, quô ad vnum opus principale externum non ordinantur, moraliter interruptæ censeantur. Vnde fatemur quidem (quod Plures) tot esse talia numerô peccata, quot sunt interruptæ volitiones; & volitiones toties interrumpi, quoties perfectè consummantur; sed, cum explicari non possit, quoties perfectè consummentur, nisi per nostram Resolutionem & regulam, illi adhæresc imus: ergo &c. Ex præmissis verò 285

Colliges Opiniones extremas Ioannis Andreæ *de Reg. iuris in 6.* Mercurij *in Reg. delicti, col. penult.* & Asseclarum, ex vna parte docentium quamcumque ex quacumque distractione, etiam naturali, interruptionem physicā, ad dictam numerô multiplicationem sufficere, nimis rigidam esse, parumque probabilem; cū quæstio sit de modo interruptionis & numerica peccatorū multipli- 286

catione, in ordine ad distinctam eorum confessionem sacramentalem; modus autem ille vix moraliter (& idem est consequenter de peccatorum numerica multiplicatione) distingui potest. Aliorum verò ex altera parte, post Canum *in Relat. Pœnit. p.* 5. docentium solam per actum voluntatis contrarium sufficere interruptionem, esse nimis laxam; fieri enim iuxta hanc posset, vt actus concupiscentiæ v. g. eiusdem mulieris (& idem est de actu amoris Dei proportionaliter in ordine ad meritum) primò anni die elicitus, & vltimò eiusdem resumptus, mediâ ferè vnius anni nil obstante interruptione, vnus idemque numerô moraliter censeatur, ac proinde vnicum numerô peccatum in confessione aperiendum, quod laxum nimis est.

287 Sententiam Cani sequitur P. Thomas Tamburinus *in sua Methodo expeditæ confessionis, lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 32. vbi pro illa citat Ioan. de La Cruz, Petrum Pay, Homobonum, Dianam, Em. Lugo & ex parte Salas. Ratio ipsius est; quia omnes illi actus, sivè multi, sive pauci, à sua persistentia & permanentia habituali in non retractatione per contrarium actum sita, vnitatem desumunt. Sed cum illa non retractatio modò nil plus sit, quàm fuerit ab æterno, & omni instanti, quod actus illos præcessit; ipsaque in æternum perseveraret, si retractatio non accederet; haud magis apta est ad dandam illam vnitatem, quàm distantia æterni à parte ante, ab æterno à parte post; aut certè, quàm non retractatio eorum actuum, qui nunquam fuerunt, aut erunt; nam actus, qui fuerunt, in non retractatione præcisè nil plus sunt, quàm illi, qui nunquam fuerunt, aut erunt; illis tamen ipsa convenit.

RESOLVTIO II.

288 DIco 2. peccata, quæ in interno & externo actu, seu opere, perfectissimè complentur & consummantur, vt *furtum*, *adulterium*, *homicidium* &c. numerô multiplicantur juxta multiplicatum actus interni subjectum, & externi vnô ex allatis modis *suppos.* 2. interruptionem. Hæc resolutio satis patet, nec proinde vlteriori probatione eget.

RESOLV-

RESOLVTIO III.

Dico 3. quando actus physicè multi, nullô ex allatis modis *supposito* 2. interruptè, ad vnum principalem, prout multæ viæ ad Civitatem, multa media ad finem &c. ordinantur, sunt vnicum peccatum, & tamquàm vnicum in confessione aperiendum. Ita Azorius *p*.1. *lib*.4. *cap*.4. Granadus 1.2.*Cont*. 6.*tract*.2. *disp*.5. Malder. *ibidem q*.20.*art*.4. Sylvius 1.2. *q*.72.*art*.9. Castro Palao & alij communiter, sive Morales, sive Scholastici. 289

Probatur: quia actus illi sunt moraliter vnus tantùm, & objecta, circa quæ versantur, vtpote ob vnum in-interruptè moraliter intentum finem volita, moraliter vnũ censentur: atqui actus moraliter vnus tantùm.& in objectum moraliter vnum tantùm tendens, moraliter vnicum censetur peccatum, & meritò tamquàm vnicum in confessione aperiendum; ergo &c. Hinc

Colliges 1. Peccata non multiplicari numerô penes objecta 291 incompleta numerô multiplicata; ac proinde vnô tantùm peccatô peccare, ac vnicum *fornicationis*, *homicidij* &c. peccatum debere confiteri, illum, qui ad *fornicationem* & *homicidium*, per prævios actus *supposito* 3. allatos, tendit & exequitur: tamen caveas dicere cum P. Tamburino *loco Resol*. 1.*cit*.§.6.*n*.35. eum, qui, ne mortem effugiat suus inimicus, per vnum annum v. g. parat illi insidias, præparat gladium, equum conscendit, &c. vti & alium, qui amans puellam, per duos annos v.g. semper quærit modum, quo illâ potiatur; vnum numerô *homicidij* & *fornicationis* peccatum cõmittere, ob vnitatem finis, ad quem ordinantur: nam principium, cui innititur, de habituali ad tantum tempus vna malæ cogitationis perseverantia, à qua omnes illi tantô tempore prævij actus vnitatem sumant, falsum videtur; quia, cum istiusmodi perseverantiæ, & consequenter istorum actuum vnitas, præterquã actu retractativè contrariô, multis alijs modis interrumpi possit, vt v. g. infirmitate notabili, voluntariâ occupatione in negotijs ad finem istum impertinentibus &c, & vix fieri possit, vt horum aliquis in tantum tempus non incurrat; moraliter incredibile est quandoque ad tantum tempus dari vnam talem perseverantiam, à qua omnes illi actus vnitatem sumant: nec proinde video, quâ

 veritate

veritate *ibid. n.* 36. ad casus illos subdat. *Probabile est, satis esse ad Sacramentum pœnitentiæ, si dicat quis, per tot dies procuravi homicidium mei inimici; ejusdem puellæ congressum* &c.

RESOLVTIO IV.

290 DIco 4. peccata, quæ in interno & externo actu seu opere, perfectissimè complentur, & consummantur, de quibus *Resol.* 2. si vnô internô & externô actu, nullo ex allatis modis interruptè, compleantur & consummentur, sunt vnicum numerô peccatum: exemplum sit illud, quô D. Caramuel *supra nu.* 272. vtitur, Petrus vnicô voluntatis actu occidere voluit quatuor homines, quos vnô bombardæ ictu occidit; Paulus vnô actu voluit de 12. Apostolis blasphemare, & simul in-interruptè moraliter de illis blasphemavit. Ita Navarrus *in summa cap.* 6. *n.* 18. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 22 *sect.* 5. *n.* 36. & *de cens. in genere disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 8. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *p.* 2. Filluc. *tract.* 21. *cap.* 8. *q.* 12. *n.* 320. Megala 1. *p. lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 4. Fagund. 2. *præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 11. quam etiam sententiam probabilem putat Vasquez 1. 2. *disp.* 75. *cap.* 2. *n.* 10.

Probatur: quia non apparet, vnde dici possint multa, prætérquàm, quia multa sunt objecta per se completa & per se ab invicem independentia; sed hinc multa moraliter dici non debent; ergo &c. Probatur minor; quia non minùs hæc objecta completa, prout eidem actui moraliter, sive vnô ex allatis modis non interruptô, subordinantur, vnum moraliter censeri debent, quàm objecta incompleta (de quibus *Resol.* 3.) prout eidem objecto principali, aut fini, vt sic non interrupto subordinantur, vnum cum illo moraliter censeantur; ergo &c.

292 Confirmatur: qui vnô tali actu intendit domum comburere; surripere ovium gregem; cistam auro plenam, vel acervum tritici; bibliothecæ libros &c. & exequitur, quod intendit; juxta cōmunem Theologorum, vnum tantùm numerô peccatum moraliter censetur committere: atqui in aggregatis istis multa sunt objecta per se completa, & per se ab invicem independentia; imò non minùs completa in ordine ad furtum mortale, aut materiam ad illud præcisè necessariam, quàm sint; vbi quis vnô tali impetu

tu decernit tres fornicationes committere; tres homines occidere; de pluribus detrahere; de duodecim Apostolis blasphemare; die iejunij 5. hominibus carnes edendas præbere; in peccato mortali plures communicare, absolvere &c. in ordine ad istiusmodi peccatum mortale & materiam istiusmodi peccato præcisè necessariam; ergo &c.

Dices tamen ex Sylvio, 1.2. *q.72. art.*9. latam esse disparitatem, eò quod ista priora sint partes cujusdam totius, constantis ex multis rebus tamquàm ex partibus; secùs hæc posteriora; ergo &c. 293

Confirmabis ex P. Oviedo *tract. 6. de vitijs & peccat. Cont.5. p.* 6. Si quis proponeret furari duas bursas, quarum quælibet materiam gravem contineret, & ex vi ejusdem numero actus, modò arriperet vnam & in continenti aliam ab eadem persona, vnum tantùm injustitiæ peccatum committeret; si tamen ex vi ejusdem actus voluntatis committat in continenti duplicem fornicationem, duplex peccatum committet. Rationem sumes ex P. Tamburino *in sua Methodo expeditæ confessionis lib. 2. cap. 1. n.*56. quia hic sunt diversi omninò actus consummati, nec vnus faciens moralem vnitatem cum alio, prout ibi; ergo &c. 294

Respondeo negando assumptum; nam Sylvius de solo nomine disputat; si enim (quidquid de nomine sit) rem penitiùs spectemus, non aliter multi homines ad familiam, populum &c. duodecim Apostoli ad collegium, & sic proportionaliter de alijs, reipsâ se habent, quàm oves ad gregem, aurei aut tritici mensuræ ad cumulum; nec minùs aurei sunt in suo genere per se & seorsim materia completa furti mortalis; quàm duo homines in suo sint per se & seorsim materia completa homicidij mortalis; & sic de alijs proportionaliter. 295

Ad confirmationem.

Respondeo P. Oviedum principium petere, disparitatemque crudè nimis supponere, vbi de omnimoda paritate contenditur. Ratio autem P. Tamburini similiter principium petit; ipse enim ibidem n. 50. sequentia habet; *Qui vnô blasphemiæ impetu blasphemat, si ex eodem calore, licèt post aliquam interruptionem, blasphemiam iteret bis, ter, pluries; satis est dicere, blasphemavi; quia vnum moraliter peccatum commisit.* n. 51. *Si quis aliquem, vnô iræ impetu, ter, vel quater,* 296

 vel plu-

vel pluries percutit, vel vulnerat, vnum numerô peccatum committit; & si Clericus sit, qui percutitur, in vnam tantùm excommunicationem sic percutiens incidit; satisque erit sic fateri, hominem, vel Clericum graviter percussi, vel vulneravi. n. 52. *Qui simili vnicô impetu de eadem re pejerat iuramentô assertoriô, atque iterum, iterumque eôdem calore iureiurando confirmat; semel peccat; satisque est, si dicat, iuravi falsò.* n. 53. *Qui vnicô veluti contextu continuat graviter de altero detrahere; licèt, occasione datâ, aliquantulùm detractionem interrumpat; licèt alias diversas de eodem detractionis materias tangat; vnum moraliter peccatum committit; satisque erit, si sic fateatur, semel graviter de quodam detraxi.* n. 54. *Qui pari modô iniurias contumeliasque addit, superadditque, vnicô iræ fervore, licèt interponat aliqua alia verba ad iniurias minimè pertinentia; semel iniuriâ proximum affecisse censebitur; quare sufficit, si dixerit, iniuriavi proximum.* n. 55. *Sacerdos, qui successivè audit in peccato mortali plures confessiones, vnam post aliam, in sententia probabili non committit plura numerô distincta peccata. Idem, dic si Confessarius idem modicè deflexerit ad alios sermones, minimè facientes ad huiusmodi ministerium. Vnde satis erit, si dicat, audiui vnâ vice plures confessiones, absolutionem in statu peccati mortalis ministrando.* Ita ille, pro quibus continuò citat Emin. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. Sed, præterquàm continuò falsum supponat, videlicet circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes non esse in confessione aperiendas; vt infra dub. 16. ostendemus.

297 Quæro à P. Tamburino, cur idem non dicat de illo, qui eâdem voluptate, post aliquam interruptionem, fornicationem iterat bis, terve; ex eadem cholera occidit patrem & proles eôdem bombardæ ictu? Hîc enim, cum nulla sit interruptio, maior debet esse vnitas. Ista profectò malè affirmat; si hæc rectè neget; aut rectè disparitatem adferat, ne eius stet pro ratione voluntas: nos nullam videmus, & ideò idem quod ad Sylvium. n. 295. ad P. Tamburinum & Dianam Tom. 11. Resol. 2. respondemus; dum enim Diana cõtra Caramuelem *Theol. fund. fundamento* 29. citatus ait, in casibus his esse diversos omninò actus cõsummatos, neque vnum facere moralem vnitatem cum alio; secùs verò in præcedentibus, eò quod sic humanô modô æstimari soleat; de solô nomine disputat; solamque propriam æstimationem pro ratione adfert. Vnde nos de omnibus (sine absurdo, attentis Resol. sequenti dicendis) idem dicendum concludimus. In eam-

In eamdem difficultatem incidit Sylvius *locò supra citatô* aiens, *Is, qui ex eodem impetu odij, vel iræ, eadem convitia repetit, appellando v. g. quempiam quater vel quinquies furem; vel percussiones iterat eius, quem vel interficit, vel verberat, vnum peccatum committit, saltem quantùm ad necessitatem confitendi; quia prior voluntas perseverat, & prius peccatum continuatur, saltem moraliter, ita vt omnes illi actus vnam rixam, vel vnam pugnam, constituant, tamquàm eius partes.* Hæc quidem vera; sed cur quando aliquis vnam blasphemiam iactat in duodecim Apostolos; omnes vnius familiæ incendiô occidit &c, non vnica similiter est blasphemia; vnicum homicidium &c, ex multis partibus, quod ibidem negat? Non sunt loquelæ. Plures tales contradictiones, saltem virtualiter; apud alios reperies, si rem maturiùs attenderis. 29

Quid si convitia sic repetat, vt iniurias diversę rationis proferat, veluti appellando quempiam *furem, adulterum, simoniacum, periurum*? Respondet *ibidem* Sylvius. *Verius videtur cum Navarro cap. 6. n. 18. quod plura peccata committat, propter objecta specie diversa, etsi Bonacinas probabiliter opinetur solùm esse vnum.* Sed ratio Navarri vt supra ostendimus, nulla est. Cur igitur Sylvius non dicit diversas specie malitias, tum in vnam graviorem & diversæ speciei coalescere, provt in *adulterio, incestu & sacrilegio* Resol. sequenti fieri dicemus, ad eum modum, quô ipse docet diversas numerô malitias in vnam rixæ, pugnæ &c malitiam coalescere? Multa, dixi, talia reperies, si attenderis. Vnde Bonacinæ & aliis adhærrescendum putamus, ob rationis paritatem, sed aliunde suppositâ resolutionis sequentis, vel alterius n. 327. veritate. 29

RESOLVTIO V.

Dico 5. non reperiuntur in eodem peccato multæ malitiæ, sive specie, sive solô numerô diversæ. Ita Authores *Resol. citatâ*, contra Vasquez 1. 2. *disp.* 75. *cap.* 2. *n.* 10. *& Tom.* 4. *in* 3. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 6. Henriquez & multos alios; sed vna distinctè in confessione exprimenda, vt magis dub. 12. declarabitur. 300

Probatur 1: quia, vel actus, qui in interno & externo perfectissimè completur, sua objecta attingit, cum interruptione vnô 30

ex modis

ex modis n.276. allatis, vel sine? Si primum; juxta suam interruptionem censetur multiplex, vti *ex Resol.* 2. patet: si verò secundum; prout omnia tunc censentur esse vnicū peccatum juxta *Resol* 4. ita & vnius malitiæ peccatum; quandoquidem in peccatorum multiplicatione, vel vnitate, attendi debeat ad id, quod importatur in recto (quod est malitia) an vnum, an plura. Vide dicta n 279. & adde, quod si omnia vnum censeantur, vnam, ad suam naturam proportionaliter, censeantur actui contribuere malitiam; ergo &c.

302 Probatur 2. quia, sicut intellectus vnius speciei & numeri in actus specie, puta assensum & dissensum; & solô numero, puta duos assensus, diversos; tendere potest: ita peccatum, seu peccaminosus actus, vnius speciei & numeri in objecta specie & solô numerô diversa; ergo &c. Antecedens supra probatum est, & patet ex præmissis *dub.* 7. *Resol.* 1. & 2. Consequentia tenet à pari.

303 Confirmatur 1. hæc sententia multùm facit ad vitandum gravissima absurda, quæ, intuitu confessionis Sacramentalis, in aliorum sententia dissimulantur: vt 1. Non oportere explicare in confessione numerum fæminarum eiusdem conditionis, quas quis eôdem actu concupiscit: ita Megala 1. *p. lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 4. Sed contra, cur potiùs numerum occisorum, quando quis vnô ictu plures volens occidit? 2. Sufficere confiteri commissum adulterium, quando coniugatus cum coniugata fornicatus est. Ita Michael Zanardus *in Direct. Theol.* 1. *p. super* 6. & 9. *præcepto.* quod probabile docet Sa *Verbo confessio.* Sed cōtra, cur potiùs numerum occisorum, quando adulter ille vnô ictu vxorem propriam & virum adulteræ occidit? 3. A pœnitentibus solùm explicandas species multiplicatas in eodem actu, & omnia individua peccatorum; non verò plures ejusdem actus solô numerô distinctas malitias. Emin. de Lugo. *de Pœnit. disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 134. quem sequitur Tamburinus *in sua Methodo expeditæ confessionis lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *n.* 59. Sed contra, cur ad explicandam peccati speciem, oportet potiùs omnem istiusmodi actus malitiam specificam explicare; quàm ad explicandum peccati numerum, omnem istiusmodi actus malitiam numericam? 4. Eum, qui simul decernit plures committere fornicationes; plures homines occidere; in plures homines maledicta jacere; pluribus simul eôdem revelatô

lato delicto honorem detrahere; tot peccatis numerô distinctis peccare, seu tot malitijs numero distinctis in confessione necessariò aperiendis (in quantum fieri poterit) quot sunt objecta, circa quæ illius versatur actus. Ita P. Oviedus 1.2.*tract*.6,*Cont*. 5. *p*.6.*n*.127. Sed contra; quâ consequentiâ, ait, n.124. ita propoponere furari duas bursas, quarum quælibet materiam gravem contineat, vt vi ejusdem numeri actus, modò ab eadem persona arripiatur vna,& in continenti alia, esse vnum tantùm injustitiæ peccatum? An fortè per ipsum vna & alia bursa sub furto, non tam distinguuntur, quàm vna & alia fornicatio sub vna, vno, ex allatis modis n.276. non interrupta delectatione carnali; quàm vnus & vnus homo sub eodem ictu bombardæ, quo simul occiduntur, & sic de alijs? Neutrum capio.

Subsumo: atqui nobiscum dicendo, 1. peccatum, sive actum, 304
qui, in aliorum sententia, continet diversas speciе malitias, habere vnicam vnius speciei, sed omnes illas objectivè indivisibiliter continentem, ac ideò ab earum qualibet seorsim, tam distinctam, quàm inter se distinguuntur; & consequenter, tam in confessione exprimendam, quàm quælibet seorsim exprimi debeat: 2. actum, qui, in aliorum sententia, continet diversas numerò malitias, habere vnicam vnius numeri, sed omnes illas objectivè indivisibiliter continentem, ac ideò ab earum qualibet seorsim, tam distinctam, quàm inter se distinguuntur; & consequenter, tam in confessione exprimendam, quàm quælibet seorsim exprimi debeat: vitantur dicta confessionis absurda & abusus; nec plus, aut minus, ad confessionem Sacramentalem, quæ integra, aperta & verecunda esse debet, requiritur; ergo &c.

Hîc autem prætermittere non possum id, quod loco citato. n. 305
61. docet P. Tamburinus, his verbis. *Si simul vnicâ v.g. explosione bombardæ occidis decem, viginti, plures homines: satis est*, juxta de Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 3. n. 141. *si dicas, vnô ictu occidi multos: non sufficit autem dicere vnô ictu occidi hominem, seu feci homicidium; quia sic Confessarius intelligeret te vnum tantùm occidisse: atque adeò non fatereris tuum peccatum, quô occidisti plures; at dicendo cum illa generalitate occidi multos, intelligit, quantùm satis est, peccatum, quod de facto commisisti.* Prosequitur n.62. *Qui vnicô actu desiderat occidere decem, viginti, plures*, (De Lugo ibid. n.135.) *quique vnico item voluntatis actu concu-*

O *piscit*

piscit copulam cum tribus (idem De Lugo ibid. n. 141.) *cum decem, cum pluribus fœminis ejusdem rationis; satis propter eamdem rationem est, si in confessione dicat, semel desideravi occidere plures, & semel plures fœminas liberas concupivi.* n. verò 63. *Qui vnicò actu detractionis multos simul læsit, propter eamdem rationem non est necesse* (De Lugo ibid. n. 134.) *vt numerum personarum læsarum aperiat, v. g. si quis detrahat familiæ, vel domui, vel Religioni, sive numerosa sit, sive modica, satis, abundeque est, si dicat, detraxi cuidam familiæ &c.* n. 64. *Qui suo vnico actu peccaminoso scandalum est aliquibus, seu occasio peccandi, ne sit sollicitus explicare numerum astantium; satis enim habebit,* (De Lugo ib. n. 135.) *si dicat, fui semel multis occasio peccandi, meo malo exemplo. Ratio est eadem.* n. denique 65. *Qui vnico actu bona multorum lædit, v. g. furatur bona Communitatis, vel hæreditatis plurium; satis est, si dicat, furatus sum à Communitate, vel ab hæredibus; nec esse sollicitus debet explicare, quot-nam personæ in illa Communitate, vel hæreditate numerantur. Immò hâc in re praxis communis est* (De Lugo ibid. n. 136.) *solùm dicere, furatus sum rem alienam, nihil aliud addendo; & meritò, quia ille respectus ad personas, in hac materia, videtur se magis materialiter habere, quàm in alijs materijs; potiùs enim hîc consideratur, quod injustè contrectasti, quàm à quo abstulisti.* Ita ille. Sed contra

306 Quæro 1. An, sicut per Authores istos, dum ille, qui viginti homines occidit, cum hac generalitate confitetur, *occidi multos*, satis est, tum ipsi vt se exprimat, tum Confessario vt peccatum cõmissum intelligat; similiter dum ille, qui copulam sub vno delectationis carnalis moraliter in-interrupto motivo copulam habuit cum viginti, matre v. g. sorore, filia, conjugata, soluta, virgine, moniali, cum omnibus tam præposterè, quàm naturaliter; cum viro, bestia, dæmone &c. (si tamen numerus tantus non videatur eidem motivo moraliter in-interrupto subsistere posse, eum ad matrem vtrôque modô, bestiam & dæmonem restringe) cum hac generalitate confitetur, *habui copulam cum multis*, satis sit, tum ipsi vt se exprimat, tum Cõfessario vt peccatum commissum intelligat? Si negent; rationem peto, quandoquidem hæc, vt sæpe supra probatum est, non minùs vniantur moraliter in isto vno motivo; quàm ista homicidia in isto vno ictu: si affirment; vbi est illa confessio *integra, aperta & verecunda*, quam toties inculcant Patres, & tantoperè commendat Tridentinum? Miraberis fortè

fortè me transire à tacito numero ad tacendum speciem. Sed, quid opponant Adversarij, hincque ad speciem transeundum pateat; audiamus.

Respondebit fortè P. Tamburinus id, quod n. 59. præmittit, *Ex Tridentino solùm habemus præceptum confitendi solas species, & singula numerô peccata: nunquam verò apparet præceptum explicandi singulas numero malitias, quæ fortè sint in singulis peccatis. Asserimus ergo à pœnitentibus solùm explicandas species multiplicatas in eodem actu, & item omnia individua peccatorum: & quidem meritò, vt nimirum sic omnia peccata clavibus subdantur. At omnes numero malitias fortè inclusas in vno eodemque peccato, necessariò explicare; quia scrupulis id & perplexitatibus satis erat obnoxium, cum non judicaverit benignus præcipere; sub præcepto (vt ex verbis Tridentini colligitur) nos ad id obstringere fideles, nequaquam possumus.* Hæc Responsio videtur sumpta ex Emin. De Lugo disp. sæpe cit. n. 113. & 134. 307

Sed contra 1. Quæro, an per ipsos, actus habens plures speciè malitias, sit vnum specie peccatum, an plura specie peccata? Si primum; quomodò actus habens plures numerô malitias non æquè moraliter censetur plura numerô, aut potiùs illud similiter specie vnicum? Si secundum; sive, si dicant esse vnum specie peccatum, non obstantibus pluribus specie diversis ejus malitijs, sicut dicunt vnum esse numerô peccatum, non obstantibus pluribus numerô diversis ejus malitijs: vti per ipsos satis est confiteri indistinctè numerum, sivè omissis numero diversis ejus malitijs; ita per eosdem satis esse debet confiteri indistinctè speciem, sive omissis specie diversis ejus malitijs, vt n. 306. sequi contendebamus. Quis hoc credat? 308

Contra 2. Vbinam Tridentinum distinguit inter malitias specie diversas ejusdem actus, & malitias illius solô numerô diversas? Locum non reperio. Vbi igitur docet illas esse in confessione exprimendas, has non? Hunc locum minùs reperio. Docet quidem Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri.* Et infra, *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Quę *Canone* 7. reperiuntur. Sed, cum tam sint peccata mortalia ea, quę solô numerô distinguuntur, quàm quę specie distinguuntur; nihil 309

est in

est in istius contortionis favorem. Quod verò de scrupulis adfertur; minus quàm satis pensi habet, cum æquè facile sit velle, & se velle viginti homines occidere, deprehendere; quàm velle, & se velle cum matre, moniali, bestia &c. vt supra, fornicari: imò plerūque in malitijs solô munerô distinctis, vt v.g. blasphemijs de Deò Patre & Filio, idololatrijs Baal & alij Idolo factis, viginti Clericidijs eodem ictu &c. est gravior offensa Dei, quàm in specie distinctis, vt v.g. in furto ad fruendum meretrice, gravi percussione Clerici, fornicatione cum exposita conjugata &c.

310 Contra 3. ex præmissis n. 279. peccata multiplicantur secundùm id, quod imporant in recto, malitiam scilicet; ac proinde, sicut per malitias specie distinctas peccata specie multiplicantur, ita per malitias numerô distinctas numerô multiplicantur; sed non minùs de fide est, ex præmissis Tridentini verbis, oportere confiteri mortalia solô numerô distincta, quàm specie distincta. Igitur ipsi viderint, quid doceant.

312 Quæro 2. An vbi quis vnô ictu occidit viginti homines, hujus peccatum sit *multum homicidium*, nec nè? Si hoc secundum; quomodò satis est ipsi & Cōfessario, si in confessione dicat, *occidi multos*, quod æquivalet *multum homicidium commisi*; nam aliud peccatum confitetur, quàm commisit? Si primum; ergo *multum homicidium* stat pro viginti; qui hoc, cum similiter stare debeat pro centum in eo, qui centum occidit, & pro quinque dumtaxat in eo, qui quinque tantùm? Numquid hinc evidenter sequitur illi, qui centum homines occidit, satis esse, si exprimat se quinque occidisse, ac sic intelligat Confessarius; & è contra illi, qui quinque tantùm, si exprimat se centum, ac sic intelligat Confessarius? Omninò; nam in sententia ista *multum homicidium* indifferenter pro *centum* & *quinque* à pœnitente exprimitur & à Confessario intelligitur: quid autem id aliud sit, quàm tollere obligationem confitendi numerum & speciem (quia ly *multi*, tam cadere potest supra *speciem*, quàm supra *numerum*) non percipio. Iterum dico, ipsi viderint.

313 Respondet quidem Emin. de Lugo *disp. 16. sæpe citata n. 116.* ex institutione Sacramenti pœnitentiæ colligi, non solùm quod debeat explicari peccatum commissum; sed etiam quod debeat dici vt certum, quod certum est, ac sic juxta numerum certum peccata

peccata certo numero commiſſa; vt dubium, quod eſt dubium &c.

Sed contra: per hoc quidem Emin. De Lugo ſignificat non ſatis eſſe homicidam dicere *occidi multos*, vbi certus eſt occiſorum numerus, viginti v. g. in quo ab ejus mente aberrat P. Tamburinus, dum determinat, *decem, viginti*. Verumtamen non ſolvit allatam difficultatem; quia ſi verum eſt, quod *numero* 134. docet, *non inveniri aliquod præceptum de explicando toto numero malitiarum.* ſive, vt expreſſis *ibidem* alijs ejuſdem verbis vtar, *licèt in peccato habente plures malitias ſpecie diverſas debeant omnes explicari; non ſequitur idem in peccato habente plures numero diſtinctas.* Sive numerus occiſorum, vel potiùs malitiarum eiuſdem ictus ſolô numero diſtinctarum, ſit certus, ſive incertus & dubius, non eſt explicandus, & ſufficit illum explicare confusè per ly *multum*. Addendum, quod, quidquid dicet de numero & malitijs ſolo numero diſtinctis, retorqueri poſſit in ſpeciem & malitias ſpecie diſtinctas. Ex his autem patet ad ea, quæ ex P. Tamburino à *n.* 61. *ad* 65. præmiſimus; quia autem *hoc numero* 65. ſpecialem difficultatem proponit, 314

Quæro 3. quomodò ſtet, quod docet P. Tamburinus *n.* 65. perſonas in furto ſe habere magis materialiter, quã in alijs, in eoque potiùs conſiderari quid contrectatum, quàm à quo ablatum; cum eo quod *n.* 74. habet, nempe, furtum vnicum, quod graviter læſit duos, poſſe in confeſſione dimidiari, quaſi eſſent duo dimidia furta commiſſa, ſic ſcilicet, vt, ſi in prima confeſſione dimidij tantùm memor, & illud confeſſus; in ſecunda ſufficiat alterum dimidium confiteri; ſecùs furtum quod læſit vnicum: non enim hujus diſparitatis ratio, prout nec præcedentium, ſufficiens adfertur. Vnde 315

Confirmatur 2. Reſolutio noſtra multùm facit ad ſuperandas varias Confeſſariorum perplexitates. 1. circa peccata multas ſpecie malitias continentia, vt v. g. adulterij *luxuriam* & *iniuriam*, vel ſacrilegij *fornicationem* & *irreligionem*; an in confeſſione dimidiari poſſint, ſemel dicendo *luxuriam commiſi*, & iterum in eadem confeſſione, vel altera, ſi antea immemor, *injuriam feci proximo*; quod affirmant Navarrus, Henriquez, Valentia, Sa, Sanchez & alij plures, quos refert & ſequitur Bonacinas *diſp.* 5. *de Sacram. q.* 5. *ſect.* 2. *p.* 2. *§*. Sed negandum eſt omninò; quia alioqui in ordine 316

 ad con-

ad confeſſionem nulla erit diſtinctio inter peccatum vnum continens duas diverſas ſpecie malitias, & duo peccata, quorum vnum vnam, & alterum alteram iſtarũ continet; quô ſemel datô, nullum adulterium vt tale; nullum ſacrilegium vt tale; nullus inceſtus vt talis, & ſic de alijs duplicis ſpeciei peccatis, erit confitẽdum quod iterum tollit apertam & verecundam peccatorũ quoad ſpeciem & numerum, quam tantoperè Patres & Tridentinum cõmendant, confeſſionem. 2. Circa peccata multas numerô malitias continentia, vt v.g. furti vnius duarum burſarum, quarum quælibet continebat aureos quinquaginta; malitiam quinquaginta & malitiam quinquaginta continentis; an in confeſſione dimidiari poſſint, ſemel dicendo *furatus ſum quinquaginta*, & iterum in eadem confeſſione, vel altera, ſi anteà immemor, *furatus ſum quinquaginta?* Affirmatur quidem communiter; ſed negãdum ob rationem proportionaliter eamdem; & maximè attendendum, quod fornicatio & Religio ſeorſim, nõ ſint ſacrilegium commiſſum; item quod furtum quinquaginta, & quinquaginta ſeorſim, non ſint furtum centum aureorum commiſſum; ac proinde, quod, tam prima, quàm ſecunda (quidquid dicat P. Tamburinus *locò ſupra citatò n.* 76. 77, *&* 80.) confeſſio ſit de peccato non commiſſo & ſacrilega.

317 Subſumo: atqui perplexitates iſtæ, & alia ſimilia abſurda, de quibus ante, omni, quô commodè fieri poteſt, modô, vitari debent; ergo &c. minor & conſequentia difficultate carent; major verò patet ex ſubſumpto Confirmationis 1. Ex præmiſſis autem

318 Reſpondeo ad Caſum D. Caramuelis n. 272. propoſitum. Petrum vnum numerô peccatum commiſiſſe, illudque vnius malitiæ dumtaxat; ac proinde non ſatisfacere, niſi confiteatur ſe quatuor homines occidere voluiſſe; idque non ſeorſim, ſed ſimul & ſemel, ſive vnicô voluntatis actu; quia alioqui, vt iam probatum eſt, aliud confiteretur peccatum, quàm commiſit, & non confiteretur, quod commiſit: neque hìc habet locum opinio P. Suarez, de qua idem Caramuel nu. 273. quia (præterquàm ſit falſa, vt *dub.* 12. probabitur) ſupponit intentionem Petri non æquè 1. tendere in quatuor homines; nos oppoſitum, quô caſu omnes quatuor ſunt æquè principaliter de objectô ſubſtantiali actus: vel, ſi id ſupponit, non apparet, cur quaternitatem illam,

circum-

circumſtantiam tantùm aggravantem vocet, vti etiam *ibidem* probabitur. Ad cætera autem ſatisfeci à n.275. ad n.283.

DVBIVM XII.

Quomodò in confeſſione aperire oporteat peccata, objectivè quidem indiviſibilia; ſed ſpecie, vel numerô, diverſis peccatis æquivalentia.

D. ÇARAMVEL

In ſua ſupra citata Quæſtione n. 11. & 12. 13 & 14.

PEtrus vnicô voluntatis actu occidere voluit quatuor homines; & modô ad ſe reverſus doceri vult, quô modô teneatur confiteri. 319

Vt formam plures materias informantem ad mores reducam, produco Fridericum ſæpe pugnantem cum procis (actiones ſunt diſtinctæ numerô) ſæpe munera & minas (actiones ſunt ſpecie diſtinctæ) obloquentem, & omnia hæc vt potiatur Antonia: ergo omnes illæ actiones, qualeſcumque illæ ſint, finis malitiâ informantur; ergo ſi eſſent omnes aliàs indifferentes, eſſent, propter iſtam finis malitiam, omnes mala? Annè in confeſſione mediorum indifferentium, quæ ad finem malum ſunt, pluralitas eſt explicanda? 320

Et vt hæc ipſa meliùs & profundiùs intelligam. Quæro 6. *quô debeat confiteri modô Theopompus, qui Fridericum vnicô corpore & vnicâ animâ; Geryonem tribus corporibus & vnâ animâ; & Antæum vnô corpore & animabus multis præditum interemerat? An ſatisfaceret, ſi diceret,* tres homines occidi*? & ſi hôc ſatisfaceret modô; an etiam, ſi in alijs generibus peccata committeret, quæ vel in eadem morali materia habeant plures malitias diſtinctas puro numero; aut vnicam malitiam in pluribus materijs moralibus?* 321

Et quia materiæ ſimilitudo huc provocat; producam notabile monſtrum, cuius conſideratio poſſit huic controverſiæ ſervire: de illo multi Hiſtoriographi; iure etiam Scholaſtici; & breviter & accuratè P. Andreas Capittel, diſp. de origine omnium rerum Dilingæ, Anno 1619. propugnatâ, *ſic inquit, Monſtrum fuit in Scotia circa Annum* 1490. *inferiori*

corporis

corporis parte specie maris, nihil à communi hominum forma discrepans; vmbilicum verò supra, trunco corpore, reliquisque omnibus membris geminis, & ad vsum & speciem discretis; quod Iacobus 4. Scotiæ Rex, Mariæ Stuartæ gloriosissimæ Martyris avus, educandam & diligenter erudiendum curavit, & maximè in musicis, quâ in re mirabiliter profecit; quin & varias linguas didicit, & varijs voluntatibus duo corpora secum discordia & litigiosa discutiebat, cum aliud alij placeret; interim velut in commune consultabant: cum superiore parte pungeretur, læderetur vè ad alterum tantùm corpus, quod lædebatur, sensus pertinebat; cum inferius, ad vtrumque. Tandem cum annos 28. vixisset, & corpus alterum complures, ante alterum, dies extinctum fuisset, superstes, dimidiô sui putrescente, paulatim & ipsum contabuit. Sic ille.

323 *Et ego monstrum hoc attentè considerans,* Inquiro 7. *An non eius inferior pars à duabus simul animabus fuerit informata? Et si fuisse dicatur: an non solo hoc ariete diruatur Physica Thomistarum? Et si non fuisse dicas, exponas quæso, quo poterat modo vterque dolorem sentire, quando lædebatur infernè? Et si membra inferiora erant cõmunia,* Quæro 8 *an alter potuerit lascivire, altero, nec lasciviente, nec peccante?* 9. *an alter vovere castitatem potuerit, aut vxorem ducere, altero invito?* 10. *an hoc monstrum fuerit homo biformis; an duo homines; an sesqui-homo potius? & quo peccasset modo, aut quo debuisset confiteri, qui alteram monstri partem occidisset? quo qui vtramque?* 11. *si illæ duæ voluntates diversis moribus fuissent imbutæ (imò & fuisse de facto alibi legisse me memini)* Quæro 12. *quid fieret de isto monstro, si altera pars moreretur in gratia, altera in peccato mortali? Altera anima, inquies, coronaretur cœlitùs, & altera æternis cruciatibus addiceretur. Esto; sed quid fieret post Resurrectionem de illa inferioris corporis parte, quam à duabus simul animabus informari putamus? vtram illa animam, felicem, an infelicem, sequeretur? an fortè vtramque, & speciali miraculo in cœlo & orco replicaretur?*

324 *Hinc ad moralia veniens, subdubitare incipio, an non possint reperiri, aut fortè de facto reperiantur actus aliqui humani huic monstro similes? Si altera anima salvaretur, & altera condemnaretur, materia inferior, eadem, esset supplicio & gloriâ digna. Et ideo* Quæro 13. *an possit vnus & idem actus esse simul meritorius & peccaminosus? An actus amoris supernaturalis, secundùm communem cursum rerum, alicuius levis deordinationis sit capax? An præter communem cursum, capax etiam sit deordinationis gravis & mortaliter peccaminosæ?*

Et quia

Et quia idæa physica, quæ me impræsentiarum manuducit, vt videbamus, monstrum est; 14. Inquiro, *an etiam in actibus humanis sint monstra? & si sint, an omnia sint peccaminosa: an fortè possit aliquis contra morales humanorum actuum conformatrices leges peccare, quin dicatur peccare contra legem divinam? Et vt omnia & singula meliùs intelligantur, Exempla postulo, quibus monstrosæ moralitates probentur & dilucidentur: regulas, quæ nos doceant, quô debeant modô in confessione monstrosa peccata explicari; tenentur enim homines species culparum exponere, & monstra ad nullam speciem spectant.* 325

AVTHOR.

DOm. Caramuel hîc tot, & tam varijs quæstionibus, quęstiones intricat, vt vix extricandis illis integer tomus sufficeret: quia autem modò non vacat, nec expedit tot & tantas quęstiones à suis principijs dissolutas vnô compendiô resolvere: pro ratione præsentis instituti, pleniorem resolutionem tempore & & locô daturus, quid sentiam, breviter insinuabo. Itaque sit 326

RESOLVTIO I.

Principalis Dubij.

DIco 1, Oportet in confessione sic peccata, sive multis specie, sive multis numerô æquivalentia, aperire, vt eorum, tum vnitas moralis, tum æquivalentia multis, appareat: vnde adulter hôc modô non satis explicat peccatum suum, *fornicatus sum & semel gravem injuriam feci proximo;* vti nec homicida, qui quatuor vno ictu occidit, suum hôc modô, *quatuor homines occidi;* sed hôc debet, vel simili, modô, *adulterium commisi*, vel, *vxoratus* (si talis) *cum vxore alterius copulam habui. Vno ictu quatuor homines occidi.* Scio quidem quàm plurimos, eosque doctissimos, sive Morales, sive Scholasticos, hæc, *occidi quatuor homines,* & *vno ictu occidi quatuor homines,* tamquàm morali æstimatione vnum, in confessione confundere; sed immeritò & confusè nimis, vt statim patebit. 327

Probatur 1. ex Tridentino sess. 14. cap. 5. vbi sic habet, *Ex his* 328

 colligitur

colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint. Et post pauca, *Qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.*

329 Subsumo; atqui in confessione non aperiendo peccatorum istorum vnitatem moralem, aut multis specie, vel numerô, distinctis peccatis æquivalentiam; omnia peccata mortalia in confessione non recensentur; ergo &c. Probatur subsumptum; quia non solùm vnitas illa, & æquivalentia hæc, est de essentia peccatorum istorum.; sed vnitas illa, tam diversificat vnum à multis, quibus æquivalet, quàm horum multitudo diversificet multa ab isto vno, in quo continetur: atqui, morali æstimatione, multitudo ita diversificat multa ab isto vno: vt 1. qui multa peccata specie distincta commisit, v.g *fornicationem & gravem irreverentiam in matrem,* ac *fornicationem & irreligionem gravem*, ea non recenseat, dicendo, *Incestum in primo gradu commisi, sacrilegam fornicationem commisi;* sicut nec è contra, qui incestũ in primo gradu & fornicationem sacrilegam, dicendo, *Commisi fornicationem & gravem injuriam in matrem*, ac *fornicationem & irreligionem gravem*: vt 2. qui multa peccata numerô distincta commisit, v.g. centum furta vnius aurei, tres fornicationes &c. interruptè moraliter; similiter ea non recenseat, dicendo, *Semel sum furatus centum aureos, vnô actu moraliter in-interrupto fornicatus sum tertiò &c.* ergo &c.

330 Probatur hæc minor *atqui morali æstimatione* &c. 1. quia alioqui, sequitur 1. morali æstimatione, peccatorum speciem vt talem, v.g. adulterium vt tale, incestum vt talem, & sic de speciebus alijs, non esse materiam necessariam confessionis; sed vel ipsam, vel numerum peccatorum speciei æquivalentem dumtaxat: 2. sequitur, morali æstimatione, numerum vt talem *duo, tria, quatuor* furta v.g. *duas, tres, quatuor* fornicationes, & sic de alijs peccatorum numeris, non esse materiam necessariam confessionis; sed vel ipsum, vel vnum multis æquivalentem dumtaxat: sed vtraque sequela est cõtra hunc communem sensum, *Oportet peccata sua secundùm speciem & numerum confiteri*, sivè, vt loquitur *Tridentinum* sess. 14. cap. 5. *In specie.* Et can. 7. ejusdem. *Omnia & singula.* Ergo &c.

331 Probatur minor ista 2. quia juxta *Tridentinum* cap. 6. jam citatô, *Peccata sine circumstantijs speciem mutantibus, neque à pœnitentibus integrè*

integrè exponuntur, nec Iudicibus innotescunt; atqui peccata vt sic, prout seorsim ab illis circumstantijs, ita sine illis, exponuntur; ergo &c.

Probatur eadem minor 3. quia juxta *Tridentinum ibidem*, confessio debet esse verecunda, *Cum aperta & verecunda confessione*. Item, *si enim erubescat ægrotus* &c. & infra, *peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset* &c: atqui speciem, v. g. sacrilegium, incestum cum matre &c, in multa dividendo, valde minuitur illa verecundia; ergo &c. 332

Probatur minor 4. supponatur, quod Petrus centies interruptè adulterium, & centies sacrilegium cum Moniali, commiserit; deinde, quod Paulus centies interruptè quâlibet vice aureum furatus sit; in sententia eorum, qui docent circumstantias, intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, non esse in confessione aperiendas, satisfacerent dicendo, *Sum fornicatus; gravem injuriam commisi; graviter peccavi contra Religionem; materiam gravem furatus sum*: atqui hoc est intolerabile, & contra communem praxim ac omnium Doctorum mentem; ergo &c. Probatur sequela; quia ablatâ necessitate explicandi speciem, centum fornicationes, quę in centum adulterijs, & centum, quæ in centum sacrilegijs cum Moniali, possunt seorsim ab injuria proximi & irreligione explicari; & aliunde, ablatâ necessitate explicandi numerum seu interruptionem moralem; numerus, seu multitudo, supra primam fornicationem se habet vt circumstantia intra eamdem speciem notabiliter aggravans, quam in sententia ista non oporteat confiteri; ergo &c. Discurre proportionaliter de tribus alijs. 333

Probatur Resolutio 2. fornicatio & gravis injuria in proximum, seorsim sumpta & explicata, morali æstimatione, tam distinguuntur ab adulterio, quàm corpus & anima rationalis locô dissita ab homine: sed qui hæc habet, morali æstimatione hominem non habet; ergo qui ista in confessione recenset, morali ęstimatione adulterium non recenset; & sic de alijs proportionaliter; ergo &c. 334

Confirmatur: peccata, quæ in actu interno & externo perfectissimè consummantur, & certò sunt vna, vel plures seorsim species; vnum numerô, vel seorsim numerô plura; certò vt talia in confessione explicari debent; nec sufficit ea incertò & dubiè, an 335

vna vel plures seorsim species; vnum numerô vel seorsim numerô plura, exponere, vt omnes fatentur: atqui ex opposito conclusionis sequitur id sufficere; quia semper dubium erit, an vnô, an pluribus seorsim actibus , vt consideranti patebit; ergo &c. Ex his

336 Colliges moralem quidem connexionem vnitatis & æquivalentiæ peccatorum istorum, cum peccatis, quæ pœnitens clarè & distinctè confitetur, excusare posse à clara & distincta earum cõfessione; sed nihil præterea, quod à clara & distincta mortalium secundùm numerum & speciem confessione non excuset: vnde, si inter media ad fornicationem v. g. vel quemvis alium finem illicitum. medium extraordinarium, quod cognitô fine, defectu connexionis moralis cum illo, hôc ipsô non cognoscatur, assumptum sit vltra finem ; si mortale , clarè & distinctè aperiri debet,

RESOLVTIO II.

Ad D. Caramuelem n. 319. *citatum.*

337 DIco 2. illô casu, Petrus ad se reversus debet clarè & distinctè confiteri se vnicô voluntatis actu occidere voluisse quatuor homines. Ratio sumitur ex Resol. præcedenti.

RESOLVTIO III.

Ad eumdem n. 320. *citatum.*

338 DIcô 3. actiones indifferentes, bonæ & malæ, specie ac numerô distinctæ, quæ simul in-interruptè moraliter ad copulam cum Antonia ordinantur, sunt vnum fornicationis cum Antonia peccatum; sed æquivalens multis specie & numerô mediorum quorumcumque distinctis malitijs ; ac proinde secundùm suam vnitatem, & æquivalentiam illis multis, clarè & distinctè confitendum.

339 Ratio etiam sumitur ex Resol. 1. quod verò inter media, non-

nulla

nulla connumerentur indifferentia & bona, nil refert; quia per finem malum satis dehonestantur: *bonum enim ex integra causa; malum ex quolibet defectu.*

RESOLVTIO IV.

Ad eumdem n. 321. *citatum.*

DIco 4. Fridericus, Geryon & Antæus nonnisi sunt tres homines monstrosi; quia juxta probata in Logica *Præp. log: disp.*4. *dub.*3. concretum *homo* non multiplicatur, nisi multiplicatâ re (qualis, nec corpus, nec anima seorsim est) habente humanitatem; in Casibus autem ibi expressis, tres tantùm res tales reperiuntur: quapropter Theopompus abundè confitebitur, dicendo *tres homines* interruptè, aut in-interruptè moraliter, prout contigerit, *occidi*. Quod verò in Geryone sint plura corpora sub vnâ anima; & in Antęo plures animæ in vno corpore, nil refert; quia, prӕterquàm monstrosè moraliter quodammodò adunentur, multiplicatione corporum tantùm, aut animarum tantùm, non multiplicantur homines, vt statim diximus. Vnde patet *ad* 1. *Quæstionem n.* 321. *propositam*. Secundæ autem solutio evidenter eruitur ex *Resol.* 1. 340

Dubitari quidem posset: an casus illi monstrosi sint naturaliter possibiles, quandoquidem in Later. sess. 8. definiatur, quod *anima rationalis immortalis existat; & pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilis, multiplicata & multiplicanda sit.* Aliundeque Philosophi communissimè doceant duas formas totales substantiales non posse, saltem naturaliter, in eadem materia coexistere, vti nec è converso, vna in duabus materijs. Sed ad primum Respondeo, Lateran. Concilium loqui de corporibus multis simpliciter, vt manifestè colligitur ex hæresi Averröis, quam ibi damnare intendit, videlicet quod *vnica anima sit in cunctis hominibus*; nõ verò de corporibus multis monstrosè adunatis, ac sic vno moraliter; de quibus casus procedunt; aut certè hi casus dici deberent supernaturales, ad quos procul dubio Concilium suam definitionem non extendit. Ad secundum autem; oppositum varijs experientijs & rationibus probavi in Physica *p.* 1. *lib.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 3. 341

RESOLVTIO V.

Ad eumdem n. 323. citatum.

342 Dico 5. monstrum tale, quale illud Regis Scotiæ fuisse depingitur, semper mihi visum est naturaliter possibile, vt probat exemplum, quod in Physica locô statim citatô proposui, ad quod definitionem Later. Concilij non extendi, extra omne dubium credidi; & ob rationem Resolutione præcedenti allatam, etiam nunc credo, licet P. Petrus Martyr de Hybernia apud Caramuelem *Theol. fund. ejusdem p. 2. Epist. 6. dub. 6. & 7.* ad salvandam incompatibilitatem duarum formarum totalium substantialium in eadem materia naturalem, & supernaturalem Thomisticam, vti & vnius formę in duabus materijs, ad illud definitionem Lateranensis detorqueat & violentet.

343 Sed difficultas manet in solvendis Quæstionibus 8. 9. 10. 11. & 12. quas ratione istiusmodi monstri *ibidem* movet D. Caramuel. Igitur

344 Ad octavam Respondent Illustrissimus D. Claudius Liberus apud Caramuelem, *locô jam citatô, Epist. 2. Vnô lasciviente, alterum etiam lascivire debuisse (quod actum materialem concernit;) quia id peragitur potentiâ necessariâ &c, posse tamen alterô peccante, non peccare quia id peragitur potentiâ liberâ &c.* P. Petrus autem de Hybernia *ibidem Epist. 6. dub. 8. Quod pars monstri superior, cujus animâ informabitur inferior pars* (dixit enim contra monstri experientiam dub. 7. *necesse esse fateri inferiorem partem illius monstri informatam fuisse vnicâ animâ, & consequenter, quod, dum lædebatur, sensus non pertingebat ad vtramque partem superiorem*) *poterat lascivire & peccare, alterâ parte non lasciviente, nec peccante.* Eximius D. Passerinus denique *ibidem, etiam Epist. 11.* eludit difficultatem, solùm respondens, *Si eadem membra vtriusque voluntate regantur; illa anima peccabit, quæ v. g. volet lascivire; quæ verò nolet, innocens est defectu consensus.*

345 Ad nonam ijdem Respondent: Primus quidem, *Dico vnum, alterô invitô, potuisse castitatem vovere, vt castitas consistit in non consensu ad actum materialem. Probatur, quia id, vt probatur, potuisset præstare; ergo vovere. Ad alteram partem, vbi quæritur, an alterô invitô potuerit*

vxorem

vxorem ducere. Resp. affir. cum distinctione, si ducere potuerit, alterô consentiente. Secundus autem, *Ille, cujus animâ informabitur inferior pars, si non est impotens, aut aliud impedimentum canonicum habeat, potest vxorem ducere, alterô invitô; quia in ordine ad actionem generativam, inferior pars est sua propria, & quantùm ad hoc plenum ipsius dominium habet; alter autem poterat quidem vovere castitatem; non tamen ducere vxorem, cum censeatur carere potentia generativa.* Tertius denique, *Altera anima poterit vovere, quod altera recusat.*

Sed Authorum istorum Resolutiones vehementer displicent; eò quod duobus istis super vno trunco hominibus, consequenter ad illas, concedere debeant in deliberatos tactus membri genitalis, in motus deliberatos pedum, & aliorum membrorum inferiorum communium, diuturnum dominium in sollidum; ac ideò in similibus pugnam vtrimque multô tempore durantem, materialiter justam; sic videlicet, vt vnus horum vxoratus, justè & sine peccato, tactus & motus illos deliberatè committere possit; alter verò, qui castitatem voverit, justè & sine peccato omittere, & ob periculum consensus, quantum in se est, impedire; quod esse repugnans, non solùm ratio dictat, sed Doctores vniversaliter profitentur. Quare aliter 346

Respondeo breviter, vnum istorum amentem fuisse, saltem quantum sufficit, vt à peccato actuali, & in actus suos dominio, excusetur, & incapax declaretur; alterum sapientem, sic nempe, vt eorum corpora non aliter varijs fuerint voluntatibus discordia & litigiosa, consultantia &c. quàm in amente vno, & altero sapiente, inter se disceptantibus experimur: hinc autem verbô corruunt Doctorum istorum resolutiones; & solutiones ad 8. & 9. quæstionem D. Caramuelis patent. Quid si vterque sapiens fuisse supponatur? Deus pugnam illam miraculosè impedire debuit, ne alioqui peccatum prohiberet, quod justè committeretur. 347

Ad decimam, facilior est solutio: & Respondeo, monstrum illud fuisse duos homines; quia truncus, qui vnicus esse supponitur, est pars minùs principalis, & quâ non subsistente, superioribus è contra (vtpotè principalibus & organicis,) adhuc bis indubiè baptizaretur, ac per consequens duo homines censeretur: qui verò alteram partē superiorem monstri istius occidisset, vnô simplici- 348

simpliciter homicidij simplicis peccatô peccasset, sed occasionaliter æquivalente duobus; quia, quantum ex his verbis colligitur, *Cum corpus alterum complures ante alterum dies extinctum fuisset, superstes, dimidiô sui putrescente, paulatim & ipsum contabuit.* Vita vnius necessariò pendebat à conservatione vitæ alterius; alioqui negandum esset fuisse occasionaliter duo peccata & homicidia æquivalenter, seu potiùs vnum æquivalens duobus.

349 Ad vndecimam verò & duodecimam; Manifestum est illam animam salvandam ac coronandam, quæ fuerit mortui in gratia; alteram autem, quæ in peccato mortali, æternis ignibus addicendam. Quod autem attinet ad illam inferioris corporis partem, quam à duabus simul animabus informari putamus; sibi relinquetur (cum ratio non sit, cur per replicationem in Cœlo felix, & in Orco infelix, miraculosè constituatur,) & anima beata, cum alternantis corporis materia primigenia (quæ permanere solet) divinâ virtute aliunde supplente, quantum indigebit ad perfectionem quantitatis, resurget ad coronam &c. ita ferè D. Thomas *in Additione quæstionis* 80. *art.* 4. *ad* 3. *Divinâ virtute*, inquit, *aliunde supplebitur, quantum indigebit ad perfectionem quantitatis; sicut etiam supplетur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt.* Casum hunc fusiùs habes solutum in Physica locô citatô n. 341.

350 Ad decimam tertiam (quæ magis speculativa est, quàm moralis) Respondeo, vnum & eumdem actum, ab vna dumtaxat causa adæquata, ob vnicum finem adæquatum &c. non posse simul esse meritorium & peccaminosum; imò nequidem secundùm cursum extraordinarium esse capacem deordinationis graviter, aut etiam leviter, peccaminosæ; quia alioqui, cum Deus per gratiam ad supernaturalem actum concurrat vt causa particularis, esset author & causa particularis peccati, quod, *ex quolibet defectu* lege divinâ prohibito, *est*, & *bonum ex integra causa*; id autem in Deo contradictoria velle & non velle idem, seu oppositas voluntates, præcipientem scilicet & prohibentem idem, præsupponit, vt omnes fateri tenentur.

351 Verùm aliô sensu (quem ab alijs tactum non video) non apparet repugnantia, in eo, quod idem actus sit supernaturaliter meritorius & peccaminosus venialiter, (non tamen mortaliter) & sic idem actus amoris supernaturalis deordinatus venialiter, eô vide-

eô videlicet casu, quô duo principia adæquata & duo fines adæquati, vnus bonus, alter malus, futura sint æquè parata ad eumdem actum concurrere: sic enim *in Logica tract. 9. disp. 3. dub. 3. resol. 3.* docuimus, non solùm assensum & dissensum simul, circa idem objectum illatum ex diversis medijs, in eodem intellectu consistere naturaliter (& idem est de actibus scientię & erroris;) sed etiam in eumdē actum illos coälescere naturaliter posse: neque reverà est, cur ex duobis medijs æquè propositis (& idem est de finibus in pręsenti) vnum, aliunde æquè præparatis principijs & causis adæquatis, potiùs moveret, quàm aliud; vtrumque autem à movendo cessare, est contra experientiam; dicere alterum, ne moveat, miraculosè impediri, si non sit etiam contra experientiam, saltem adstruere est miraculum sine vlla prorsus necessitate; præsertim, cum non solùm in intentionalibus & motivis, sed etiam in physicis, fieri possit, vt duæ causæ totales eidem effectui producendo applicentur, & vnum, eumdemque per duas actiones totales in passo intermedio, stupa v. g. inter duos ignes, naturaliter producant, vt in Physica *p. 1. tract. 2. disp. 3. dub. 5.* probavimus: vnde non est, cur idem amor procedere non possit à duobus æquè paratis principijs adæquatis, sub duobus æquè propositis finibus adæquatis, vnô bonô & alterô venialiter malô. Nam quod dicitur, *malum ex quolibet defectu, bonum ex integra causa*: hôc modô ab omnibus Theologis, velint, nolint, intelligi debet; bonum ex integra causa propria & ad se pertinente; quia alioqui nullus actus supernaturalis cum peccato veniali consistere posset; & omnis confessio, quæ cum peccato veniali fieret, sacrilega esset & nulla; defectu bonæ & supernaturalis contritionis, quod est inauditum & perabsurdum: cum inde sequatur paucissimas fore validas, sed communiter (cum pauci sint sine affectu venialiter inordinato) omnes irritas: deinde *malum ex quolibet defectu* intelligi debet proportionaliter, ex quolibet defectu causæ propriæ & ad se pertinentis; non vero ex quolibet defectu causæ alterius & ad se impertinentis, ob rationem statim allatā. In casu autem hujusce nostri sensus, in quo duæ causæ supponuntur adæquatæ, duo fines adæquati &c. (id est tales, quorum alterutrô absente, adhuc ab altero fine, causâ &c. causaretur effectus bonus, vel malus, juxta naturam causæ, finis &c.) vnde procederet;

cederet ;quia vna causa, finis &c. respectu alterius, vt causetur actus, est omninò impertinens, ideſt talis, quâ absente adhuc produceretur effectus, vt ſupponitur:) contra nos.

352 Objici quidem poterit, Deum fore causam particularem & authorem peccati, per gratiam concurrendo ad actum venialiter peccaminosum; & deinde definiri virtutem ab Augustino *lib. 2. de lib. arbit. c. 18. Quæ est bona qualitas mentis, quâ nemo malè vtitur.* Sed ad primum patet solutio; quia, licet Deus sit causa particularis ejus, quod, quatenus ab alia causa particulari adæquatè à se condistincta producitur, est peccatum; non est tamen causa particularis ejus, quod, quatenus à se producitur, est peccatum, quô solô casu esset causa particularis & author peccati, vt considetanti patebit.

Ad secundum autem ferè eadem est solutio. Virtus est, quâ tanquàm causâ nemo male vtitur, concedo; quâ nemo ad malũ, cujus aliunde est causa adæquata, vtitur, nego: verumtamen hoc non est virtute malè vti formaliter; sed ad malum materialiter respectivè ad virtutem, quomodò Deus vniversaliter suâ potentiâ & scientiâ vtitur, dum tamquàm causa vniversalis ad peccata suarum creaturarum concurrit.

353 Adde tamen nos hîc nil dicere, quod communissimè Theologi in ferè simili actu v. g. charitatis, & aliarum virtutum, per finem venialiter malum, vanæ gloriæ v. g. vitiato, non admittant; imò quod ipsum, vt consequenter loquantur, admittere non debeant; nam, quando intellectus bonum finem intrinsecum actus charitatis, & malum finem illi extrinsecum vanæ gloriæ, voluntati appetendum simul repręsentat; & tum imperium accedit de eliciendo actu charitatis, tum ob finem sibi intrinsecum, tum ob vanæ gloriæ sibi extrinsecum; adstant æquè & intimè præsentes duæ causæ adæquatæ & duo fines adæquati actuum charitatis & vanæ gloriæ; nec est, cur simul in actum non prodeant; imò nec aliunde apparet, cur illi duo actus minùs in vnum coalescere realiter possint, quàm scientia & error, de quibus in Logica *locô supra citatô*; igitur tamquàm duæ causæ adæquatæ independenter ab invicem actum vnum, indivisibilem, bonum, supernaturalem, meritorium & charitatis, sed venialiter malum & vanæ gloriæ, causant, prout ignis A & C, ignem B. de quo supra n. 351. Alioqui

qui non ſatis video, quomodò actus bonus vitiari poſſit per finem extrinſecum malum; ſive, quomodò actus charitatis per vanam gloriam, ob quam elici ſupponitur, & ſæpe contingit, vitiari poſſit. Vel enim actus ille, qui eſt charitatis (non quidem quà eſt charitatis) attingit objectum vanæ gloriæ, vel non? Si ſecundum; contra militant ſtatim præmiſſa. Si primùm; ſequitur intentum, vt manifeſtum eſt; niſi dicatur non attingere intrinſecè, ſed extrinſecè dumtaxat; non per ſe, ſed per extrinſecum; quod eſt ridiculum, nec aliud, quàm non attingere; aut non aliter attingere, quàm ſi non eſſet, & illud, quô extrinſecè attingens eſt, eſſet; item, quàm non vitiari, ſed extrinſecum dumtaxat; ſic nempe, vt actus charitatis ob vanam gloriam elicitus non magis vitietur, quàm dum elicitur præſente peccatô veniali omninò diſparatô; quod puto eſſe contra communem omnium Doctorum apprehenſionem; quia actus charitatis, hôc caſu, haud magis per veniale vitiatur, quàm ſi veniale non eſſet, cum ab invicem in nullo prorſus pendeant.

Scio quidem plures docere, actum imperatum ad imperantem 354
ſe habere, eô planè modô, quô externus ad internum formaliter liberum ſe habet; imò apud Emin. Lugo *de Pœnit. diſp.* 15. *ſect.* 9. *n.* 202. nonnulli concedunt actum imperatum nullam habere novam moralitatem, bonitatem vel malitiam, ſuprà illam, quam habet actus imperans; ſed ſolùm denominari bonum vel malum à bonitate vel malitia imperantis: juxta quos, confeſſio, alioqui valida, ſive omnia habens ad validam requiſita, imperata ad vanam gloriam, aut propriam Confeſſarij ſatisfactionem, & hinc ſimpliciter mala malitiâ actus imperantis, erit nulla & ſacrilega.

Sed contra, præterquam id ſit abſurdum & valde inconveniens: licèt verum putē, poſitô imperiô efficaci actus v. g. amoris 355
ſupernaturalis, hãc ſtatim, ſine nova deliberatione ſubſequi, prout amor Beatificus, poſitâ clarâ Dei viſione, ſtatim conſequitur (quidquid illud & paritatem conſequenter neget Emin. De Lugo ibidem n. 103. poſt P. Suarez *tom* 3. *de grat. lib.* 12. *cap.* 11. *n.* 11. & dicat actum illum amoris ſupernaturalis *imperari cum aliqua temporis latitudine*; procul dubio vt ſic, contra experientiam, novæ deliberationis interijciendæ tempus, ac per conſequens moralitatem actus imperati à moralitate actus imperantis condi-

 ſtinctam,

stinctam, inveniat) non ideò tamen dicendum actum imperatum bonum ad imperantem malum se habere, prout actus externus ad internum liberum se habet; quia non omnis actus externus est bonus, prout est amor supernaturalis; sed prout objectum bonum, Deus v. g. ad odium se habet, à quo non dicitur malus, licèt bonum aversum actu malô odij dicatur; vnde actus ille amoris ab isto actu imperante malus etiam dici non debet, licèt bonum imperatum actu malô vanæ gloriæ dici possit; vel certè assignari debet disparitas, quam vix audeo sperare: quia, sicut ille bonus actus amoris non dicitur extrinsecè indifferens ab actu imperante indifferente, aut alioqui indifferentia hæc ab actu imperante in moralibus pro nihilo reputatur; ita nec extrinsecè malus ab actu imperante extrinsecè malo dici debet, aut alioqui malitia hæc ab actu imperante in moralibus pro nihilo similiter reputanda est, quamdiu objectum malum non attingit; & si hoc attingeret, non ab actu imperante malo sumeretur malitia, sed ab illo objecto malo, juxta Prudentum apprehensionem, de qua satis supra.

356 Ad decimam quartam clarè sequitur ex definitione Monstri, quam in Phys. *lib.* 2. *disp.* 9. tradidimus, hôc modô, *Monstrum est individuum animatum, à solita dispositione, secundùm speciem, degenerans*, actum amoris, de quo statim, posse dici Monstrum, intra moralium genus; cum, eâ parte, quâ objectum vanæ gloriæ attingit, sit peccatum *à solita* amoris supernaturalis *dispositione, secundùm speciem degenerans*, & sic de alijs; quæ tamen oportet tantùm confiteri, quâ parte peccata sunt, vt patet.

RESOLVTIO VI.

Ad eumdem pro altera parte q. 14. n. 225.

357 Dico 6. Potest aliquis contra morales humanorum actuum conformatrices leges peccare, quin dicatur contra legem divinam formaliter peccare; at non quin materialiter contra illam peccet. Pars 1. patet in ignorante Deum, ac per consequens legem quà divinam formaliter, omninò invincibiliter; (quam de Deo

de Deo ignorantiam esse possibilem, saltem pro parvo tempore, communiùs fatentur Theologi) is enim haud magis dici potest contra legem divinam formaliter peccare, quàm amens; quandoquidem in eo, quod invincibiliter ignorat, censeri debeat moraliter amens. Pars 2. probatur; quia (præterquā quod supra à n. 134. probaverimus, rationem humanam esse actuum nostrorum regulam secundam; primam verò, cujus est indicatorium, esse legem Dei æternam; & aliunde quisquis peccat, contra rationem peccet) aliud non clamat Scriptura, quàm *Per me Reges regnant. Dominus legislator noster. Obedite Præpositis vestris &c.* Omnis autem legis, cum Præpositi alicujus esse debeat, transgressio, saltem materialiter, contra legem istam vltimam militat.

Maior tamen difficultas est, quam fortè movere intendit D. Caramuel. An possit quis, contra morales humanorum actuum conformatrices leges, formaliter peccare, & Deo non quidem ad pœnam sensus æternam, sed ad solam gratiæ & amicitiæ privationem displicere; licèt peccatum ejus careat præcipua malitia, quæ est in peccato Theologico, quod fit cum advertentia prohibitionis divinæ? Affirmat nonnullus, si mentem ejus, in re tam obscura, percepi. 358

Sed ad difficultatem illam, quidquid de ejus mente sit,

Respondeo breviter, me non videre, quomodò cohæreant, peccatum Deo displicere ad gratiæ & amicitiæ privationem, & interea carere præcipua malitia, quæ est in peccato Theologico, quod fit cum advertentia prohibitionis divinæ: quia, quantum ex Scriptura, Concilijs & Patribus colligimus, præcipua malitia, quæ est in peccato mortali Theologico, est Dei offensa vsque ad gratiæ & amicitiæ privationem; vnde Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Vniversa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddunt.* Atqui hęc Dei offensa & ista Deo proportionata displicentia confundi debent; ergo &c. Probatur minor: quia non est assignabile peccatum, quod Deo displiceat vsque ad gratiæ & amicitiæ privationem, quòd Deum inseparabiliter non offendit vsquè ad gratiæ & amicitiæ privationem, & è contra; ratio est, quia tale peccatum est mortale, *vniversa* autem *mortalia* &c. Ergo &c. 359

Dices fortè: peccatum hîc sub ignorantia Dei invincibili con- 360

 sideratur,

ſideratur, prout ratione noſtra commiſſum in priori, quàm Deus illud lege ſuâ poſitivâ prohibuiſſet, in quo erat Deo diſplicens; nondum tamen offenſa Dei, quæ fit cum advertentia prohibitionis divinæ, ergo &c.

361 Reſpondeo, iterum me non videre, quomodò in illo priori cohæreant, peccatum eſſe Deo diſplicens, & nondum eſſe offenſam Dei.

362 1. Quia, quod in illo priori Deo diſplicet vſque ad gratiæ & amicitiæ privationem, eſt peccatum mortale, vel non? Si primũ; patet ex Tridentino ſupra *vniverſa mortalia &c.* quod ſit offenſa Dei; niſi velis dari peccatum mortale, quod *homines iræ filios & Dei inimicos reddat*, & tamen non ſit Dei offenſa. Si ſecundum; igitur per te datur peccatum, quod Deo diſplicet ad gratiæ & amicitiæ privationem, quod non eſt mortale, contra communem omnium ſenſum, & peccati mortalis ab omnibus receptam definitionem, videlicet *mortale eſt, quod mortem animæ adfert;* imò ſic datur mortale pecatum, quod gratiâ & amicitiâ privat, & *homines iræ filios & Dei inimicos non reddit*; cum tamen, præterquàm id ſit inauditũ, non appareat, quid aliud ex parte Dei requiratur, vt homini de amico fiat inimicus, quàm vt ob peccatum ſua gratiâ & amicitiâ privet.

363 2. Nam, vel quia peccatum in illo priori eſt contra dictamen increatæ rationis, Deo diſplicet; vel quia moraliter malum eſt, etiam præſcindendo à dictamine rationis increatæ? Si primum; non eſt ratio, cur minùs vt ſic, ſit ſufficiens fundamentum offenſæ divinæ, quàm diſplicentiæ divinæ: Si ſecundum; præterquàm ſupra à n. 134. oſtenderimus omne peccatum eſſe malum vltimatè & originaliter, quia lege divinâ prohibitum; non comprehendo, quomodò aliquid poſſit eſſe moraliter malum, & tamen ratione increatâ non dictetur eſſe hîc & nunc malum, quia vltimatè & originaliter à Deo prohibitum.

364 3. Quæro, quomodò Deo diſplicet, quod Deum non offendit? Annè eſt aliquid, quod Deo diſplicet, & non eſt contra aliquod ejus attributum? Annè eſt aliquid, quod eſt contra aliquod ejus attributum, & Deum non lædit, & conſequenter offendit, eô ſenſu, quô contra illud eſt, & ei diſplicet? Si verò reſpondeas te ſolùm velle aliquid eſſe, quod Deo diſplicet ad gratiæ & amicitię privatio-

privationem, quod non est offensa Dei, qualis est commissa cum advertentia prohibitionis divinæ. Infero 1. ergo saltem est offensa Dei ad gratiæ & amicitiæ privationem : quomodò autem hoc aliter sub ignorantia Dei invincibili, quàm si Deus per impossibile non esset? quàm si peccator in ordine ad Dei cognitionem præcisè, amens esset? Revera non video. Infero 2. ergo simpliciter datur peccatum, quòd sic est offensa Dei vsque ad amicitiæ & gratię privationem, vt tamen non habeat pręcipuam malitiã, quę est in peccato Theologico: sed cõtra, cùm hoc sit valde absurdum & inauditum; potiùs dicendum est, peccatum commissum cum ignorantia invincibili Dei aut prohibitionis divinę, Deo per accidens non displicere ad gratię & amicitiæ privationem, ac ideò carere præcipua malitia, quæ in peccato Theologico reperitur (in quibus nullum est absurdum;) quàm vnam præcipuam peccati Theologici malitiam à Dei displicentia & offensa vsque ad gratiæ & amicitiæ privationem condistinguere, in Concilijs & Scholis inauditam. In hanc quidem sententiam videtur P. Oviedus incidere; sed hujus fundamenta attulimus & rejecimus à n. 143. ad n. 147. Quamobrem hîc solùm.

Adverte, Authorem hunc 1. 2. *tract.* 4. *Cont.* 4. *n.* 69. Hæc docere, *Supposito duplici impossibili v. g. Deum non esse; & adhuc in illo casu creaturam persistere, malè operari & peccare* &c. *Tunc peccatum non esset contra Deum.* Et infrà n. 70. *Posset supponi Deus esse, & de facto non habere actum intellectus; quô iudicet objectum esse malum; neque voluntatis, quô de illo displiceret; in quibus Theologi legem æternam constituunt* &c. *in vtraque hipothesi non diceretur homo peccare contra legem Dei æternam.* 365

Ego autem quæro, an in suppositis istis peccatum contra legem naturæ, esset offensa Dei, vel non? Si primum; datur offensa Dei, quæ *non est peccatum contra Deum, contra legem Dei æternam* &c. &, si talis offensa Deo displiceat vsque ad gratię & amicitiæ privationem, datur offensa, quæ Deo displicet vsque ad gratiæ & amicitiæ privationem, quæ tamen *non sit peccatum contra Deum, contra legem Dei æternam* &c. quæ sunt in-intelligibilia. Si secundum; sibi contradicit *tract.* 6. *Cont.* 2. *n.* 4. dicenti, *hanc Dei offensam in omni peccato reperiendam existimo, etiamsi quis invincibiliter ignoret Deum existere.* 366

DUBIUM

DVBIVM XIII.

An dentur circumstantiæ, quæ nec speciem, nec numerum mutant.

D. CARAMVEL

In sua Quæstione supra n. 5.

367. *SVppono tanquàm certum, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantiás culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum, vel speciem.*

AVTHOR.

368 DE Certitudine, aut potiùs incertitudine, hujus suppositi D. Caramuelis, iudicabimus infra commodiùs, post eorum, à quibus pendet, & ideò præmitti debent Resolutiones. Igitur pro hujus dubij Resolutione, à qua maximè pendet,

369 Suppono 1. omne id quod à nobis indirectè, aut etiam interpretativè, intentum, imputatur ad culpam, tria hæc prærequire-re; 1. potentiam cum advertentia ad oppositum ponendum; 2. obligationem ad oppositum; 3. vt de facto ponatur cum advertentia obligationis ad oppositum, id quod potuit & debuit omitti: nam, si primum tollas, erit statim necessitas ad vnum; quâ-cum in electivis & peccatis non stat libertas: si secundum; non erit, vnde ad culpam imputetur, cum non appareat, quomodò imputari possit ad culpam, id, cujus oppositum non præcipitur: si tertium; nulla erit transgressiò, ac per consequens nec culpa, defectu advertentiæ ad malitiam.

370 Suppono 2. circumstantiam quà talem non esse in objecto vt partem essentialem, vel integralem objecti, sed circa objectum, sive illud tamquàm accidens circumstans, à quo juxta D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 10. ad 1. & 2. ejus bonitas, aut malitia, sic crescat aut minuatur, vt, salvâ ejus substantiâ, adesse & abesse possit;

 quod

quod vel ipsum *circumstantiæ* nomen sonat ; & alioqui pars essentialis, aut integralis, objectum actus dici deberet, vt patet, nō circumstantia.

Suppono 3. omne id, quòd directè per actum intenditur, dici debere, partem essentialem, vel saltem integralem, objecti actus; quia non est ratio, cur potiùs vnum directè volitorum sit pars, aut circumstantia, quàm aliud ; & cum aliunde omne id, quod per actum directè intenditur, circumstantia dici non possit, vt patet ex *supposito* 2. pars essentialis, vel saltem integralis, dici debet. 371

Legi quidem multos docentes circumstantiam, esse illud, quod quidem substantiam objecti modificat ; sed ad eam non spectat, quà est materia necessaria præcisè peccati mortalis istiusmodi generis, sic nempe, vt, datô quod furti mortalis materia præcisè necessaria sit florenus, totum quod supra est, sit furti mortalis circumstantia. Sed hoc, nec capere potui, nec probare vnquam ; eò quod manifestum sit inde sequi circumstantiam, talem solùm dici respectu objecti, floreni v. g. actus, à quo non attingitur ; & dici partem essentialem, vel saltem integralem, objecti, aurei v.g. actus, à quo attingitur, qui ab illo realiter distinguitur, prout intentio furandi aureum, ab intentione furandi florenum præcisè ; quod re ipsâ est omnem circumstantiā objecti actus tollere: hujus quidem ; quia cùm ab hoc directè intendatur, transit in conditionem principalem objecti hujus, vt paulò ante vidimus, ac dat speciem, juxta illud D. Thomæ 1. 2. q. 18. art. 10. ad 2. *Dicendum, quod circumstantia manens in ratione circumstantiæ, cum habeat rationem accidentis, non dat speciem; sed in quantum mutatur in principalem conditionem objecti; secundùm hoc dat speciem,* sive est pars essentialis objecti: istius verò ; quia ab illo, nec directè, vt patet, nec indirectè intenditur; cum sola existat intentio furandi aureum, vt supponitur ; & intentio furandi florenum præcisè, quæ ab illa realiter distinguitur, & respectu cujus dicitur circumstantia, non existat. Accedit, quod *Dub.* 12. *Resol.* 6. probaverimus, illius tantùm contrahi malitiam, quod actus per modum objecti attingit. His suppositis, sit 372

RESOLVTIO I.

AVTHORIS

Circa Dubium principale n. 366. *propositum.*

373 DIco 1. non dantur circumstantiæ, quæ per actum directè intendantur, & actus hujus speciem, aut numerum, ab actu, quô directè non intenduntur, non mutent.

374 Probatur: quia circumstantiæ, quæ per actum directè intenduntur, transeunt in objectum directum actus; quod, si ab alijs juxta Prudentum æstimationem notabiliter differat, tribuit speciem actui; si secùs, & interruptè ab alijs intendatur, numerum dumtaxat; ergo non dantur circumstantiæ, quæ per actum directè intendantur, & actus hujus speciem, aut numerum, ab actu, quô directè non intenduntur, non mutent: consequentia patet, suppositâ veritate antecedentis; antecedens verò est omnium, ni fallor.

375 Confirmatur ex præmissis *suppositô* 3. Pars objecti directi esse non potest hujus objecti circumstantia; sed pars illius essentialis, aut integralis dici debet, ergo &c.

RESOLVTIO II.

376 DIco 2. dantur circumstantiæ, quæ per actum indirectè tantùm intendantur, & actus hujus speciem, aut numerum, ab actu, quô directè non intenduntur, non mutent

378 Probatur: quia tales sunt omnes, quæ indirectè tantùm intentæ, sunt ejusdem rationis cum objecto intento, vt v. g. dum quis directè intendens tantùm florenum furari, accipit medium patachonem; tunc enim quatuor asses supra florenum sunt circumstantia, vt patet ex *supposito* 2. objecti actus, quô directè intendit florenum tantùm furari: nec speciem mutant; quia præterquàm censeantur ejusdem rationis cum alijs viginti floreni assibus, non dant furto formam & faciem, Prudentum æstimatione, notabiliter diversam à forma & facie furti vnius floreni: nec numerum; quia, cum sit actus istius objectum indirectè tantùm

(quod

(quod neque ad essentiam, neque ad integritatem objecti dire-ctè spectat) abesse & adesse potest, salvâ actus substantiâ, ac per consequens numerô; ergo &c.

RESOLVTIO III.

Dico 3. omnes circumstantiæ (sivè directè intendantur, & sic transeant in conditionem principalem objecti, vt loquitur S. Thomas *supposito* 3. sivè indirectè tantùm, & proinde maneant circumstantiæ;) quæ dant objecto vnius actus formam & faciem, Prudentum æstimatione, notabiliter diversam à forma & faciè obiecti alterius actus, mutant speciem moralem; quidquid sit de numero physico. 379

Probatur: quia ab illa forma & facie sumi debet species moralis obiecti & actus. vt probavimus à n. 221, supra. Ergo &c. 380

RESOLVTIO IV.

Dico 4. omnes circumstantiæ vt tales, quæ non dant obiecto, indirectè vel directè intento, formam & faciem, æstimatione Prudentum, notabiliter diversam à forma & facie objecti directè tantùm intenti, speciem moralem non mutant; imò nec numerum moralem mortalis. 381

Prima pars sequitur ex *Resol.* 3. quia oppositorum opposita est ratio: Secunda autem probatur; quia vnus idemque est physicè actus, & aliunde inter omnes Theologos convenit, quod circumstantiæ, intra eamdem speciem notabiliter non aggravantes, numerum moralem peccati mortalis non mutent, ergo &c. 382

Quæri hic posset in quo consistat præcise illa diversitas formę & faciei vnius obiecti à forma & facie alterius obiecti. Sed, prærterquàm diversitatis primarum apprehensionum frustra extra illas quæratur principium; in omnium sententia, notabilis, aut non notabilis diversitatis formæ & faciei primorum principiorum, frustra extra eorum apprehensiones solicitatur fundamentum; nam quidquid adferetur, erit in apprehensionibus his notabiliter diversum, vel in se, vel in tertio, ab eo & apprehensionibus 383

nibus his realiter distincto? Non hoc vltimum; quia sequeretur processus in infinitum in isto tertio, de quo semper idem quæri posset: neque etiam secundum; quia nil iuvat illud esse in se tale, nisi sit tale in apprehensione, vt patet: primum autem confirmat intentum. Quid si circa idem, an notabiliter aut non notabiliter ab alio diversificetur, oppositæ sint Prudentum apprehensiones? Dissidium tolli debet ab eo, quod sit talis istius v. g. A. communis apprehensio, & B. sit ei simile in hoc & illo &c; alioqui tolli non poterit, & distinctio dubia manebit, vt consideranti patebit.

DVBIVM XIV.

An actus incompletus seu inceptus tantùm, & completus seu perfectus, differant circumstantiâ & modô dumtaxat.

D. CARAMVEL

Suæ Theol. fund. Parte 2. n. 70.

384 *Nullus, quem viderim, posuit tamquàm Regulam vniversalem.* Actus incompletus & completus differunt tantùm circumstantiâ, vel modô. *At multi ponunt particulares Assertiones, quæ esse veræ non possunt, nisi hæc vniversalis admittatur. Ponamus igitur exercitij gratiâ hanc vniversalem, & quid inde inferatur, aut non inferatur, videamus (nota bene illud verbum* exercitij gratiâ; *volo enim ponere illam propositionem, non vt Theologus, sed vt Logicus; vt inde inferendas consequentias explorem.)*

385 *Quærunt Authores; an, qui mille aureos sit furatus, satisfaciat in confessione dicendo,* Rem notabilem furatus sum? *Consequentia doctrinæ postulat, vt respondeamus affirmativè. Et quidem hoc ipsum poterit aliquis dicere, & subscribere Navarro, Bonacinæ, Vasquezio, Megalæ, Zanardo, Gypsio, Zerolæ, quos probabiliter loqui asserit Diana* p. 1. tract. 7. Resol. 14. *Consultò illud* probabiliter *expressit Diana: quia posset probabiliter aliquis dicere in mille aureorum furto, reperiri vnicum furtum physicè; at politicè & in foro Civili, tot furta, quot materiæ sufficientes ad laqueum, secundùm*

secundùm leges loci, in quo furtum committitur: & in foro Dei, tot actus & tot furta reperiri moraliter, quot materiæ sufficientes ad peccatum mortale: ergo stando huic doctrinæ, si aurei sint tanti, vt singuli sufficiant ad mortale, qui mille aureos furatus fuit, vnicum peccatum commisit, quod, virtualiter loquendo, mille æquivalet; imò, moraliter loquendo, est millecuplex; ergo cum confitetur & dicit, materiam gravem furatus sum, *non confitetur actum incompletum pro completo; sed confitetur vnum actum completum in ratione mortalis, & omittit* 999. *actus mortaliter peccaminosos; & licèt primo realiter identificatos, ab eodem virtualiter distinctos; quos etiam exponere deberet.*

Quærunt etiam Theologi; an qui omisit totum officium divinum, satisfaciat dicendo, Omisi partem notabilem, *aut etiam,* omisi materiam sufficientem ad mortale? *Asserit Diana* p. 2. tract. 12. resol. 23. *& citat Squillantem &c. Et vt hanc opinionem teneat, debet duas supponere;* alteram *nimirum affirmantem, totum vnius diei officium cadere sub vnicum præceptum (qui enim singulas horas singulis præceptis subijciunt, illô modô confitendi contenti esse non possunt; quoniam in eorum sententia, qui totum officium omisit, violavit octo præcepta, & commisit octo peccata mortalia, quæ tenetur exponere.)* Alteram, *quam expendamus, nempè dicentem peccatum graviter inceptum & completum differre circumstantiâ aggravante.* 386

Progrediuntur ad materiam fornicationis; & vt consequentiæ filum teneant, sic aiunt, Peccatum graviter inceptum & completum non differunt specie, sed circumstantiâ aggravante: ergo ille, qui cognovit fæminam, satisfaciet dicendo, Cum fæmina peccavi mortaliter? *aut etiam* fornicationem incepi? *Vt judicium ferre de hoc discursu possimus, proderit audire Dianam, qui* p. 3. tract. 4. resol. 88. *interrogat, an qui commisit fornicationem, satisfaciat in confessione dicendo,* Commisi grave peccatum in materia castitatis cum soluta? *& Respondet, hanc quæstionem reperi apud neminem, nisi novissimè apud Turrianum, qui* lib. de pænit. q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 2. ad arg. 5. *observat Recentiores aliquot iudicare probabilem ejusmodi modum confitendi; & eorumdem sententiam ab eodem (Turriano) judicari probabilem. Et quid de eorumdem doctrina Diana iudicat? An sit verè probabilis, ait, alijs iudicandum relinquo; communis enim vsus fidelium est in contrarium.* 387

Hîc ego existimo, eum, qui fornicationem commisit, non explicare speciem sui peccati, si dicat, Cum fæmina peccavi mortaliter. *Neque etiam, si* 388

 dicat,

dicat, Commisi grave peccatum in materia castitatis cum soluta: *quia præter fornicationem, etiam aliæ sunt peccatorum species contra castitatem, quæ possunt cum soluta committi. Ergo minimum deberet dicere*, Commisi grave peccatum in materia fornicationis cum soluta: *at tunc fornicationem confiteretur, & faciliùs, & breviùs diceret*, Sum fornicatus.

390 *Quid si diceret*, Incepi fornicationem cum soluta? *sic deberet loqui Turrianus; & Diana deberet hunc modum confitendi admittere, vel quæ dixit de omißione divini officij & furto partiali negare. Putarem interim, nimis genericè & malè confiteri. qui postquam completam fornicationem commisit, se incompletam commisisse fatetur: malè enim confiteretur; quia tribunalia differunt à schola; & in illis præcisiones non habent locum, juxta illud*, Nimia subtilitas in iure reprobatur. *Et qui asserit se incompletam fornicationem commisisse, moraliter negat se completam commisisse, & in nostro casu mentiretur, quod in confeßione non licet; confiteretur etiam nimis genericè; quia incompleta fornicatio habita cum animo complendi, ab ea, quæ habetur sine animo complendi, sicut & illa, quæ incipitur cum animo decidendi intra vas, & illa, quæ incipitur cum animo decidendi extra vas, multùm differunt; prior enim ad naturales culpas pertinet, & altera, cum non ordinetur ad generationem prolis, imò potiùs ad non generationem ordinetur; ad mollitiem vergit, & ideò in ipsomet vsu instrumentorum naturalium contra naturam est: ergo stando generali illi doctrinæ, quam, exercitij gratiâ, poni jußimus, in materia fornicationis actus incompletus pro completo in confeßione poni non posset.*

391 *Sed vberioris doctrinæ gratiâ, vt meliùs essentiæ moralium formalitatum luceant, licèt id falsum sit, vt iam diximus, ponamus bene & sufficienter confiteri, qui rem compleverit cum fœmina, & tamen in confeßione dicat*, Fornicationem incepi: *an etiam satisfaciet in Sodomia & pollutione tactibus alienis procuratâ, qui dicat*, Cum viro peccavi mortaliter; *aut saltem*, Tangendo alium peccavi graviter, *non explicando, an peccatum fuerit completum aut incompletum? Respondeo diminutè confiteri: quia omnia peccata contra naturam, licèt in suo genere, sicut pes & caput in homine, soleant dici completa, sunt physicè incompleta: nam seminis effusio naturâ suâ ordinatur ad generationem, & naturâ suâ postulat vas conveniens, quod in peccatis contra naturam non completur; cum ergo ipsa omnia specie differant à fornicatione, non possunt confundi cum fornicatione incompleta. Cùm ergo multæ sint species peccatorum mortalium, quæ possunt committi*

cum

cum viro (nam hæc opinio est in praxi tenenda & defendenda) non satisfaceret, qui genericè diceret, Cum viro peccavi mortaliter; *neque , qui diceret,* Tangens alium peccavi graviter: *quia tactus possunt differre specie.*

An saltem in materia mollitiei (nimirùm ille , qui se voluntariè polluerit) satisfaciet, si dicat, Tangendo me,peccavi mortaliter; *aut fortè,* Habui pollutionis initium; *aut tandem,quia, teste Galenô, omnis delectatio morosa est initium mollitiei,* Morosè delectatus sum? 392

Respondeo,omnem delectationem morosam esse commotionem seminis , & in effusionem tendere ; at naturâ suâ vas naturale postulare : ergo , rigorosè loquendo , non est pollutionis initium : ergo non satisfacit, qui confitetur, dicens, Morosè delectatus sum. 393

Prætereà, omnis delectatio lasciva naturâ suâ capax est , vt sit secundùm naturam:at ipsamet effusio seminis in pollutione est hujus denominationis incapax ; ergo, si pollutio est intrinsecè contra naturam, & delectatio morosa, & quæcumque spirituum seminalium commotio intrinsecè est secundùm naturam , & extrinsecè indifferens (nempè secundùm naturam , si ordinetur ad copulam , & contra naturam si fortè ordinetur ad non copulam :) ergo non bene confitebitur, qui res tam diversas confundat. 394

A V T H O R.

NOn miror, quod D.Caramuel nullum viderit, qui tamquàm Regulam vniversalem poneret, *Actus incepti differunt tantùm circumstantiâ,vel modô* ; quia (præterquàm id vniversaliter falsum sit , vt per ipsam Resolutionem Dubij probabimus) Regula ista nil iuvat ad verificandum id, quod ipse n. 385 . post Navarrum, Bonacinam & alios, docet; videlicet eum, qui mille aureos sit furatus,satisfacere in confessione dicendo, *Rem notabilem furatus sum* ; nam positô , quod actus incompletus sit *aureus* , & completus (seu potiùs completivus, dum supponitur esse circumstantia) 999. *aurei.* 395

Quæro 1. an ille, qui hoc mille aureorum furtum confitendo, dicit, *Rem notabilem furatus sum* , furtum incompletum, & substantiale, an completivum & circumstantiale confiteatur ? Non imprimis est ratio, cur potiùs vnum, quàm aliud ; imò neque , cur potiùs vtrumque,quàm alterutrum;quia esse *rem notabilem* de quolibet 396

libet seorsim, & de vtroque coniunctim verificatur; vnde non magis confitebitur peccatum necessariò confitendum, quàm non necessariò confitendum; imò quàm id, quod non commisit, furtum v. g. duorum millium aureorum, de quibus, æquè ac de vno aureo, verificatur.

397 Quæro 2: an ly *Res notabilis*, ex necessitate confessionis, tam super actum completivum, quàm super incompletum cadat? An ex necessitate confessionis super incompletum tantùm? Si primum; sequitur ea, quæ sunt materia necessaria confessionis, sufficienter declarari in confuso & indistinctè ab ijs, quæ non sunt materia confessionis, qualia sunt ea, de quibus supra materiam furto ablatam verificatur ly *res notabilis*; ex quo vlteriùs sequitur speciem & numerum mortalium sufficienter declarari in cōfuso, & indistinctè ab ijs, quæ non sunt materia confessionis, eò quod scilicet istô actu commissa non sunt; hæc autem nullus admittet. Si secundum; (quod omninò & solùm, in sententia ista negante circumstantias speciē non mutantes esse de necessitate confessionis, dici debet) qui furtum mille aureorum commiserit, satisfaciet in confessione, dicendo, *Furtum mortale incompletum commisi*, seu, *aureum furatus sum*: quia, vt conceditur, *Res notabilis*, quando in sententia ista satisfit in confessione, dicendo, *Rem notabilem furatus sum*, supra illud præcisè cadit; quomodò autem id conciliet D. Caramuel, cum eo, quod n.390. docet, his verbis, *Qui asserit se incompletam fornicationem commisisse, moraliter negat se completam commisisse, & in nostro casu mentiretur.* Non video, ipse Aquilinis suis oculis viderit.

398 Adde simili dilemmate, & contradictione, vrgeri Em. Lugo, dum *disp.* 16. *de Pœnit. sect.* 3. *n.* 141. docet 1. occisionem plurium, vel voluntatem occidendi plures, centum v. g. homines; furtum centum aureorum; desiderium fornicandi cum tribus (& idem est de centum) sufficienter in confessione explicari *sub aliqua generalitate cōfusa significante pluralitatem* (docuerat autem *ibid. n.* 134. *Explicare confusè ejusdem peccati malitiarum differentiam numericam, sufficere ad satisfaciendum præcepto confessionis.*) Docet 2. *ibidem n.* 141. statim citatô, quod, *qui furatus est centum, dicit, furatus sum viginti, non bene explicat suum peccatum: quia dicit vnum peccatum pro alio.* Quod postea n.657. repetit. Hôc autem positô,

Quæro:

Quæro : an, quando isti sub hac generalitate confusa, significante pluralitatem, *Occidi plures homines; plura notabilia furatus sum* &c. confitentur, ly *plures homines*, tam supra 99. quàm supra vnũ, ex necessitate confessionis cadat? An ex eadem necessitate super vnum tantùm? An super duos, aut tres tantùm? Si primum; sequitur ea, &c. vt n. 397. Si secundum; vnus homo non est *plures homines*; ac proinde malè requirit istam generalitatem confusam. Si tertium, (quod, vel secundum, omninò & solùm, dum negat eâdem sectione *circumstantias speciem non mutantes esse de necessitate confessionis*, dicere potest,) explicat bene, quod est de necessitate confessionis, dicendo, occidi hominem, vel duos, aut tres homines; quia cæteri vsque ad centum occisi, se habent, in sententia ista, vt circumstantiæ, vel nullus vt sic se haberet; cum ratio non sit, cur potiùs vnus cæterorum se habeat vt circumstantia, quàm alius (& idem est proportionaliter de furto;) sed quomodò tunc id conciliet, cum eo quod dicit, istis casibus, *non bene explicari peccatum*, dicendo, *Furatus sum viginti, Occidi viginti*, etiam non video, ipse sapientissimus viderit. 399

In ijs, quæ D. Caramuel eodem n. 385. subdit, *Consultò illud probabiliter expressit Diana* &c.; salvô meliori iudiciô, saltat extra chorum, sive suppositum, cujus, vt Logicus consequentias se explorare dicit: quia in hac 2. probabili (vt ait) sententia, actus incompletus & completus non differunt circumstantiâ & modô tantùm, vt supponit; sed sunt vnum tantùm æquivalens multis; non quidem solâ circumstantiâ & modô; sed substantiali numerô distinctis, quorum vnum ad aliud non se habet vt circumstantia, sed vt mortale ad mortale condistinctum numerô: alioqui, prout, juxta primam sententiam, quam ibi tuetur, non oportet circumstantias non mutantes speciem confiteri; ita nec alterum mortale numerô substantiali condistinctum, eôdem titulô, oporteret confiteri; quod manifestè est contra Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. 400

Deinde mihi difficile est, quod *ibidem* docet D. Caramuel, videlicèt eum, qui mille aureos furatus est, & cùm confitetur, dicit, *Materiam gravem furatus sum*, confiteri vnum actum completum in ratione mortalis, & omittere 999. quia ratio non est, cur potiùs omittat 999. ex mille, quàm ad mille addat 999. quandoquidem *materia gravis*, tam super mille & 999. cadat, quàm 401

 super

super vnum, vt paulò ante ostendimus: imò etiam ratio non est, cur potiùs dici non debeat, quod ille omittat peccatum determinatè mille æquivalens, quòd certò commisit, & intereà confiteatur peccatum, nō potiùs determinatè mille æquivalens, quàm vni; aut vni potiùs determinatè, quàm decem millibus, quæ non commisit; quàm quod, vt docet D. Caramuel, vnum completum confiteatur: & omittat 999. similiter: illud autem esse dicendum, non hoc, patet ex præmissis *Dub.* 11. *Resol.* 5.

402 Ex præmissis facilis est solutio ad ea, quæ D. Caramuel n. 386. de horis proponit; quia pars notabilis in horis ad octo horas se habet, sicuti furtum notabile ad octo notabilia; vel potiùs pars notabilis se habet ad totum Officium æquivalens octo horarum notabilibus partibus, sicuti furtum notabile se habet ad vnum furtum æquivalens octo notabilibus; sivè octo præceptis prohibeatur, sivè vnô octo æquivalentibus, quod impertinens est.

403 Quarè vlteriùs ad id, quod proponit n. 387. 388. 390. Respōdeo, illum non bene confiteri, qui post completam fornicationē, dicit, *Cum fœmina peccavi mortaliter: fornicationem incepi: commisi grave peccatum in materia castitatis cum soluta:* quia hæc non potiùs significant fornicationem certò commissam; quàm effusionem seminis completam vel incompletam extra vas, cooperante solutâ, quæ non est commissa; & si commissa esset, peccatum foret ab illa fornicatione completa notabiliter diversum, & aliud; quod equidem vt sic ad completam fornicationem non se haberet vt actus incompletus ad completum, sed vt disparatus: hoc autem non bene attendit D. Caramuel, dum inde infert; *Ergo adhuc stando generali illi doctrinæ, quam exercitij gratiâ poni iussimus; in materia fornicationis actus incompletus* (ille enim non esset talis) *pro completo in confessione poni non posset.* Quid si hôc modô confiteretur, *Posui dispositiones in ordine ad completam fornicationem?* Dici quidem posset, confiteri actum fornicationis incompletum pro completo ex prævijs dispositionibus & actu consummato; nondum tamen bene confiteretur; quia vti in æstimatione Prudentum delectatio morosa habet omninò aliam formam & faciem à pollutione, aut fornicatione consummata, ad quam ordinatur; ita & actus ille à fornicatione &c.

404 Adde tamen, me non videre, quomodò similes confessiones reprobet

probet hîc D. Caramuel, dum admittit illum, qui mille aureos furatus est, bene confiteri, si dicat, *Rem notabilem sum furatus*; non enim minùs peccatum quoad numerum explicari debet, quàm quoad speciem: in Prudentum autem æstimatione. tam *furtum rei notabilis* quoad numerum habet aliam formam & faciem, à *furto mille aureorum*; quàm hic actus, *Cum fæmina peccavi mortaliter, fornicationem incepi* &c, quoad speciem, à fornicatione completa; quod similiter, attentis præmissis n. 399. vrget Em. Lugonem, qui *disp.* 16. *sect.* 5. etiam similes confessiones reprobat; meritò quidem, sed etiam inconsequenter, vt contendimus.

Multò minùs consequenter loquitur D. Caramuel n. 391. ponens bene & sufficienter confiteri eum, qui rem compleverit cum fæmina, si dicat, *fornicationem incepi*; non verò qui sodomiam, aut pollutionem compleverit cum viro, si dicat. *Cum viro peccavi mortaliter*, aut saltem, *Tangendo alium peccavi graviter*. Ratio inconsequentiæ est, quia, si fornicatio incepta sumatur pro peccato gravi cum fæmina, provt hîc sodomia aut pollutio incepta pro peccato gravi cum viro, non sunt pauciores species peccatorum mortalium, quæ committi possunt cum fæmina, quàm quæ cũ viro; vti ibi male supponere videtur D. Caramuel; imò illæ recenseri possunt plures; quia à viro cum fæmina fornicatio committi potest, secùs cum viro; sodomia autem aut pollutio extra vas naturale, cum viro commissa, etiam cum fæmina committi potest: vnde, si supponat primum bene & sufficienter confiteri, consequenter idem de secundo supponere debet; vel certè, si is insufficienter confiteatur; ita & ille. Vlteriùs tamen, quæro ego 1. à D. Caramuele; quænam sint illæ multæ peccatorum mortalium species, quæ cum viro committi possunt, si, quod docet & refutavimus dub. 6., actus contra naturam non differant specie: item quæro 2, quænam sit opinio ista, quam hîc docet *in praxi tenendam & defendendam*; an fortè contraria doctrinæ isti, quam locô citato profitetur; an contraria alteri, quam hîc, bene quidem, sed inconsequenter (posito eô, quod gratis supponit) tenet & defendit? Quocumque declinaverit, incidet in foveam, quam sibi fecit. 405

Tu autem retine doctrinam à n. 395. à nobis traditam, & dic istas confessiones & similes, vt v. g. illam, de qua idem D. Caramuel n. 392. esse falsas & sacrilegas: intereà, dum ibi, negat 406

RESOLVTIO I.

AVTHORIS

Circa Dubium principale n. 366. *propositum.*

373 Dico 1. non dantur circumstantiæ, quæ per actum directè intendantur, & actus hujus speciem, aut numerum, ab actu, quô directè non intenduntur, non mutent.

374 Probatur: quia circumstantiæ, quæ per actum directè intenduntur, transeunt in objectum directum actus; quod, si ab alijs juxta Prudentum æstimationem notabiliter differat, tribuit speciem actui; si secùs, & interruptè ab alijs intendatur, numerum dumtaxat; ergo non dantur circumstantiæ, quæ per actum directè intendantur, & actus hujus speciem, aut numerum, ab actu, quô directè non intenduntur, non mutent: consequentia patet, suppositâ veritate antecedentis; antecedens verò est omnium, ni fallor.

375 Confirmatur ex præmissis *suppositô* 3. Pars objecti directi esse non potest hujus objecti circumstantia; sed pars illius essentialis, aut integralis dici debet, ergo &c.

RESOLVTIO II.

376 Dico 2. dantur circumstantiæ, quæ per actum indirectè tantùm intendantur, & actus hujus speciem, aut numerum, ab actu, quô directè non intenduntur, non mutent

378 Probatur: quia tales sunt omnes, quæ indirectè tantùm intentæ, sunt ejusdem rationis cum objecto intento, vt v. g. dum quis directè intendens tantùm florenum furari, accipit medium patachonem; tunc enim quatuor asses supra florenum sunt circumstantia, vt patet ex *supposito* 2. objecti actus, quô directè intendit florenum tantùm furari: nec speciem mutant; quia præterquàm censeantur ejusdem rationis cum alijs viginti floreni assibus, non dant furto formam & faciem, Prudentum æstimatione, notabiliter diversam à forma & facie furti vnius floreni: nec numerum; quia, cum sit actus istius objectum indirectè tantùm

(quod

(quod neque ad essentiam, neque ad integritatem objecti directè spectat) abesse & adesse potest, salvâ actus substantiâ, ac per consequens numerò; ergo &c.

RESOLVTIO III.

Dico 3. omnes circumstantiæ (sivè directè intendantur, & sic transeant in conditionem principalem objecti, vt loquitur S. Thomas *supposito* 3. sivè indirectè tantùm, & proinde maneant circumstantiæ;) quæ dant objecto vnius actus formam & faciem, Prudentum æstimatione, notabiliter diversam à forma & faciè obiecti alterius actus, mutant speciem moralem; quidquid sit de numero physico. 379

Probatur: quia ab illa forma & facie sumi debet species moralis obiecti & actus. vt probavimus à n. 221, supra. Ergo &c. 380

RESOLVTIO IV.

Dico 4. omnes circumstantiæ vt tales, quæ non dant obiecto, indirectè vel directè intento, formam & faciem, æstimatione Prudentum, notabiliter diversam à forma & facie obiecti directè tantùm intenti, speciem moralem non mutant; imò nec numerum moralem mortalis. 381

Prima pars sequitur ex *Resol.* 3. quia oppositorum opposita est ratio: Secunda autem probatur; quia vnus idemque est physicè actus, & aliunde inter omnes Theologos convenit, quod circumstantiæ, intra eamdem speciem notabiliter non aggravantes, numerum moralem peccati mortalis non mutent, ergo &c. 382

Quæri hic posset, in quo consistat præcise illa diversitas formæ & faciei vnius obiecti à forma & facie alterius obiecti. Sed, præterquàm diversitatis primarum apprehensionum frustra extra illas quæratur principium; in omnium sententia, notabilis, aut non notabilis diversitatis formæ & faciei primorum principiorum, frustra extra eorum apprehensiones solicitatur fundamentum; nam quidquid adferetur, erit in apprehensionibus his notabiliter diversum, vel in se, vel in tertio, ab eo & apprehensionibus 383

nibus his realiter distincto? Non hoc vltimum; quia sequeretur processus in infinitum in isto tertio, de quo semper idem quæri posset: neque etiam secundum; quia nil iuvat illud esse in se tale, nisi sit tale in apprehensione, vt patet: primum autem confirmat intentum. Quid si circa idem, an notabiliter aut non notabiliter ab alio diversificetur, oppositæ sint Prudentum apprehensiones? Dissidium tolli debet ab eo, quod sit talis istius v. g. A. communis apprehensio, & B. sit ei simile in hoc & illo &c; alioqui tolli non poterit, & distinctio dubia manebit, vt consideranti patebit.

DVBIVM XIV.

An actus incompletus seu inceptus tantùm, & completus seu perfectus, differant circumstantiâ & modô dumtaxat.

D. CARAMVEL

Suæ Theol. fund. Parte 2. n. 70.

384 *Nullus, quem viderim, posuit tamquàm Regulam vniversalem,* Actus incompletus & completus differunt tantùm circumstantiâ, vel modô. *At multi ponunt particulares Assertiones, quæ esse veræ non possunt, nisi hæc vniversalis admittatur. Ponamus igitur exercitij gratiâ hanc vniversalem, & quid inde inferatur, aut non inferatur, videamus (nota bene illud verbum* exercitij gratiâ; *volo enim ponere illam propositionem, non vt Theologus, sed vt Logicus; vt inde inferendas consequentias explorem.)*

385 *Quærunt Authores; an, qui mille aureos sit furatus, satisfaciat in confessione dicendo,* Rem notabilem furatus sum? *Consequentia doctrinæ postulat, vt respondeamus affirmativè. Et quidem hoc ipsum poterit aliquis dicere, & subscribere Navarro, Bonacinæ, Vasquezio, Megalæ, Zanardo, Gypsio,* Zerolæ, *quos probabiliter loqui asserit Diana* p. 1. tract. 7. Resol. 14. *Consultò illud* probabiliter *expressit Diana: quia posset probabiliter aliquis dicere in mille aureorum furto, reperiri vnicum furtum physicè; at politicè & in foro Civili, tot furta, quot materiæ sufficientes ad laqueum,* secundùm

secundùm leges loci, in quo furtum committitur: & in foro Dei, tot actus & tot furta reperiri moraliter, quot materiæ sufficientes ad peccatum mortale: ergo stando huic doctrinæ, si aurei sint tanti, vt singuli sufficiant ad mortale, qui mille aureos furatus fuit, vnicum peccatum commisit, quod, virtualiter loquendo, mille æquivalet; imò, moraliter loquendo, est millecuplex; ergo cum confitetur & dicit, materiam gravem furatus sum, *non confitetur actum incompletum pro completo; sed confitetur vnum actum completum in ratione mortalis, & omittit* 999. *actus mortaliter peccaminosos; & licèt primo realiter identificatos, ab eodem virtualiter distinctos; quos etiam exponere deberet.*

Quærunt etiam Theologi; an qui omisit totum officium divinum, satisfaciat dicendo, Omisi partem notabilem, *aut etiam*, omisi materiam sufficientem ad mortale? *Asserit Diana* p. 2. tract. 12. resol. 23. *& citat Squillantem &c. Et vt hanc opinionem teneat, debet duas supponere;* alteram *nimirum affirmantem, totum vnius diei officium cadere sub vnicum præceptum (qui enim singulas horas singulis præceptis subijciunt, illô modô confitendi contenti esse non possunt; quoniam in eorum sententia, qui totum officium omisit, violavit octo præcepta, & commisit octo peccata mortalia, quæ tenetur exponere.)* Alteram, *quam expendamus, nempè dicentem peccatum graviter inceptum & completum differre circumstantiâ aggravante.* 386

Progrediuntur ad materiam fornicationis; & vt consequentiæ filum teneant, sic aiunt, Peccatum graviter inceptum & completum non differunt specie, sed circumstantiâ aggravante: ergo ille, qui cognovit fæminam, satisfaciet dicendo, Cum fæmina peccavi mortaliter? *aut etiam* fornicationem incepi? *Vt judicium ferre de hoc discursu possimus, proderit audire Dianam, qui* p. 3. tract. 4. resol. 88. *interrogat, an qui commisit fornicationem, satisfaciat in confessione dicendo,* Commisi grave peccatum in materia castitatis cum soluta? *& Respondet, hanc quæstionem reperi apud neminem, nisi novissimè apud Turrianum, qui* lib. de pænit. q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 2. ad arg. 5. *observat Recentiores aliquot iudicare probabilem ejusmodi modum confitendi; & eorumdem sententiam ab eodem (Turriano) judicari probabilem. Et quid de eorumdem doctrina Diana iudicat? An sit verè probabilis, ait, alijs iudicandum relinquo; communis enim vsus fidelium est in contrarium.* 387

Hìc ego existimo, eum, qui fornicationem commisit, non explicare speciem sui peccati, si dicat, Cum fæmina peccavi mortaliter. *Neque etiam, si* 388

dicat, Commisi grave peccatum in materia castitatis cum soluta: *quia præter fornicationem, etiam aliæ sunt peccatorum species contra castitatem, quæ possunt cum soluta committi. Ergo minimum deberet dicere*, Commisi grave peccatum in materia fornicationis cum soluta: *at tunc fornicationem confiteretur, & faciliùs, & breviùs diceret*, Sum fornicatus.

390 *Quid si diceret*, Incepi fornicationem cum soluta? *sic deberet loqui Turrianus; & Diana deberet hunc modum confitendi admittere, vel quæ dixit de omissione divini officij & furto partiali negare. Putarem interim, nimis genericè & malè confiteri, qui postquam completam fornicationem commisit, se incompletam commisisse fatetur: malè enim confiteretur; quia tribunalia differunt à schola; & in illis præcisiones non habent locum, juxta illud*, Nimia subtilitas in iure reprobatur. *Et qui asserit se incompletam fornicationem commisisse, moraliter negat se completam commisisse, & in nostro casu mentiretur, quod in confessione non licet; confiteretur etiam nimis genericè; quia incompleta fornicatio habita cum animo complendi, ab ea, quæ habetur sine animo complendi, sicut & illa, quæ incipitur cum animo decidendi intra vas, & illa, quæ incipitur cum animo decidendi extra vas, multùm differunt; prior enim ad naturales culpas pertinet, & altera, cum non ordinetur ad generationem prolis, imò potiùs ad non generationem ordinetur; ad mollitiem vergit, & ideò in ipsomet usu instrumentorum naturalium contra naturam est: ergo stando generali illi doctrinæ, quam, exercitij gratiâ, poni jussimus, in materia fornicationis actus incompletus pro completo in confessione poni non posset.*

391 *Sed uberioris doctrinæ gratiâ, ut meliùs essentiæ moralium formalitatum luceant, licèt id falsum sit, ut iam diximus, ponamus bene & sufficienter confiteri, qui rem compleverit cum fœmina, & tamen in confessione dicat*, Fornicationem incepi: *an etiam satisfaciet in Sodomia & pollutione tactibus alienis procuratâ, qui dicat*, Cum viro peccavi mortaliter; *aut saltem*, Tangendo alium peccavi graviter, *non explicando, an peccatum fuerit completum aut incompletum? Respondeo diminutè confiteri: quia omnia peccata contra naturam, licèt in suo genere, sicut pes & caput in homine, soleant dici completa, sunt physicè incompleta: nam seminis effusio naturâ suâ ordinatur ad generationem, & naturâ suâ postulat vas conveniens, quod in peccatis contra naturam non completur; cum ergo ipsa omnia specie differant à fornicatione, non possunt confundi cum fornicatione incompleta. Cum ergo multæ sint species peccatorum mortalium, quæ possunt committi*

cum

cum viro (nam hæc opinio est in praxi tenenda & defendenda) non satisfaceret, qui genericè diceret, Cum viro peccavi mortaliter; *neque, qui diceret,* Tangens alium peccavi graviter: *quia tactus possunt differre specie.*

An saltem in materia mollitiei (nimirùm ille, qui se voluntariè polluerit) satisfaciet, si dicat, Tangendo me, peccavi mortaliter; *aut fortè,* Habui pollutionis initium; *aut tandem, quia, teste Galenô, omnis delectatio morosa est initium mollitiei,* Morose delectatus sum? 392

Respondeo, omnem delectationem morosam esse commotionem seminis, & in effusionem tendere; at naturâ suâ vas naturale postulare: ergo, rigorosè loquendo, non est pollutionis initium; ergo non satisfacit, qui confitetur, dicens, Morosè delectatus sum. 393

Prætereà, omnis delectatio lasciva naturâ suâ capax est, vt sit secundùm naturam; at ipsamet effusio seminis in pollutione est hujus denominationis incapax; ergo, si pollutio est intrinsecè contra naturam, & delectatio morosa, & quæcumque spirituum seminalium commotio intrinsecè est secundùm naturam, & extrinsecè indifferens (nempè secundùm naturam, si ordinetur ad copulam, & contra naturam si fortè ordinetur ad non copulam:) ergo non bene confitebitur, qui res tam diversas confundat. 394

AVTHOR.

NOn miror, quod D. Caramuel nullum viderit, qui tamquàm Regulam vniversalem poneret, *Actus incepti differunt tantùm circumstantiâ, vel modò*; quia (præterquàm id vniversaliter falsum sit, vt per ipsam Resolutionem Dubij probabimus) Regula ista nil iuvat ad verificandum id, quod ipse n. 385. post Navarrum, Bonacinam & alios, docet; videlicet eum, qui mille aureos sit furatus, satisfacere in confessione dicendo, *Rem notabilem furatus sum*; nam positô, quod actus incompletus sit *aureus*, & completus (seu potiùs completivus, dum supponitur esse circumstantia) 999. *aurei*. 395

Quæro 1. an ille, qui hoc mille aureorum furtum confitendo, dicit, *Rem notabilem furatus sum*, furtum incompletum, & substantiale, an completivum & circumstantiale confiteatur? Non imprimis est ratio, cur potiùs vnum, quàm aliud; imò neque, cur potiùs vtrumque, quàm alterutrum; quia esse *rem notabilem* de quolibet 396

libet feorfim, & de vtroque coniunctim verificatur; vnde non magis confitebitur peccatum necessariò confitendum, quàm non necessariò confitendum; imò quàm id, quod non commisit, furtum v. g. duorum millium aureorum, de quibus, æquè ac de vno aureo, verificatur.

397 Quæro 2: an ly *Res notabilis*, ex necessitate confessionis, tam super actum completivum, quàm super incompletum cadat? An ex necessitate confessionis super incompletum tantùm? Si primum; sequitur ea, quæ sunt materia necessaria confessionis, sufficienter declarari in confuso & indistinctè ab ijs, quæ non sunt materia confessionis, qualia sunt ea, de quibus supra materiam furto ablatam verificatur ly *res notabilis*; ex quo vlteriùs sequitur speciem & numerum mortalium sufficienter declarari in cõfuso, & indistinctè ab ijs, quæ non sunt materia confessionis, eò quod scilicet istô actu commissa non sunt; hæc autem nullus admittet. Si secundum; (quod omninò & solùm, in sententia ista negante circumstantias speciē non mutantes esse de necessitate confessionis, dici debet) qui furtum mille aureorum commiserit, satisfaciet in confessione, dicendo, *Furtum mortale incompletum commisi*, seu, *aureum furatus sum*: quia, vt conceditur, *Res notabilis*, quando in sententia ista satisfit in confessione, dicendo, *Rem notabilem furatus sum*, supra illud præcisè cadit; quomodò autem id conciliet D. Caramuel, cum eo, quod n. 390. docet, his verbis, *Qui asserit se incompletam fornicationem commisisse, moraliter negat se completam commisisse, & in nostro casu mentiretur.* Non video, ipse Aquilinis suis oculis viderit.

398 Adde simili dilemmate, & contradictione, vrgeri Em. Lugo, dum *disp.* 16. *de Pœnit. sect.* 3. *n.* 141. docet 1. occisionem plurium, vel voluntatem occidendi plures, centum v. g. homines; furtum centum aureorum; desiderium fornicandi cum tribus (& idem est de centum) sufficienter in confessione explicari *sub aliqua generalitate cõfusa significante pluralitatem* (docuerat autem *ibid. n.* 134. *Explicare confusè ejusdem peccati malitiarum differentiam numericam, sufficere ad satisfaciendum præcepto confessionis.*) Docet 2. *ibidem n.* 141. statim citatô, quod, *qui furatus est centum, dicit, furatus sum viginti, non bene explicat suum peccatum: quia dicit vnum peccatum pro alio.* Quod postea n. 657. repetit. Hôc autem positô,

Quæro:

Quarto : an, quando isti sub hac generalitate confusa, significante pluralitatem, *Occidi plures homines ; plura notabilia furatus sum* &c. confitentur, ly *plures homines*, tam supra 99. quàm supra vnũ, ex necessitate confessionis cadat ? An ex eadem necessitate super vnum tantùm ? An super duos, aut tres tantùm ? Si primum; sequitur ea, &c. vt n. 397. Si secundum; vnus homo non est *plures homines*; ac proinde malè requirit istam generalitatem confusam. Si tertium, (quod, vel secundum, omninò & solùm, dum negat eâdem sectione *circumstantias speciem non mutantes esse de necessitate confessionis*, dicere potest,) explicat bene, quod est de necessitate confessionis, dicendo, occidi hominem, vel duos, aut tres homines; quia cæteri vsque ad centum occisi, se habent, in sententia ista, vt circumstantiæ, vel nullus vt sic se haberet; cum ratio non sit, cur potiùs vnus cæterorum se habeat vt circumstantia, quàm alius (& idem est proportionaliter de furto;) sed quomodò tunc id conciliet, cum eo quod dicit, istis casibus, *non bene explicari peccatum*, dicendo, *Furatus sum viginti, Occidi viginti*, etiam non video, ipse sapientissimus viderit. 399

In ijs, quæ D. Caramuel eodem n. 385. subdit, *Consultò illud probabiliter expressit Diana* &c. ; salvô meliori iudiciô, saltat extra chorum, sive suppositum, cujus, vt Logicus consequentias se explorare dicit : quia in hac 2. probabili (vt ait) sententia, actus incompletus & completus non differunt circumstantiâ & modô tantùm, vt supponit ; sed sunt vnum tantùm æquivalens multis; non quidem solâ circumstantiâ & modô; sed substantiali numerô distinctis, quorum vnum ad aliud non se habet vt circumstantia, sed vt mortale ad mortale condistinctum numerô: alioqui, prout, juxta primam sententiam, quam ibi tuetur, non oportet circumstantias non mutantes speciem confiteri; ita nec alterum mortale numerô substantiali condistinctum, eôdem titulô, oporteret confiteri; quod manifestè est contra Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. 400

Deinde mihi difficile est, quod *ibidem* docet D. Caramuel, videlicèt eum, qui mille aureos furatus est, & cùm confitetur, dicit, *Materiam gravem furatus sum*, confiteri vnum actum completum in ratione mortalis, & omittere 999. quia ratio non est, cur potiùs omittat 999. ex mille, quàm ad mille addat 999. quandoquidem *materia gravis*, tam super mille & 999. cadat, quàm 401

probet hîc D. Caramuel, dum admittit illum, qui mille aureos furatus est, bene confiteri, si dicat, *Rem notabilem sum furatus*; non enim minùs peccatum quoad numerum explicari debet, quàm quoad speciem; in Prudentum autem æstimatione, tam *furtum rei notabilis* quoad numerum habet aliam formam & faciem, à *furto mille aureorum*; quàm hic actus, *Cum fæmina peccavi mortaliter*, *fornicationem incepi* &c, quoad speciem, à fornicatione compleeta; quod similiter, attentis præmissis n. 399. vrget Em. Lugonem, qui *disp.* 16. *sect.* 5. etiam similes confessiones reprobat; meritò quidem, sed etiam inconsequenter, vt contendimus.

Multò minùs consequenter loquitur D. Caramuel n. 391. ponens bene & sufficienter confiteri eum, qui rem compleverit cum fæmina, si dicat, *fornicationem incepi*; non verò qui sodomiam, aut pollutionem compleverit cum viro, si dicat, *Cum viro peccavi mortaliter*, aut saltem, *Tangendo alium peccavi graviter*. Ratio inconsequentiæ est, quia, si fornicatio incepta sumatur pro peccato gravi cum fæmina, provt hîc sodomia aut pollutio incepta pro peccato gravi cum viro, non sunt pauciores species peccatorum mortalium, quæ committi possunt cum fæmina, quàm quæ cũ viro; vti ibi male supponere videtur D. Caramuel; imò illæ recenseri possunt plures; quia à viro cum fæmina fornicatio committi potest, secùs cum viro; sodomia autem aut pollutio extra vas naturale, cum viro commissa, etiam cum fæmina committi potest: vnde, si supponat primum bene & sufficienter confiteri, consequenter idem de secundo supponere debet; vel certè, si is insufficienter confiteatur; ita & ille. Vlteriùs tamen, quæro ego 1. à D. Caramuele; quænam sint illæ multæ peccatorum mortalium species, quæ cum viro committi possunt, si, quod docet & refutavimus dub. 6., actus contra naturam non differant specie: item quæro 2, quænam sit opinio ista, quam hîc docet *in praxi tenendam & defendendam*; an fortè contraria doctrinæ isti, quam locô citato profitetur; an contraria alteri, quam hîc, bene quidem, sed inconsequenter (posito eô, quod gratis supponit) tenet & defendit? Quocumque declinaverit, incidet in foveam, quam sibi fecit. 405

Tu autem retine doctrinam à n. 395. à nobis traditam, & dic istas confessiones & similes, vt v. g. illam, de qua idem D. Caramuel n. 392. esse falsas & sacrilegas: intereà, dum ibi, negat 406

 eum,

eum, qui se voluntariè polluit, satisfacere, si dicat, *Tangendo me peccavi mortaliter*, *habui pollutionis initium* &c, consequenter ad ea, quæ contra ipsum. n. 404. & 405. præmisimus, inconsequentiæ notari potest.

RESOLVTIO I.

AVTHORIS

Circa Dubium principale. n. 384.

407 DIco 1: vbi objectum actus interni completum & incompletum, sive, vbi actus externus completus & incompletus (qui est interni objectum) directè per internum intenditur; actus vterque, tam completus, quàm incompletus externus, est pars essentialis, vel saltem integralis, obiecti. Vt v. g., vbi quis intendit 100. florenos furari, 99. supra vnum sunt pars essentialis, vel saltem integralis, istiusmodi furti mortalis; non verò circumstantia tantùm, aut modus.

408 Probatur: quia actus, qui indirectè tantùm intentus esset circumstantia, directè intentus transit in objectum principale & dat speciem: atqui illud quod transit in objectum principale & dat speciem, non est circumstantia, aut modus: ergo &c: maior patet ex præmissis. n. 371. & 372. Probatur minor 1. ex D. Thoma 1. 2. *q* 18. *art*. 1. *ad* 2. *Dicendum, quòd circumstantia manens in ratione circumstantiæ, cùm habeat rationem accidentis, non dat speciem; sed in quantum mutatur in principalem conditionem objecti; secundùm hoc dat speciem*. Et *in* 4. *dist*. 16. *q*. 3. *art*. 2. *quæstiuncula* 3. *ad* 1. *Quandocumque circumstantia aliquam speciem in actu causat; ad speciem actus, in quantum est moralis, pertinet; vnde iam non habet rationem circumstantiæ peccati, quamvis circumstet substantiam actus*, subaudi, *vt considerati sine circumstantia directè intenta*. Iuxta explicationem, quam dat *q*. 2. *de malo, art*. 6. *ad* 7. *Quòd circumstantia mutat speciem peccati, aut transfert in aliud genus; non intelligitur, quòd actus priùs existens in vna specie, iterum resumatur, & fiat alterius speciei* (hoc enim omninò impossibile est) *sed quòd actus, qui absque circumstantia consideratus, non esset in tali specie peccati, circumstantiâ superveniente, illam speciem peccati habet*.

409 Probatur minor 1: ex eodem, locô statim citatô, quod *Habet rationem*

rationem accidentis, non dat speciem; sed circumstantia habet rationem accidentis, vt patet ex D. Thoma *ibidem*, & dictis. n. 370. ergo &c.

Dices, D. Thomas *q. 2. de malo*, toto *art*. 6. probat circumstantiam à substantia actus non aliter differre, quàm differentiam specificam respectu generis, vt patet ex his eius verbis, *Considerandum, quòd sicut in alijs, aliquid est extrinsecum superiori, quod est intrinsecum inferiori; vt rationabile est præter rationem animalis, quod tamen est de ratione hominis: ita aliquid est circumstantia respectu actus communiùs considerati, quod respectu actus magis in speciali considerati non potest circumstantia dici*. Sed, sive substantia & circumstantia actus directè intendantur; sive substantia sola directè, & circumstantia indirectè, intendatur, manet in actu ratio communioris & magis specialis, ac sic ratio substantiæ & circumstantiæ; ergo &c. 410

Respondeo negando consequentiam; quia S. Thomas loquitur de circumstantia actus, prout subest menti ipsum à sua differentia contrahente præscindentis; quô sensu, vltrò concedimus actum completivum esse circumstantiam actus incompleti, vtpotè hujus, tamquàm generis, differentiam essentialiter contrahentem: quod autem negamus, est, illud, quod intrat objectum directum actus, sivè, quod ab actu directè intenditur, esse circumstantiam actus, quô directè intenditur; & cum hic actus sit realis & realiter existens; ille metaphysicus, & sub præcisione mentali à sua differentia metaphysica existens; de hoc nobis sermo non est; sed de illo reali & realiter existente; quem cum secundùm substantiam confiteri oporteat, quæri debet, quid de substantia objecti ejus, & quid accidens aut circumstantia ejus; inventâ autem substantiâ objecti actus, & circumstantiâ ejus ab illa realiter distinctâ, videndum, an ita substantiam afficiat, vt in Prudentum æstimatione, det ipsi aliam faciem & formam, necnè; & hinc judicandum, an debeat simul cum actu explicari, necnè; quidquid sit de isto actu metaphysico, qui prout non cadit sub commissionem realem (& idem est de illa circumstantia metaphysica prout differentiâ essentialiter contrahente) ita nec sub confessionis necessitatem. 411

Confirmatur Resolutio: vbi quis directâ intentione accepit centum florenos, nisi dicatur, quòd omnes centum floreni sint 412

objectum substantiale istiusmodi furti; neque quid ei substantiale, neque quid accidentale, seu circumstantionale determinari poterit. Cur enim vnus erit potiùs substantiale objectum, quàm alius? Cur vnus, & non omnes; cum eadem sit indivisibilis tendentia directa in omnes? Certè, cùm hæc non sit vaga solùm, & indeterminata, sed determinate in omnes; pro substantiali objecto istiusmodi actus, florenum aliquem vagè & indeterminatè adferre, non sufficit; sed omnes adferri debent, aut certè nullus potest; ergo &c.

RESOLVTIO II.

413 DIco 2. vbi objectum actus interni completum, sive actus externus completus, per internum indirectè, seu interpretativè tantùm; intenditur; objectum completum, seu actus externus completus, est circumstantia, seu modus tantùm, directè intenti; vt v. g. vbi quis directè tantùm florenum furari intendit, & intereà videns & potens non furari centum, centum furatur; totum, quod supra florenum furatur, est circumstantia & modus floreni furtô directè intenti.

414 Resolutio hæc evidenter sequitur ex precedenti, & premissis à n. 370. clareque & quasi ad oculũ demonstrat, quid circumstãtia, quid substãtia objecti actus; quod alioqui, si vtraque directè cadit sub actum, aut indivisibilem tendentiã; ægrè admodùm distingui potest, vt *Resol.* 1. vidimus; nam, tam alienum, quod speciem furti constituit, includitur in centum florenis furtô ablatis, quàm in vno, & è contra; vnde, dum centum floreni furtô intenduntur, assignari non potest, cur potiùs alienus florenus vnus constituat speciem furti, quàm alij 99. alieni floreni: ac ideò, vel omnes eam constituunt, vel nullus: si omnes; vel non declaratur species furti cõmissi; vel declarari debet commissum esse furtum centum florenorum, sic vt nequidem sufficiat declarare commissum furtum notabile, vt patet ex *Dub.* 11. *Resolutione* 5. & statim *Resol.* 3.

415 Scio quidem, D. Thomam *q.* 2. *de Malo art.* 7. *in Corp.* dicere de circumstantia, *Aliquando verò, aggravat quidem peccatum, non tamen constituit peccati speciem; sicut cum aliquis furatur multum.* Et infra.

Vnde

Vnde ista circumstantia aggravat peccatum, in quantum est determinativa illius circumstantiæ, quæ dabat speciem peccato. Verùm per hoc non vult S. Doctor, quod docet Sylvius, & alij, 1. 2. *q.* 16. *art.* 11. *Circumstantias multum & paucum; maius & minus; intensum & remissum*, non habere bonitatem & malitiam secundùm se; at solùm per ordinem ad priorem conditionem objecti; non quidem (quod valde notandum) illam *priorem conditionem* sumendo, prout objectum cadit sub directam operantis commissionem & intentionem; quia sic essentialiter est *multùm* vel *paucum*; sed *priorem cōditionem* sumendo, prout objectum, *alienum* v. g. à *multum* & *paucum* mente præscinditur; at hæc præcisio ad Philosophos spectat; potiùs quàm ad Theologos morales, qui specialiter peccata in ordine ad confessionem (quæ de illis, provt à pœnitente intenduntur & cōmittuntur, esse debet, & non provt à Philosophis à sua quantitatē mente præscinduntur; alioqui non esset in illa, inter veniale & mortale, distinguendum) considerant, & nos cum illis. Quamobrem inde nil contra nos erui potest; maleque hinc plurimi docent, circumstantias speciem non mutantes, licèt notabiliter aggravantes, non esse in confessione aperiendas; contra quos paulò infra agemus *Dub.* 16.

RESOLVTIO III.

DIco 3. ille, qui directâ intentione furatus est centum florenos, & dum confitetur, dicit *Furatus sum materiam notabilem*, peccatum suum, neque secundùm speciem, neque secundùm numerum confitetur. 416

Probatur 1. pars: peccatum illud secundùm speciem non constituitur *alienō* præcisè (quidquid sit de furto provt subest menti Philosophi, illud mentaliter à sua quantitate præscindentis) sed *alienô centum florenorum*, vt patet ex præmissis *Resol.* 1. & 2; hoc enim fur ille intendit & commisit: quarè, si huius speciem habere velis, pręscindi non debet furtum à sua quantitate & hęcceitate; quia quod fur ille intendit & commisit, quantum est: sed debet spectari furtum centum florenorum; quia furtum, quod intendit & commisit, est furtum rei alienæ centum florenorum; non verò rei alienę pręcisę à quantitate: vnde licèt hęc res aliena, 417

metaphysicè

metaphysicè loquendo (quomodò D. Thomas *Resol.* 2. *n.* 415. loquitur,) constituat speciem furti, prout condistinguitur à non furto; non constituit tamen speciem furti commissi, prout condistinguitur à non commisso; de hac autem, & non de illa, nobis hîc sermo esse debet, ob rationem *Resol.* 2. datam; ergo peccatum suum secundùm speciem non confitetur.

418 Probatur 2. pars: impossibile est furtum, quòd intenditur & committitur, esse aliud secundùm speciem, & nõ esse aliud secundùm numerum; quia secundùm numerum includit constitutivũ speciei furti, quod intenditur & committitur (quidquid sit de furto, quod Philosophus speculativè præscindit à sua quantitate & hæcceitate, & quod vt sic non est materia confessionis sacramentalis;) atqui, qui sic confitetur, aliud furtum secundùm speciem confitetur; ergo & secundùm numerum, ac per consequens, neque suum peccatum secundùm numerum confitetur.

RESOLVTIO IV.

419 Dico 4. quidquid D. Caramuel supra n. 385. qui directâ intentione furatus est centum florenos, & dum confitetur dicit, *Furatus sum materiam notabilem*, confitetur peccatum, quòd nec directè intendit, nec commisit; & nullum furtum, quod directè intendit & commisit, sivè secundùm speciem, sivè secundùm numerum, confitetur.

420 Resolutio hæc manifesta est, tum ex præmissis à n. 414. tum ex *Resol.* 3. furtum enim commissum non est illud, quod non potiùs est aurei, aut centum millium aureorum, quàm centum florenorum, quale alioqui deberet esse; sed hoc determinatè & præcisè; quod proinde ab illis tantùm differt, quantùm centum floreni ab vno aureo, aut centum millibus aureorum; quæ, cum inter se incomparabiliter magis differant, quàm furtum assis à furto floreni, & hoc tamen in confessione sacramentali tamquàm mortale à veniali distinguere oporteat; ista incomparabiliter magis distinguere oportet, vti infrà *Dub.* 16. à ratione & Tridentino probabimus.

DVBIVM

DVBIVM XV.

An dari possit circumstantia notabiliter aggravans, quæ tamen peccati speciem non mutet.

D. CARAMVEL

Suæ Theol. fund. Parte 2. n. 1186.

Ec mirum, peccata intra eamdem speciem gravius puniri, si gravio- 421
rainam ejusdem speciei est occidere Regem & vnum Patremfamilias privatum; & furari quatuor imperiales & mille; & tamen hæc peccata pro gravitate puniri solent; licèt ejusdem sint infimæ speciei.

Item n. 1197. Quintò, *idem P. Oviedo* n. 56. *vt rimetur distinctio-* 422
nes specificas, ad pœnarum gravitatem recurrit; sed inefficaciter, vt me ratio docet, & confirmat Alphonsus de Leone tract. de off. & potest. Confessarij p. 1. recol. 9. n. 216. & 218. *nam in materia furti v. g. non omnis, qui furatur materiam peccati mortalis, laqueo suspenditur; & tamen furtum decem aureorum, & furtum millium, distingui non possunt specie.* Ita ille.

AVTHOR.

PVto nomen *species*, in plerisque insignis notę Theologis, mag- 423
nam causasse hallucinationem, circa peccatorum mortaliū circumstantias in confessione sacramentali explicandas, aut non explicandas; eò quòd juxta entitatem physicam individuorum, de quibus prædicatur, communiter eam spectent, & non secundùm moralem, per conversionem eorum ad Deum offensum, & confessionem sacramentalem; quomodò hîc à D. Caramuele, & alijs Theologiæ moralis Doctoribus, considerari debet, vt statim probabimus. Sed ante

Suppono 1. peccatum mortale & veniale convenire vnivocè 424
in ratione peccati; vt patet ex definitione peccati, quam tradit

T Augusti-

Augustinus *lib.22. contra Faustum cap.27.* & alij communiter post ipsum, *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.* Quia tamen nō semel Scriptura per *peccatum simpliciter* intelligit id, quod mortem animae infert, vitam animae tollit &c. vt sequitur ex illo 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est*: & posteà, *Qui natus ex Deo est, peccatum non facit*: sed clariùs Ezechielis 18. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*: & ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors*: dici potest peccatum mortale & veniale in ratione peccati hôc modô sumpti, nōn nisi aequivocè convenire, non esse ejusdem speciei &c. magis quàm sint canis coelestis & terrestris, vt patet.

425 Suppono 2. Peccatum juxta D. Thomam 1.2. *q.72. art.5.* dupliciter considerari posse: 1. ex parte conversionis ad objectum, juxta haec illius verba: *Ad primum dicendum, quòd peccatum mortale & veniale differunt in infinitum ex parte aversionis; non autem ex parte conversionis, per quam respicit objectum, vnde peccatum speciem habet.* supple, quia id hôc modô consideratur vt praecisum ab individuis, Prudentum aestimatione physicâ, sive in ordine ad physicam, solô numerô distinctis; quomodò furtum à magno & parvo mentaliter praecisum, de magno & parvo tamquàm de solô numerô distinctis (prout homo ab vno & multis abstractus, de illis) praedicatur; hôcque sensu docet D. Thomas, locô jam citatô ad 1. *Nihil prohibere in eadem specie inveniri aliquod peccatum mortale & veniale.*

426 2. Ex parte aversionis à Deo, vt patet ex D. Thomae verbis primis ante allatis, & sequentibus, quae in Corpore praemittit: *Quando anima deordinatur per peccatum vsque ad aversionem ab vltimo fine, scilicet Deo, cui vnimur per charitatem, tunc est peccatum mortale; quandò verò fit deordinatio citrà aversionem à Deo, tunc est peccatum veniale.* Sic enim peccatum non consideratur vt species praedicabilis; sivè vt praecisum ab individuis, Prudentum aestimatione physicâ solô numerô distinctis, vt ante; quia prout id vt sic non cōmittitur; ita neque vt sic à Deo vltimo fine avertit: sed vt Prudentum aestimatione morali (sivè in ordine ad mores; deordinationem, aut non deordinationem à Deo vltimo fine; constituendum, aut non constituendum irae filios & Dei inimicos; condignitatem ad poenas aeternas, aut temporales &c.) est realiter pecca-

peccatum commiſſionis, aut omiſſionis, hîc & nunc individuatum, & circumſtantijs,in quibus fit,veſtitum; quô ſenſu D.Thomas *q.2. de Malo art.8. in Corp.* ait,*Manifeſtum eſt autem, quòd peccatum mortale & veniale non ſint ejuſdem ſpeciei*.Hôcque ſolô ſenſu peccati ſpecies eſt materia confeſſionis,prout hôc ſolô ſenſu ad mores ſpectat, committitur vel omiſſionis eſt, à Deo avertit &c.nec aliô ſenſu debent Doctores Morales de peccatorum ſpeciebus agere , vt conſideranti patebit: intereà tu attende magnum furtum à parvo juxta hunc 2. modum ſpecie diſtingui ; juxta primum verò,eſſe ejuſdem ſpeciei , vt ſic D. Angelici authoritatem à contradictione ſalves.

Suppono 3. ex præmiſſis *Dub.* 3. non magis in Theologiam moralem,quàm in Phyſicam, eſſe inducendas ſpecies inadæquatas; ſed ea omnia peccata , quæ Prudentum æſtimatione morali inter ſe notabiliter non differunt , ejuſdem ſpeciei moralis dici debere; ſic nempe, vt mortale , propter levem adjectam circumſtantiam peccati venialis, non dicatur à ſeipſo eâ nudo, notabiliter & ſpecie differre,ſed non notabiliter differre; ac ideò,*parum* in moralibus pro *nihilo* reputatô , eſſe ejuſdem ſpeciei ; tum ob rationes locô citatô allatas ; tum ne dicere debeamus veniale eſſe ſpeciem inadæquatam mortalis , & vnum mortale ſpeciem inadæquatam alterius, vt v.g. in furto,aſſem floreni, & florenum aurei; & ſic ferè de quolibet peccato mortali , multis , tum mortalibus , tum venialibus æquivalente ; ad eum ferè modum , quô corpus dicitur inadæquatè homo, & vnitas pars trinitatis : nam in moralibus aliud,quàm in phyſicis, dicendū à Moraliſtis; quia prout in ijs, quæ peccata ſunt, omnia à D.Thoma *ſuppoſitô* 1. citatô,conſiderantur, vt à Deo vltimo fine avertunt, vel non avertunt; ac proinde vt mortalia vel venialia, ſine vllo medio; ita & vt ſpecies adæquata mortalis, aut ſpecies adæquata venialis; inter quas ex parte averſionis à Deo , (quomodò hîc ſpectari debent) eſt infinita differentia, juxta illud D.Thomæ 1. 2. *q.* 72. *art.* 5. *ad* 1. *Dicendum , quòd peccatum mortale & veniale differunt in infinitum ex parte averſionis.* Si verò illa , quæ differunt in infinitum , adæquatè non differant ; nulla ſunt , quæ adæquatè differunt: vnde puto objectum peccati, ſivè mortalis , ſivè venialis, ſumi debere per modum vnius indiviſibilis,prout actus formalis 417

 in illud

in illud tendens,in illud indivisibiliter tendit; ne alioqui, non vnus, sed multiplex ac multarũ specierum venialis aut mortalis adæquatarum, prout in quodlibet objectorum adæquatorum venialis, aut mortalis, tetenderit, dici debeat, quod non dicitur. His suppositis, sit

RESOLVTIO I.
AVTHORIS.

428 Dico 1. datur circumstantia notabiliter aggravans, quę tamen mortalis speciem, sumptam ex parte conversionis ad objectum, prout subest Prudentum æstimationi Physicæ, non mutet. Ita Theologi omnes.

429 Probatur: quia multum in furto, intensum in odio proximi &c, indirectè tantùm intentum, est circumstantia notabiliter aggravans furtum, odium proximi &c. directè intentum: atqui parum & multum in furto, intensum & remissum in odio proximi &c, prout subsunt Prudentum æstimationi physicæ, solô numerô distinguuntur,& sunt ejusdem speciei præcisionis formalis; vnde D. Th. 1.2.q.72. a.5.ad 1.*Nihil prohibet in eadẽ specie inveniri aliquod peccatum mortale & veniale*;ergo datur circumstantia &c.

430 Confirmatur: dari talem circumstantiam supponit Tridentinum, dum sess. 14.*cap*.5. & *can*.7. explicans materiam necessariam confessionis, semper sub hac limitatione loquitur, *Circumstantias, quæ speciem peccati mutant*. Docet D. Thomas *q*.2. *de Malo art*. 7.in corp.*Circumstantia, aliquando verò aggravat quidem peccatum, non tamen constituit peccati speciem, sicut cum aliquis furatur multum*. Sequuntur omnes Theologi: ergò &c.

RESOLVTIO II.

431 Dico 3. datur circumstantia notabiliter aggravans, quæ tamen peccati mortalis numerum physicum non mutet.

432 Probatur: quia si indirectè tantùm intendatur, vti *Resol*. 1. dictum est, non est de substantia aut integritate physica obiecti actus,vt vidimus. n.370. ac proinde, sicut hujus numerum physicum non mutat, vtpotè illi externa; ita nec actus; ergo &c.

RESOL-

RESOLVTIO III.

Dico 3. non datur circumſtantia notabiliter aggravans, quæ tamen mortalis peccati ſpeciem, ſumptam ex parte aver- 433
ſionis à Deo, aut converſionis ad objectum, prout ſubeſt Prudentum æſtimationi morali, ſpeciem non mutet. Hanc Reſolutionem ab alijs examinatam non reperio; tamen

Probatur: quia, vt patet ex *ſuppoſito* 2. ſpecies vt ſic, ſivè prout 434
condiſtinguitur contra ſpeciem logicam, ſeu præciſionis formalis, de qua *ibidem* & *Reſol.* 1. nil aliud eſt, quàm peccatum veſtitum circumſtantijs. in quibus reipsâ ſit; ſic, vt per illas, in eſſe talis peccati commiſſionis, vel omiſſionis, Prudentum æſtimatione morali, conſtituatur: atqui circumſtantia notabiliter aggravans peccatum mortale, illud tam (vt minùs) diſtinguit, juxta Prudentum æſtimationem moralem, ab eo, in quo non reperitur, quàm furtũ vnius floreni (datô, quod hîc ſit materia ſufficiens ad mortale) à furto vnius aſſis diſtinguatur; & aliunde hęc duo furta, ſumptâ peccati ſpecie ex parte averſionis à Deo, ſpecie differunt, vt patet ex D. Thoma 1. 2. *q.* 72. *art.* 5. *ad* 1. vbi ait, *Dicendum, quod peccatum mortale & veniale, differunt in infinitum ex parte averſionis* (ſi in infinitum, ergo ſpecie, vel certè nulla ſpecie differunt;) ergo non datur circumſtantia &c.

Dices: furtum vnius floreni à furto aſſis ex parte averſionis 435
à Deo, tamquàm avertens à non avertente à Deo vltimo fine, ac ideò in infinitum, diſtinguitur: atqui peccatum, in quo reperitur circumſtantia notabiliter aggravans, à mortali, in quo non reperitur, ſolùm diſtinguitur tamquàm avertens ab avertente à Deo vltimò fine; ergo non tam diſtinguuntur &c. ac proinde circumſtantia notabiliter aggravans non conſtituit ſpeciem peccati mortalis diſtinctam ex parte averſionis à Deo, ab ea. cujus eſt peccatum, quod notabiliter aggravat; prout florenus aggravans aſſem &c. ſpeciem mortalis conſtituit diſtinctam, ex parte averſionis à Deo, in infinitum à ſpecie venialis.

Reſpondeo negando conſequentiam; quia idem manens idem 436
ſemper natum eſt facere idem; ac proinde, cum circumſtantia notabiliter aggravans mortale, tam illud augeat, quàm veniale,

si sit notabiliter aggravans veniale; ex ipsa & eo peccato mortali, quod notabiliter aggravat, Prudentum æstimatione morali, sit vnum peccatum, tam ex parte aversionis à Deo distinctum à mortali, in quo non reperitur; quàm furtum ex asse & floreno assem notabiliter aggravante, sit ex parte aversionis à Deo, distinctum à furto assis, in quo florenus non reperitur: nam, quod circumstantia illa mortale, & non veniale solùm, notabiliter aggravet, ipsi extrinsecum est & per accidens; eóque non obstante, cum non tollat id, quod per se est; ex se æquè peccatum mortale, quod notabiliter aggravat, constituit avertens à Deo vltimo fine, ac si esset veniale tantùm, & non mortale, quod aggravat.

RESOLVTIO IV.

437 Dico 4. non datur circumstantia notabiliter aggravans, quæ tamen peccati mortalis numerũ moralem non mutet.

438 Probatur: quia peccatum mortale, quod aggravat notabiliter, per se & illâ circumstantiâ nudum, est vnicum mortale & præcisè avertens à Deo; illâ autem vestitum, est æquivalens duobus, & æquivalenter avertens à Deo vltimo fine dupliciter; atqui hęc peccata non sunt ejusdem numeri moralis; ergo &c.

DVBIVM XVI.

An certum sit, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum, vel speciem: Et an id sit definita veritas in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5.

D. CARAMVEL

In sua sæpe citata Quæstione n. 5.

439 *Svppono, tamquàm certum, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum, vel speciem.*

ſpeciem. Eſt definita, vt exiſtimo, hæc veritas à Concilio Tridentino ſeſ. 14. cap. 5. *docente Catholicos, quô debeant modô confiteri, & dicente*, eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, *& addente*, Nil aliud ab Eccleſia à pœnitentibus exigitur, *&c. Si nihil aliud exigitur; non ergo exigitur, vt circumſtantias aggravantes explicent. Hanc ſententiam hodie tuentur omnes, aut ferè, Theologi boni nominis, quorum multos producit Diana.* 1. p. tract. 7. reſol. 2. *&* 3. p. tract. 4. reſol. 67. *& ſæpe alibi.*

Item etiam Suæ Theol. Moral. n. 1607. *Dico* 3. *Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ; adeoque nemo tenetur in confeſſione exponere vtrô ex iſtis modis peccaverit, ſed ſatisfaciet, dicens, procuraviſſe pollutionem.* 440

Denique 1. p. ſuæ Theol. Fund. n. 1206. *Hâc ſententiâ, quod probabile ſit omnes contra naturam peccandi modos, & differentias, eſſe vnius ſpeciei, ſemel admiſſâ, ſequitur neceſſariò pœnitentem ſatisfacere, ſi ita in confeſſione ſua peccata exponat, vt Confeſſario ſpecies, & numerus, peccatorum innoteſcat, etſi nulla circumſtantia, tametſi notabiliter aggravans, modò ſpeciem non mutet, exprimatur. Hoc enim communior ſententia affirmat; nam illa, quæ iubet circumſtantias aggravantes in confeſſione explicari, nimis eſt dura & difficilis, ne dicam videri impoſſibilem & Synodo Tridentinæ contrariam.* Ita ille. 441

AVTHOR.

QVæſtio iſta valde celebris eſt, & graviſſimi momenti; quia tamen D. Caramuel malè ſupponit certum, *Neminem teneri in confeſſione aperire alias circumſtantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum, vel ſpeciem phyſicam*, cum id nec vllatenùs Tridentinô, nec vllâ ratione, probet, & ſic de alijs, quos ſequitur, Sit 442

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

DIco 1. non ſolùm certum non eſt, *Neminem teneri in confeſſione aperire alias circumſtantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum phyſicum, vel phyſicam ſpeciem*, id eſt, ſumptam ex parte converſionis ad objectum prout ſubeſt Prudentum æſtimationi phyſicæ (quô ſenſu omnes Adverſarij loquuntur;) ſed falſum eſt, 443

est, aut saltem valdè incertum, vt supra in nostra *Reposita Quæstione* respondi.

Pro vtraque parte stant plurimi authores, quos videre poteris apud Thomam Sanchez *lib.2. in decal.c.32.n.39.* & *lib.4.cap.11.* ac Dianam locô à D. Caramuele citatô.

444 Probatur 1. multum in furto, vt v. g. aurei centum; majus extensivè in homicidio, vt v. g. homines decem, vnô ictu tormenti bellici occisi; intensum vt octo in odio proximi, & sic de infinitis similibus, quæ infra minutiùs discutiemus; si in *furto, homicidio, odio* &c indirectè tantùm intendantur, sunt circumstantiæ intra eamdem speciem, sumptam ex parte conversionis ad objectum provt subest Prudentum æstimationi physicæ, notabiliter aggravantes, vt patet ex præmissis *Dub. præcedenti*, & numerum physicum non mutantes, vt *ibidem* probavimus, & eò quòd constet ex Philosophia, idem physicè subjectum esse naturaliter capax accidentium, aut specie, aut solô numerô diversorum.

445 Subsumo: atqui non solùm certum non est, neminem teneri in confessione circumstantias illas aperire; sed falsum, aut saltem valdè incertum, etiam plerisque nobis adversarijs; ergo &c.

446 Probatur subsumptum 1. quia sic circumstantiæ illæ ex parte conversionis ad objectum &c. sunt intra eamdem speciem &c. notabiliter aggravantes & numerum physicum non mutantes, vt ex parte aversionis à Deo &c. speciem & numerum moralem mutent, vt *Dubio præcedenti* probatum est: atqui hinc necessariò sumenda sunt peccatorum species & numerus, in ordine ad confessionem Sacramentalem, de qua hic agimus; & aliundè, non solùm certum non est, neminem teneri in confessione aperire circumstantias mutantes speciem & numerum, in ordine ad confessionem sacramentalem; sed falsum & hæreticum; ergo &c.

447 Probatur hæc minor pro 1. parte; quia, præterquàm id videatur ratio ipsa naturalis dictare; imprimis in furto, & similibus, species mortalis, distincta à specie venialis, inde præcisè sumitur, vt patet ex D. Thoma 1.2. *q.72. art.5.* in corp. *Quando anima deordinatur per peccatum vsque ad aversionem ab vltimo fine, scilicet Deo, cui vnimur per charitatem, tunc est peccatum mortale; quando verò fit deordinatio citra aversionem à deo, tunc est peccatum veniale.* & hinc

hinc mortale & veniale peccatum ſpecie differre manifeſtè ſequitur ex eo, quod ſubdit ad 1. *Dicendum, quòd peccatum mortale & veniale differunt in infinitum*, igitur ſpecie, *ex parte averſionis.* Vnde *q.*2. *de Malo art.*8. in corp. *Manifeſtum eſt autem, quòd peccatum mortale & veniale non ſint ejuſdem ſpeciei.* Deinde etiam ex Tridentino evidenter *ſeſſ.*14. *cap.*5. vbi ſic habet, *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquàm rectè & vtiliter, citràque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat; taceri tamen citrà culpam, multiſque alijs remedijs expiari, poſſunt. Verùm, cum vniverſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios* (nota hîc diſcrimen inter venialia & mortalia, in ordine ad confeſſionem Sacramentalem, ex parte averſionis à Deo) *& Dei inimicos reddant; neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere.* Vnde admodùm prudenter Caſpenſis *de peccatis diſp.*2. *ſect.*5. ait, *Neceſſarium eſt declarare in confeſſione circumſtantiam, quæ transfert actum de veniali in mortale, v.g. quantitatem furti; quia quamvis non variet ſpeciem, quam ſumit ex objecto; tamen in ratione offenſæ divinæ ſpecie differunt mortale & veniale; peccatum autem primariò pertinet ad confeſſionem, quatenùs eſt offenſa Dei.*

Si verò in furto, & ſimilibus, ſpecies mortalis diſtincta à ſpecie venialis ab averſione à Deo, Dei offenſa &c. in ordine ad Sacramentalem confeſſionem, ſumatur; quidni etiam in furto, ſpecies vnius mortalis plùs ab alio diſtincti, quàm mortale à veniali diſtinguatur, vt v. g. ſpecies furti centum aureorum, quod à ſpecie furti aurei plùs diſtinguitur, quàm furtum aurei à furto aſſis; inde, ſaltem æquivalenter & quantum ſatis eſt ad dandum novi mortalis malitiam à veniali ſpecie diſtinctam, ſumeretur? Non apparet ratio diſparitatis; ac per conſequens nec, cur ſi juxta Tridentinum ſpecies mortalis furti, vt condiſtinguitur contra veniale, ob diſtinctionem, quam habet ab illo ex parte averſionis à Deo, offenſæ Dei &c. ſit in confeſſione ſigillatim à ſpecie venialis aperienda; non ſit & illa à fortiori, ob majorem ſuam diſtinctionem &c. ſigillatim ab iſto mortali aperienda. 448

Præterea: inde ſumitur ſpecies peccati, vnde ſumitur malitiæ peccati ſpecies, vt omnes fateri tenentur; hæc autem non ſumitur ab objecto, prout ſubeſt Prudentum æſtimationi phy- 449

ficæ;sed ab objecti ad legem Dei æternam dissonantia,prout subest Prudentum æstimationi morali, ab alijs notabiliter diversa, vt probavimus supra *Dubio 6.& 7.* Igitur non est,cur species peccati, sumpta per conversionem ad objectum prout subest Prudentum æstimationi physicæ, ad Sacramentalem confessionem pertineat, ad illamque attendat Tridentinum statim citatum; & non potiùs sumpta solùm ex parte aversionis à Deo, offensæ Dei &c, hancque solam spectet Tridentinum: ergo &c.

450 Probatur subsumptum 2. quia circumstantia illa notabiliter aggravans furtum mortale, homicidium, odium proximi &c. ejusdem est malitię moralis, sive per actum intendatur,quô principale seu id, quod furto mortali,homicidio &c. præcisè respondet, intenditur, sive per alium moraliter interruptum;aut(quod ferè in idem recidit) circumstantia illa ejusdem est malitiæ moralis, sive indirectè tantùm & vt circumstantia intendatur, sivè directè & vt objectum substantiale actus; nam, quidquid sit de bonitate actus, ad malitiam voluntarium indirectum & interpretativum sufficit, vt communissimè docent Theologi: atqui non solùm verum non est, neminem teneri in confessione aperire substantiale objectum, sive circumstantiam vt objectum principale directè intentam; nam vt sic juxta D. Thomam n. 408. citatum *dat speciem*; sed falsum,imò fortè per sequelam moraliter evidentem & necessariam contra Tridentinum; ergo &c.

451 Probatur subsumptum 3. ex propria confessione Adversariorum, ac nominatim Caspensis n. 448. citati: Peccatum primariò ad Sacramentalem confessionem pertinet, quatenus est offensa Dei: sed (vti supra in nostra ad D. Caramuelem *Reposita Quæstione* dixi) iuxta communem Theologorum sensum, furtum mille florenorum, sive ex parte offensæ Dei, aversionis à Deo &c. sivè ex parte materiæ. incomparabiliter magis differt à furto floreni vnius; quàm furtum vnius floreni à furto vnius assis differat; ergo si hoc,præ furto vnius assis, ob suam majorem gravitatem, sivè ex parte offensæ, sivè ex parte materiæ, sit in confessione aperiendum; illud à fortiori erit,ob notabiliter ex vtroque capite majorem,ergo &c. Attende hic ad præmissa n.436.

452 Probatur 2. omne peccatum mortale secundùm numerum & speciem esse in confessione aperiendum, si post diligentem sui discussio-

discussionem memoriæ occurrat, certum & de fide est, vt omnes Orthodoxi fatentur; atqui, non explicatâ quantitate in furto, multitudine occisorum in homicidio, intensione in odio proximi &c, nullum peccatum quoad speciem, aut numerum, aperitur; ergo &c.

Probatur minor pro 1. parte: quia species peccati in ordine 453
ad confessionem attendi non debet, provt præscindit à conditionibus & circumstantijs illud ad individuum contrahentibus; quia vt sic, non minùs præscindit à circumstantijs mutantibus speciem, quæ tamen sunt certò aperiendæ, quàm à non mutantibus speciem; sed provt illis vestitur, vt patet ex peccatis, quorum circumstantiæ speciem mutant, certò aperiendis: atqui prout species peccati vestitur conditionibus & circumstantijs illud ad individuum contrahentibus, dicit quantitatem in furto centum aureorum v. g., multitudinem occisorum in homicidio decem hominum vnô tormenti bellici ictu v. g. &c. ergo non solùm certum non est, neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias &c. sed falsum & fortè contra Tridentinum. Attende ad *suppositum* 2. *&* 3. *Dubij* 15.

Probatur minor pro 2. parte: numerus peccatorum in ordine 454
ad confessionem attendi non debet, prout præscindit à conditionibus & circumstantijs illorum speciem ad individua contrahentibus; quia vt sic non minùs præscindit à pluralitate numerica mortalium, quæ tamen est certò aperienda, quàm à circumstantia vnius in particulari notabiliter aggravãte; sed prout illis vestitur, vt patet ex illa pluralitate certò aperienda: atqui prout numerus peccatorum vestitur conditionibus & circumstantijs illorum speciem ad individua contrahentibus, dicit circumstantiam notabiliter aggravantem in furto, cui convenit, prout pluralitatem numericam in pluribus furtis; ac proinde quantitatem in furto, v.g. centum aureos; multitudinem in homicidio, v.g. decem homines &c. ergo &c.

Confirmatur vtraque probatio minoris: quia alioqui, species, 455
(idem est de numero,) nõ erit peccati, quod cõmittitur aut omissione contrahitur, commissionem aut omissionem realiter terminans &c. quã solam attendunt Theologi morales, & quæ sola ad confessionem spectat; sed peccati, quod concipitur, præcisionem

 formalem

formalem terminans &c., quam attendunt Logici, non verò Theologi Morales; imò peccatum vt sub hac, tam à peccato realiter commisso aut omissione contracto distinguitur, quàm non commissum aut omissione non contractum realiter (cujus sacrilega est confessio) à realiter commisso aut omissione contracto, (cujus sacrilega est celatio) distinguatur; ergo &c. Attende ad præmissa n. 417. & ante à n. 303. ad 317. Item à n. 395. ad 402.

456 Dices fortè cum Em. Lugone *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 119. sine explicatione illarum circumstantiarum aggravantium, cognitâ specie peccati mortalis, dicendo v.g. pro furto, *Commisi furtum grave*, vt docet *n.* 115. iam cognoscitur gravitas ejus specifica & essentialis; licèt non cognoscatur distinctè tota gravitas individualis: noluit autem Christus exigere talem omninò notitiam, quâ sacerdos censere possit de gravitate specifica & essentiali peccati, & de gravitate etiam individuali ejusdem; ob difficultatem maximam, subdit n. 141. quæ esset in explicandis his omnibus circumstantijs; nam licèt vna, vel altera, posset explicari; aliæ ferè omnes difficillimè explicarentur; lex autem vniversalis debet attendere ad ea, quæ frequenter contingunt; non ad vnum vel alterum casum; ergo &c.

457 Respondeo 1. Em. Lugonem falsum supponere, videlicèt in peccatis quà commissis realiter, speciem esse separabilem ab individuo; quod tantùm verùm est de peccatis quà confusè conceptis & formaliter præcisis; quomodò, prout realiter commissa non sunt; ita nec sunt vera materia confessionis, sed sacrilega: Deinde rogo, cur potiùs in confessione separari possit species ab individuo præcisè secundùm circumstantiam notabiliter aggravantem spectato, quàm è contra, individuum vt sic à sua specie; quandoquidem individuum vt sic, vtpotè supra speciem importans circumstantiam notabiliter aggravantem, notabiliter gravius peccatum sit, quàm species cui additur; & tamen peccata sint, vt paulò ante probatum est, ob suam gravitatem (vt patet ex necessaria confessione mortalis, & non venialis) in confessione distinguenda? Difficulter rationem dabit, cum species in circumstantia illa includatur, & hujus confessione illam sufficienter confiteamur.

Quod

Quod verò subdit, *voluisse Christum* &c. ob difficultatem maximam, quæ esset in explicandis his omnibus circumstantijs; nullam habet apparentiam veritatis; quia (præterquàm Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. ajens, *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint.* Et infra: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniversum, eâdem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa verò hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis & consolationibus levaretur &c.* solam mortalium oblivionem excuset, & omnia velit, non obstante suâ confessionis difficultate, oportere confiteri) fingitur ibi difficultas major in explicandis circumstantijs notabiliter aggravantibus, quàm sit in confessione speciei, numeri & mutantium speciem: vel enim illæ notabiliter aggravantes post diligentem sui discussionem, conscientiam movent, vel non? Si primum; quæ major difficultas in his, quàm in illis confitendis, obsecro? nisi fortè Em. Lugo agat de difficultate consistente in aperta & verecunda mortalium confessione; sed hanc nimiùm commendat Tridentinum, tum verbis statim citatis, tum paulò ante præmissis, *Necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confessione, à Deo quærere*: vt, ob difficultatem illam, à mortalium confessione excuset. Si secundum; per Tridentinum ipsum, ab aperta & in particulari, confessione, prout, & non magis aut minùs quàm reliqua omnia, excusantur. *Præterquàm* dixi, *opponatur Tridentinum*; quia etiam non apparet, quâ ratione Christus legislatorum sapientissimus confiteri preceperit minùs gravia peccata, vt v. g. furtum floreni, datô quòd hic sit materia gravis; aut sacrilegij, datô quod sit acceptus in templo; si aliundè ipsum furtum verè gravissimum, mille aureorum v. g. prout tale (quomodò mille aureis condistinguitur à furto materiæ istius reputatæ gravis) permiserit taceri; id hucvsque, haud magis mihi persuadere potui, quàm quod lex Christi absurda sit & irrationabilis; quòd absit, vt vel solùm cogitet Christianus. 584

Respondeo 2. per confessionem *furti gravis*, nec speciem, nec numerum peccati commissi prout commissionem terminat 459

(quomodò solùm est materia confessionis , vt sæpe diximus) aperiri. Vide dicta *à n.*303. *ad* 317. & *à n.*395. *ad* 402. vbi fuse talem & similem confessionem impugnavimus.

460 Probatur 3. qui millies interruptè moraliter florenum furatus est, certò non satisfacit in confessione dicendo, *Pluries furatus sum*, aut *plura furta commisi* : ergo nec, qui semel bis mille aureos furatus est, dicendo, *Plura furatus sum, furtum grave commisi &c.* Assumptum est de fide : consequentia patet à fortiori ; nam hoc furtum est multò gravius illis; ergo non solùm certum non est, neminem teneri &c. Sed &c.

461 Respondet Em. Lugo *loco supra n.* 118. negando sequelam: quia non explicatô numerô, non explicatur certò quartum vel quintum furtum; sed duo vel tria priora, quæ sunt peccata distincta à sequentibus, atque adeò non explicantur omnia peccata; si quidem aliqua restant non certò explicata : at verò, non explicatâ quantitate furti (& idem est de intensione odij) nullum peccatum manet, quod non explicetur certò; nam totum illud furtum est vnum & idem peccatum, quod, licèt non explicetur quoad totam suam indi viduationem, reverà tamen illud explicatur quoad suam speciem & quidditatem; atque adeò pœnitens dicit certò se commisisse illud peccatum, nec celat aliquod peccatum à se commissum; & per consequens satisfacit toti præcepto confitendi omnia peccata; cui præcepto non satisfacit, quando non explicat numerum peccatorum. Ita ille.

Sed contra 1. Quantitas illa est malitiæ majoris, quàm dicta
462 pluralitas, vt satis manifestum est; ac per consequens, quod per hanc generalem confessionem, *plura furta commisi*, detrahitur de minori istorum peccatorum malitia ; hâc, *furtum grave commisi*, de majori vnius detrahitur; cur autem hoc magis licet, quàm illud ? Nisi consequenter velis de malitia ejusdem mortalis vsque ad minimum veniale (quô plus incomparabiliter ibi detrahitur) posse detrahi, non video : dici quidem potest, oportere omnia peccata quà mortalia, & quà vnum numerô aperire: fateor: sed si semel liceat illud, quod est malitiæ incomparabiliter majoris in confessione detrahere ; obligationem illam, nullam & irritam esse contendo; & Tridentinum id definiens, intelligi debebit de omnibus peccatis mortalibus & eorum numero in confuso, quòd est contra

contra totius Ecclesiæ sensum; alioqui, quod absit, ipsius definitio, vti lex Christi, de qua n. 458. absurda & irrationabilis videretur.

Contra 2. (præterquàm ostensum sit à n. 480. quòd debeat peccatum mortale furti bis mille aureorum potiùs explicari secundùm totam suam individuationem, quàm secundùm speciē, cum vt sic incomparabiliter gravius sit.) Quæro quid aliud sit non explicari secundùm totam suam individuationem; quàm 1. vnam istiusmodi furti malitiam explicare, & aliam tacere? 2. quàm tacere aliquod peccatum commissum, videlicèt respondens alteri individuationis parti, quam pœnitens non explicat? 3. Peto, an altera pars individuationis peccati commissi sit peccatum furti bis mille aureorum commissum, nec ne? Si primum; cur similia *plura* non sunt pars individuationis numeri furtorum, cum illud vnū æquivalenter contineat totū, quod hic formaliter continet, nec aliter inter se moraliter distinguantur, quàm ducato à decem solidis; vnde illud asserens, hoc inconsequenter negat. Si secundum; ergo non magis ibi, quàm hic explicatur peccatum commissum; ac proinde sicut sub hac detruncatione, confessio est sacrilega; ita sub illa. Vide dicta *à n.* 303. *ad* 317. Et attende, tum ibi, tum *Resolutione sequenti*, quantis absurdis gravetur *D. Caramuelis*, *Emin. Lugonis*, *Tamburini*, *Lessij*, *Dianæ*, *Vasquez*, *Reginaldi*, *Valentiæ*, & antiquiorum Adversariorum, *Durandi*, *Gabrielis*, *Paludani*, *Scoti*, & aliorum plurimorum, sententia. 463

Confirmatur Resolutio. *Quando de specie peccati est sermo, quæstio non est iuxta subtilitates specierum logicalium, aut physicalium examinanda*, vt profundè respondet *Eximius D. Passerinus* apud Caramuelem *Theol. Fund. p. 2. Epist.* 11. & nos probavimus supra *dub.* 6. præsertim *Resol.* 4. *Sed*, subdit, *agitur de illa apparentia & æstimatione peccati, quâ vulgò dicimus rem quampiam aliter narratam habere aliam faciem, id est aspectum, formam & considerationem in hominum æstimatione.* & infra, *Nam illa sunt in confessione aperienda, quæ index, aut medicus, indicaret mutare speciem facti, aut statū infirmi.* Atqui in morali hominum æstimatione, alium aspectum, formam & considerationem habet furtum bis mille aureorum, quàm furtum *rei notabilis*, quæ de aureo verificatur; & sic proportionaliter de alijs; unde *Passerinus* ibidem, *quia species facti alia est, quando extendit se ad quinque occidendos,* 464

occidendos, *quàm ad vnum*, (& idem est de furto vno ad quinque, imò bis mille, aureos se extendente; & alio ad aureum vnum, ob rationis paritatem à nobis allatam *supra* à n. 298.) *explicanda erit; etsi ignoret pœnitens habueritnè quinque actus, an vnum; aut an ille vnus actus sit quinque peccata, an vnicum*, quod probavimus *Dub.* 12. *Resol.* 1. *per totam*, ergo &c. Probatur minor: si enim furtum mortale, v. g. florenus, ob 19. asses ad vnum adjectos, aut in multorum opinione, ob adjectum vnum ad 19. (& idem est ob solam circumstantiam templi adjectam furto floreni) habeat alium aspectum, formã &c. à furto veniali vnius aut 19. assium; quantò magis alium aspectum, formam &c. habebit, si floreno addantur milliones? ergo &c.

RESOLVTIO II.

465 DIco 2. tantum abest, vt sit in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. definita veritas, *Neminem teneri in confessione aperire circumstantias, quæ, nec numerum, nec speciem mutant*, ad sensum primæ Resolutionis; quin potiùs oppositum in illo, valdè probabiliter credi possit definitum.

466 Probatur 1. Tridentium *sess.* 14. *cap.* 5. dicit, *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversùs duo vltima Decalogi præcepta.* Rationem subdit; quia videlicèt, *nonnumquàm animum graviùs sauciant; & periculosiora sunt, ijs, quæ in manifesto admittuntur*: atqui graviùs sauciat & periculosius est commissum furtum mille aureorum (quod in sententia D. Caramuelis, & aliorum supra citatorum, in confessione celatur) quàm furtum *rei notabilis* (quod in ea manifestè aperitur) vt iam toties ostensum est; ergo ex Tridentino, non minùs oportet à pœnitentibus istud, quod graviùs sauciat & periculosius est, in confessione recensere; quàm hoc, quod leviùs sauciat, & minùs periculosum est; aliàs cessat vis motivi *nonnumquàm* &c. vel certè Christus illud valdè irrationabiliter voluit, si hoc, interprete Tridentinô, oportere in confessione recensere, & non illud, voluit, ac Tridentinum definit. Vide præmissa n. 458. & 462. in fine; ergo &c.

Proba-

Probatur 2. ex eodem, verbis immediatè præcedentibus, quæ alterum motivum continent: *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse; neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent:* atqui, nisi teneatur pœnitens illas circumstantias aperire, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ ex parte illarum causâ, graviori plerumque, quàm ex parte numeri, (vide n. 464.) exercere debebunt; nec æquitatem in pœnis injungendis servare poterunt; ergo &c. 467

Respondet quidem Em. Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 3. Confessarium, vbi oportuerit, posse & debere pœnitentem interrogare de illis circumstantijs; &, cùm vt Iudex & Medicus, ad id jus habeat, pœnitentem debere respondere, & fateri, quod interrogatur.

Sed contra: cùm pœnitens in hoc Tribunali Sacramentali sit Reus, Accusator & Testis, non tenetur respondere, nisi ad ea, aut saltem in ordine ad ea, quæ per se, & non interrogatus, fateri tenetur; in hac enim sola obligatione fundatur legitima interrogatio Sacerdotis; cùm judex non sit, nisi eorum, quæ ipsemet pœnitens adversùm se allegat & probat: vnde, dum Em. Lugo obligationem istam quoad dictas circumstantias tollit, judicium Sacerdotis necessarium sustollit; vel tale obtrudit, quod, incognitâ ex parte illarum causâ, exerceri debeat, & in quo æquitas in pœnis injungendis servari non possit; an juxta Tridentinum? Ipse & D. Caramuel viderint, attendentes, nullum Iudicem, vi officij præcisè, Reum legitimè interrogare, ac ideò Confessarium de venialibus illegitimè interrogare; quia pœnitens per se non tenetur ea aperire. 468

Probatur 3. ex eodem: ibidem enim dicit, *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquàm rectè & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat; taceri tamen citrà culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt;* (cur obsecro, idem non dicit de circumstantijs notabiliter intrà eamdem speciem, per conversionem ad objectum, prout subest Prudentum æstimationi physicæ &c. aggravantibus: nisi, quia subdens, *Verùm, cùm vniversa mortalia peccata,* inter hæc, illas, ex probabiliori sententia, numerandas putat; 469

aliqqui major erat ei ratio de circumſtantijs illis loquendi, quàm de venialibus) *etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant ; neceſſum eſt , omnium etiam veniam , cum aperta & verecunda confeſſione, à Deo quærere*. Atqui multò majori ratione, quod in furto mille aureorum excedit aureum, reddit homines filios iræ & Dei inimicos, quàm quod in furto aurei excedit aſſem, eos tales reddat, vt patet ex præmiſſis à n. 434. ad 437. & 458. ad 465. & ſic de alijs proportionaliter; ergo &c.

470 Reſpondebis fortè, inter hujus & illius gravitatem, latam eſſe diſparitatem; quia furti aurei, aut floreni (ſi in noſtra ſententia loquaris) gravitas eſt mortalis præcisè ; mille aureorum verò ſuper-mortalis; ad quam totô iſtô capite Tridentinum non attendit ; ſed ad mortalis majorem præcisè gravitatem ſupra veniale; hancque definit apertâ & verecundâ confeſſione aperiendam, non illam, niſi ſpeciem mutet ; alioqui oporteret eâdem confeſſione aperire alias circumſtantias notabiliter aggravantes, vt *durationis, intenſionis* & alias ſimiles, quod non admittitur.

471 Reſpondeo, me latam illam diſparitatem non percipere ; & vt percipiam, rogo, quô fundamentô dicatur Tridentinum attendere ad ſolam majorem gravitatem mortalis ſupra veniale, & non ad majorem gravitatem ſuper-mortalis ſupra mortale præcisè ; cùm hæc ſit incomparabiliter major ? An fortè , quod abſit , reſponſurus es, Chriſtum ita irrationabiliter materiam Sacramenti inſtituiſſe , vt minùs gravia tantùm , & non graviora, imò neque intra eamdem ſpeciem, ſumptam per converſionem ad objectum, graviſſima &c, præceperit confiteri? Quòd enim horum gravitas ſit ſupra gravitatem peccati mortalis præcisè ; iſtorum verò præcisè peccati mortalis gravitas, ſupra levitatem venialis; nihil refert; quia, eô non obſtante, iſta manet notabiliter, imò notabiliſſimè major gravitate hujus, ac virtualiter idē præſtans, ac ſi veniali accederet; imò ipſa æquivalet multis mortalibus numerô diſtinctis ejuſdem ſpeciei phyſicæ , & cum his vni primo ſuperadditis eamdē pœnā (ſivè in purgatorio, ſi ante remittantur, ſivè in inferno, ſi ſecùs) meretur luendam; ac proinde definit, tā hanc, quàm illā eſſe apertâ & verecundâ cōfeſſione aperiendam: idemque iudico de *duratione, intenſione* & alijs notabiliter aggravantibus, ſubauditâ hâc Tridentini *cap.* 5. citatô Regulâ, *Reliqua autem peccata,*

(*quæ*

(*quæ diligenter cogitanti nõ occurrunt*, vt plerumque contingit in circumstantijs *durationis*, sed *intensionis* maximè) *in vniversum, eâdem confessione* mortalium secundùm se & numerum notum, *inclusa esse intelliguntur* : *pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine.* Vnde patet Tridentinum satis attendere ad ea, quæ frequenter contingunt (quidquid Em. Lugo n. 456. citatus) dum præcipit circumstantias illas verecundâ confessione aperiri.

Instabis tamen ex eodem Emin. Lugone *sæpè citatâ disp.* 16. *de Pænit. sect.* 3. *n.* 107. sic habente. Probatur 1. ex Trident. *dicta sess.* 14. *cap.* 5. vbi postquàm dictum est circumstantias, quæ speciem peccati mutant, esse explicandas, additur, impium esse hanc cõfessionem impossibilem appellare, aut carnificinam conscientiæ, *Constat enim nihil aliud à pænitentibus in Ecclesia exigi &c.* quibus excludi videtur necessitas explicandi alias circumstantias &c. quia ille, qui explicat speciem & numerum peccatorum, verè & in rigore dicitur confiteri peccata ; si ergo solùm exigitur confessio peccatorum &c. Ita ille ibi. 472

Magis favet, subdit n. 108. , idem Trid. illo *cap.* 5. & *can.* 7. vbi, dum explicat necessitatem confitendi peccata mortalia, & circumstantias eorum, semper addit limitationem illam, *circumstantias, quæ speciem peccati mutant* : quâ limitatione videtur tacitè excludere alias circumstantias. Nam licet id non dicat expressè, atque adeò videatur esse solùm argumentum negativum; non tamen est purè negativum ; aliud enim est, nihil prorsus dicere ; aliud verò est agendo de circumstantijs, limitare semper positivè sermonem ad eas, quæ speciem mutant; per quod videtur positivè excludere alias. Sicut, si tradens obligationem confitendi peccata, quæ colligitur ex Christi verbis, semper adderet limitationem, scilicet, esse obligationem confitendi omnia peccata mortalia, quæ prodeunt in actum externum; certè videretur positivè excludere obligationem confitendi peccata interna ; ergo &c. Ita etiam ille. 473

Respondeo 1. ad primam partem instantiæ ; (quod ipsemet Emin. Lugo notavit) particulam *nil aliud* non excludere *circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes* ; sed *peccata mortalia , quæ diligenter cogitanti non occurrunt* , vt textum le- 474

genti patebit, qui sic habet, *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt, postquàm quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt* (attendat ad hoc D. Caramuel, & ipsi manifestum erit falli, in eo, quod in sua Quæstione in Præambulo nostro citata, his verbis docet, *Est definita, vt existimo, hæc veritas à Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 5. *docente Catholicos, quô debeant modô confiteri, & dicente eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant* (in sequentibus specialiter ejus notanda falsitas) *& addente, nil aliud ab Ecclesia à pœnitentibus exigitur* &c. *Si nihil aliud exigitur, non ergo exigitur vt circumstantias aggravantes explicent.*) *in vniversum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* In quibus nulla prorsus est mentio particularis de istis circumstantijs aggravantibus; sed generalis omnium peccatorum mortaliū (inter quæ, quidquid Em. Lugo, circumstantiæ notabiliter aggravantes comprehenduntur, vt *Resol.* 1. vidimus; vnde etiam malè locum istum pro se torquet,) quæ, si diligenter cogitanti occurrant, confiteri oporteat.

475 Respondeo ad secundam partem Instantiæ, quæ primâ fronte videtur adversarijs favere; sed re bene attentâ, nihil minùs: quia (præterquàm circumstantiæ notabiliter aggravantes sint circumstantiæ mutantes speciem ex parte conversionis ad objectū, prout subest Prudentum æstimationi morali, vt patet ex præmissis *Dub.* 15. *suppos.* 2. & *Resol.* 3. sivè etiam ex parte aversionis à Deo (vt ibidem) vnde species peccati in ordine ad confessionem Sacramentalem sumi debet, vt patet etiam ex præmissis n. 448.) Tridentinum ibi non facit specialem mentionem circumstantiarum, quæ speciem peccati mutant, quasi notabiliter aggravantes non sint confitendæ; quia alioqui, cùm numerari debeant inter peccata mortalia, vt patet ex *Resolutionis prob.* 1. quæ per ipsum sunt in confessione explicanda; evidenter sibi contradiceret; sed quia aliqui docuerunt id, quod ita reprehendit, *Vnde alienum à ratione est, docere circumstantias has*, puta mutantes speciē, *ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut vnam tantùm circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.*

476 Addi tamen potest, quòd, sicut ille, qui species & circumstantias

tias speciem mutantes confitetur, non significat se commisisse alia peccata solô numerô distincta, aut alias esse circumstantias, sivè mutantes, sivè non mutantes speciem, quæ confiteri non teneatur; sed significat & censetur in illis præcisè peccasse, ac ideò illas confiteri: ita dum Tridentinum præcipit mortalium species & circumstantias mutantes speciem confiteri, non significat alias esse notabiliter aggravantes, quas confiteri non præcipit; sed potiùs significat, & censeri debet, malitiam in circumstantijs mortalium speciem mutantibus deprehendere, similem illi, quæ est in speciebus; ac ideò, tam illas, quàm has præcisè præcipere confitendas. An per te, obsecro, si Tridentinum præcepisset species confiteri, de circumstantijs speciem mutantibus tacendo, nil definiendo &c. significasset dari circumstantias speciem mutantes, quas confiteri non oporteret? Quidquid responderis, contra te est. Si enim affirmes; quamobrem dicit, *Vnde à ratione alienum est docere circumstantias* &c; nisi quia rationes, propter quas species sunt in confessione explicandæ, eôdem modô pro illis circumstantijs speciem mutātibus militant? Si neges; quomodò definit explicanda esse mortalia secundùm numerum, & simul, cùm de circumstantijs notabiliter aggravantibus per te tacet, significat has dari, quas non oporteat confiteri? Numquid hæ se habent ad numerum peccati mortalis, sicut speciem mutantes ad speciem; ac ideò, tam super istas (quas nos supra n. 469. ex Tridentino cum peccato mortali quoad numerum confundimus) quàm super has, quas cum mortali quoad speciem vult confundi, cadit illud Tridentini, *Vnde à ratione alienum est docere circumstantias* &c?

Replicabis fortè: scivit Concilium multos graves Authores docere circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, non esse in confessione exprimendas, & vbi addidit *mutantes speciem* &c. addere potuit *& notabiliter aggravantes.* Vnde cùm hoc non fecerit, ipsum rectè interpretamur in istius doctrinæ favorem. 477

Respondeo negando sequelam: id enim omisit Tridentinum: 1. quia, ex vna parte nondū erat satis discussum, an, Prudentū iudiciô, tantū differrent à mortali, quod est substantia actus, quantùm differt mortale à veniali intra eamdem speciem physicam;

 sive,

ſive, an conſideratione morali & ex parte averſionis à Deo (quantum per ſe ſatis eſt) differrent ſpecie morali ab eo, quod eſt ſubſtantia actus, prout differt ſubſtantia actus præcisè, à veniali intra eamdem ſpeciem; quorum vtrôque modô differre videtur à nobis efficaciter probatum; vnde voluit Concilium certa ſeorſim à veroſimilibus definire: 2, quia ex altera parte, id iam erat ſatis definitum in mortalibus ſecundùm numerum, & circumſtantijs ſpeciem mutantibus confitendis, caſu quô circumſtantias notabiliter intra eamdem ſpeciem phyſicam aggravantes, cum illis in ordine ad confeſſionem & moraliter confundendas eſſe probaretur, quod conati ſumus; nec obſcurè, favente ipsô Tridentinô, à nobis factum, ſalvô meliori judiciô, putamus; licèt enim nolimus Reſolutionem noſtram eſſe de fide, attentis tamen locutionibus Tridentini, videtur manifeſtè moraliter deduci ex principijs fidei. Ex his autem

Colliges, ſententiam D. Caramuelis ſupra. n. 439. valdè procul abeſſe à definita veritate per Tridentinum *ſeſ.* 14. *cap.* 5. nec fortè improbabiliter apertam fore dicendam falſitatem; niſi tot, & tam illuſtrium Doctorum obſtaret authoritas; quæ tamen infirmis valdè, & parum Tridentino conſonis nititur fundamentis, vt præmiſſa conſideranti patebit. Vnde etiam

478 Confirmatur reſolutio à ratione (præterquàm allatis Reſol. 1.) quia alioqui Tridentino ſatisfaceret, qui dum mille aureos furatus eſt; totum officium Canonicum omiſit; coram centum de centum detraxit; villam incendendo, in ea decem homines combuſſit &c; confitendo diceret, *Graviter peccavi contra præceptum de non furando bona temporalia; de officio Canonico legendo; de non detrahendo; de non comburendo homines & eorum bona* &c. imò etiam alius, qui, dum ſe manu polluit, ſodomiam, aut beſtialitatem commiſit &c. confitendo diceret, *Contra ſextum Decalogi præceptum luxuriando contra naturam graviter deliqui*, ſtando ſcilicet in ſententia *D. Caramuelis* ſupra à n. 183. ad 188. & à n. 439. ad 442. Deniq; alius, qui cum avia, matre, ſorore, filia & nepte, inceſtum commiſit, confitendo diceret, *Quinies ſum luxuriatus graviter cum conſanguinea*, puta in ſententia Caietani 2.2. *q.* 15. *art.* 9. quem *Thomiſtæ*, *Bonacina*, & alij communiter, vt *Fillucius tract.* 30. *cap.* 5. *Megala*, *Eſcobar*, *Hurtado*, *Tamburinus* &c. docentes gradus, conſanguinitatis inter

inter se specie non distingui; eò quòd sint omnes contra eamdem virtutem pietatis & reverentiæ parentibus debitam (licèt incestus eò gravior sit, quò gradus est vicinior stipiti) sequuntur.

Subsumo: atqui ista 1. mirabiliter laxant mores, ac disciplinam moralem; ergo defendi non debent; vide *Dub.2. à n.21.* 479

2. Notabiliter mutant judicium Confessarij in materia confessionis necessaria, vt probavimus *totô hôc dubiô*, præsertim à nu. 467. Ergo sunt necessariò aliter in confessione aperienda. 480

3. Quia, nisi ista essent aliter in confessione aperienda, necesse non foret in ea numerum peccatorum mortalium aperire; nam peccatum æquivalens multis, & hæc multa, quibus æquivalet, ejusdem sunt malitiæ moraliter; (vide dicta n. 450.) atqui sequela hæc hæretica est; ergo &c. 481

4. Vel ista sunt necessariò aliter in confessione aperienda, aut certè manifestū est Tridentinum exigere verecundā & apertam peccatorum confessionem, in levioribus, & non in gravioribus peccatis; imò etiam dissimulare omnem ferè apertam & verecundam mortalium confessionem; cùm vix vllum pudere possit confiteri se furatum materiam ad peccatum mortale sufficientem, & hôc sensu notabilem, vbi mille aureos furatus est; sicque proportionaliter de alijs: vnde frustra Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. illam apertam & verecundam confessionem tantoperè commendaret, ajens, *Necessum est omnium* (vide dicta n 466. & 475.) *etiam veniam, cum aperta & verecunda confessione, à Deo quærere.* Et iterum infra, *Ipsa verò hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis* (quomodò alioqui gravis ?) *quidem videri posset, nisi tot, tantisque, commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur.* 482

Dices fortè: prima pars subsumpti retorquetur in odij *intensionem* vt octo, cùm æquivaleat pluribus odijs remissis; & *durationem* ejusdem per diem, cùm æquivaleat plurimis instantaneis : has tamen circumstantias nullus declarat, & consequenter in illarum silentio nil contra bonos mores; ergo similiter etiam tacendo illas, de quibus in prima parte confirmationis, nil contra bonos mores. 483

Deinde: secundam ejusdem subsumpti partem optimè retorqueri 484

queri in circumſtantias notabiliter alleviantes, ſic vt oporteat dicere (objicit Emin. Lugo *diſp.* 16. *de Pœnit. ſect.* 3. *n.* 110.) quando aliquis ex gravi metu peccavit, vel vehementer ab alio ſollicitatus, & quaſi coactus, aut per dolum inductus &c. nam hæc omnia valde minuunt delictum, etiam in foro externo. Quis autem dicat virum, qui occidit adulterum cum vxore deprehenſum, non ſatisfacere confitendo homicidium à ſe factum? Et tamen circumſtantia illa adulterij contra ſe facti, minuit, ſi quæ alia, notabiliter gravitatem peccati; non datur ergo obligatio eas circumſtantias explicandi, etiam quando aggravarent. Ita ille.

485 Tertiò: quoad 3. partem ſubſumpti, ita præſcribere Tridentinum; verumtamen illius legem & onus ad allatos caſus, quorum mentionem non facit, imprudenter extendi; quia, *In odioſis non valet rationis paritas.* vt poſt multos notat D. Caramuel Theol. Moralis n. 125. & Regularis 550.

486 Denique: quoad 4. partem, ſatis ſalvari apertam & verecundam confeſſionem in cōfitendis peccatis mortalibus quoad numerum, ſpeciem & circumſtantias ſpeciem mutantes, vt fateri tenentur omnes, qui ſententiam iſtam tuentur.

487 Sed imprimis

Contra 1. militant præmiſſa à n. 451. ad 459. & n. 471. objectionique abundè ſatisfaciunt: quod verò dicitur, quòd nullus *intenſionem* & *durationem* ſui peccati explicet; multi pœnitentes, quos audivi, convincunt falſitatis; quamquàm fortè plurimi ſint, qui authoritate alterius ſententiæ muniti, eas non explicent (imò per Tridentinum n. 471. citatum, excuſentur, dum poſt diligentem ſui diſcuſſionem earum conſcientiam non habent) eò quòd Confeſſarij omnes (putem) promiſcuè ob authoritatem dictam, omittant pœnitentes de *intenſione* & *duratione* notabili ſui mortalis peccati explicandis monere; quod tamen omninò puto faciendum ob Tridentinum, & rationes totô hôc dubiô allatas; licèt enim duo vel tres gradus intēſionis ab vno vix diſcerni poſſint; ſæpè tamē accidit, quòd pœnitentes judicent ſe ſupra ordinarium notabiliter exceſſiſſe; & de hoc exceſſu, vti ipſi ſe accuſare, ita & interrogari debent; neque in hoc poteſt eſſe difficultas, vt diximus n. 458.

Contra

Contra 2. est, quod circumstantiæ notabiliter alleviantes, sic allevient, vt de eo, quod alioqui esset mortale, faciant veniale tantùm; aut sic, vt de eo, quod alioqui esset mortale æquivalens mortalibus, nō sit nisi vni mortali & vni veniali ęquivalēs. Si primum; patet, haud magis illas esse in confessione aperiendas, quā peccata venialia: Si secundum; moraliter remanet vnicū mortale vni, & non duobus mortalibus, æquivalens; ac proinde, cùm sola mortalia sint materia necessaria confessionis, illud tamquàm vnū mortale sufficienter confitetur pœnitens. Quid si daretur circumstantia, quæ peccatum ita notabiliter alleviaret, vt ex peccato alioqui tribus mortalibus æquivalenti, illud redderet duobus tātùm æquivalens? Omninò explicari deberet, & sic de alijs proportionaliter, vti ex præmissis sequitur. 489

Contra tertium quô dicitur Trident. præcipere in confessione numerum mortalium aperire. Quæro, an numerū formalem præcise, an etiam æquivalentem mortalibus præcipiat in confessione aperire? Primum nullus probabit, spectatô fine Tridentini, totâ hâc Resolutione deductô; secundum convincunt quàmplurimæ rationes, his duabus Resolutionibus, allatæ; præsertim n. 463. 466. & 467. Quod verò additur, Tridentini legem & onus imprudenter extendi ad allatos casus, quorum mentionem non facit, falsum est; quia loquendo de *numero* generaliter; tam æquivalentem multis mortalibus, quā mortalia formaliter multa comprehendit, ob rationes præmissas: vnde Resolutio nostra non tantùm procedit à paritate rationis; sed etiam ab authoritate Tridentini. Deinde ibi falsum insuper supponitur, videlicèt confessionem Sacramentalem, quam Christus misericorditer instituit in remedium peccati & redemptionem à tortura flammæ æternæ, esse odiosam; cum tamen incomparabiliter magis favorabilis sit, quàm emplastrum, quod sanat læsum corporaliter, alioqui ex vulnere moriturum: vide dicta à num. 239. ad 243. Odiosa tam[...] sit, non ideò non extenditur ad circumstantias & casus allatos: 1. quia, vt totâ hâc Resolutione probavimus, illæ sub peccati numero & specie comprehenduntur: 2. quia vt comprehendantur, plurimæ rationes, tum hic in Confirmatione, tum Resolutione 1. adductæ, persuadent. 490

Contra 4. etiam est, quod à n. 463. ad 465. probatum sit con- 491

 sistere

ſiſtere ſimul non poſſe peccata mortalia eſſe ſecundùm ſpeciem, numerum & circumſtantias ſpeciem mutantes, in confeſſione aperienda; non verò ſecundùm circumſtantias notabiliter aggravantes; quod, attentâ authoritate Tridentini ſupra citati, ferè eſt præcipuum doctrinæ noſtræ fundamentum, ad quod non ſatis attendunt Adverſarij; qui quidem ſunt multi numerô & celebres; at *Non ſolo Authorum numerô, ſed potiſſimùm pondere rationum quærenda eſt veritas*; inquit D. Sylvius *lib.4. Cont. q.2. art.4.* & ipſemet D. Caramuel Metaph. lib.8. art.5. *Experientia nos docet, illa, quæ communiora ſunt, minus eſſe à Doctoribus examinata.*

492 Sed quid ad D. Thomam *in 4. diſt. 16. q. 3. art. 2.* ? Quid tu ad Tridentinum & præmiſſa fundamenta, quæ oppono ? Difficultas tamen aliundè ex D. Thoma ceſſat, ſi verum eſt, quod docent Illuſt. Malderus *Supplem. q. 9. art. 2.* & D. Sylvius *ibidem* quæritur 1. *Ipſum conformiter ad ſententiam noſtram loqui* 1. 2. *q.* 73. *art.* 9. & 2. 2. *q.* 61. *art.* 2. *ad* 3. *itaut Sotus exiſtimet ipſum fuiſſe mutaturum ſententiam in Summa, ſi hucuſquè perveniſſet.* Tu id examina; ego intereà puto D. Thomam, Bonaventuram, & alios, ſolùm velle, non eſſe aperiendas in confeſſione circumſtantias notabiliter ſic aggravantes ſpeciem, prout ſubeſt Prudentum æſtimationi Phyſicæ, vt illam non mutent prout ſubeſt Prudentum æſtimationi morali, vti in intenſione & duratione ſæpè contingit, juxtà dicta n.407. & 507. alioqui non ſatis video, quî cum Tridentino, ſupra citatis locis, conciliari poſſit.

SOLVVNTVR

Aliæ objectiones.

493 OBijcies 1. ex P. Vaſquez 3. *p. q.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. Etiamſi velimus Confeſſarios ferè omnes conſulere de hac re, nullum inveniemus, qui in omni materia hoc obſervet, vt omnes circumſtantias aggravantes interroget; ſed tantùm in materia furti, & aliquibus alijs; imò potiùs vniverſaliter in omni materia hanc teneatur ſententiam (cùm ſit omnium eadem ratio) vt ſolùm ſit neceſſarium ſpecies & numerum peccatorum confiteri; non verò circumſtantias aggravantes: quia alioqui Seque-

Sequeretur 1. explicandas esse circumstantias, quæ nec alle-
viant, nec augent malitiam, prout explicandæ sunt notabiliter 454
alleviantes & notabiliter aggravantes; quia nisi id explicetur, & res tota gesta narretur,& si non fiat,interroget Confessarius,non intelliget mensuram,sive durationem & intensionem affectus delicti: gravissimum autem esset & inutilissimum in peccatis exterioribus historiam omnem referre, & permolestum pœnitenti; & in peccatis obscœnis maximè, aut molestum, aut periculosum Confessario,turpitudinem omnem illam in particulari nosse, & interrogare debere; quis verò non videat, esse molestissimum & inutilissimum, vt per singula peccata, maxime verò interiora, dicat pœnitens, aut interrogare debeat Confessarius, quantùm in ea duraverit voluntate,aut cogitatione: Ita ille.

Sequeretur 2. quòd, sicut dicimus,in furto non tantùm expli- 495
candam esse notabilem quantitatem; sed omnem, quæ mortale constituit, vt videamus quantitatem peccati,quæ secundùm nos non satis intelligeretur, si aliquis confiteretur, *Furatus sum semel mortaliter*;ità idem dicendum sit de duratione: imò fortè, nimiâ exactione,totum perdi,ac fore, vt nulla,aut pauca,sint mortalia & confitenda; cùm non sit assignabilis quantitas,duratio, intensio &c. ad mortale delictum præcisè requisita,quæ in plures partes dividi non possit, & divisa sola venialia constituat, nullum mortale.

Deinde: si explicanda sit omnis materia, quæ mortale consti- 496
tuit,& abscissio tertiæ partis digiti hominis sit procul dubio peccatum mortale; in truncatione membri hominis, omnis talis pars explicanda erit, & abscissio brachij erit quamplurima peccata mortalia, aut certè vnum quamplurimis æquivalens; quæ perabsurda videntur.

Sequeretur 3. debere explicari omnia beneficia à Deo accep-
ta; quia inde crescit maximè circumstantia communis ingrati- 497
tudinis; quod tamen esset molestissimum, & à nullo vsitatum.

Sequeretur 4. quòd, si quantitas furti declaranda sit, debeat
etiam declarari quantitas in detractione, aut alijs damnis illa- 498
tis;nam sicut furtum gemmæ valentis quatuor aureos infert tantum nocumentum; sic detractio in tali materia graviori infert gravius, quàm in tali materia minùs gravi; qui excessus non po-

 terit

terit declarari, nisi explicando materiam detractionis & qualitatem personæ, cui detrahitur, & numerum eorum coram quibus detrahitur, & alia similia, quæ omnia declarare in singulis detractionibus esset nimis onerosum, & ideò non est in vsu, de ijs omnibus interrogare. Ita Em. Lugo *de Pœnitdisp.* 16. *n.* 113.

499 Respondeo ad objectionem n. 493. positam: stare non posse, vt necessarium sit speciem & numerum consiteri sine necessitate confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, vt duabus præmissis Resolutionibus per totas contendimus: vnde non tantùm in materia furri, sed & in omnibus alijs (quia vel ipsô P. Vasquez docente, *Reverà eadem est ratio circumstantiæ furti & aliarum* ibidem *dub.* 3. *n.* 2.) tam necessarium est circumstantias notabiliter aggravantes, quàm speciem & numerum, confiteri, si post diligentem sui discussionem occurrant. Vnde

SOLVITVR

1. *Sequela.*

500 RESpondeo ad primam sequelam n. 494. De circumstantijs alleviantibus, nec pœnitentem, nec Confessarium debere esse sollicitum; quia, vt patet ex dictis n. 489. aut sunt venialia peccata tantùm; aut circumstantiæ notabiliter aggravantes, & sic mortalia; quamobrem, sicut solùm necesse est, & ad confessionem Sacramentalem sufficit, pœnitentem diligenter cõscientiam suam circa mortalia & circumstantias ea notabiliter aggravantes discutere; ita solùm debet, & satisfacit Confessarius pœnitentem interrogando, dum prudenter præsumit ipsum in confessione omittere aliquod mortale, aut circumstantiam notabiliter aggravantem, aut speciem mutantem, vt omnes fatentur; & ratio manifesta est, quia cætera sunt impertinentia ad materiam istiusmodi confessionis necessariam; quid autem ibi sit *gravissimum, inutilissimum, permolestum* pœnitenti, & *periculosum* Confessario (si servet, quod Illustrissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis in suis ad confessiones audiendas approbationibus, servandum monet, his verbis, *Imprimis monentur seriò omnes & singuli*

ſinguli Confeſſarij, vt parcè, caſtè & valdè cautè interrogent circa peccata carnis; non ſolùm quando habent virgines confitentes; ſed etiam quando conjugatos, aut quoſcumque cælibes.) quod ex Chriſto Tridentinum *cap.* 5. *ſeſſ.* 14. non præcipiat, non video: quiſquis igitur id aſſerit, caveat cenſuram ejuſdem Tridentini loco citato; *Impium eſt confeſſionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare; cõſtat enim in Eccleſia nil aliud à pœnitentibus exigi, quàm, vt poſtquã quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & cõſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit*: (numquid hîc comprehenduntur circumſtantiæ addentes malitiam ſæpè centuplo graviorem illâ, quæ eſt peccati mortalis, v.g. furti floreni, præcisè?) *reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniverſum* (numquid per hoc ſatis ceſſat moleſtia pœnitentis & tortura Confeſſarij?) *incluſa eſſe intelliguntur.* Vide præmiſſa n.482.

Quod verò tangit *intenſionem* & *durationem* affectus peccati, ſolutum eſt n.458. & 471. Deinde; ſi ſit pœnitenti moleſtiſſimum & inutiliſſimum dicere, quamdiu peccando in ea duraverit voluntate; etiam ipſi erit moleſtiſſimum & inutiliſſimum dicere, quantum eâ ſe extenderit voluntate; ac proinde, ſi propterea excuſetur ab explicanda notabili duratione peccati mortalis, etiã excuſabitur ab explicanda illius notabili extenſione; ſatisfacietque is; 1. qui vnô ictu tormenti bellici viginti homines occidit, dicendo, *Graviter peccavi contra præceptum non occides.* 2. qui vnô actu de centum, coram centum, detraxit, dicendo, *Graviter detraxi.* 3. qui vnô indiviſibili voluntatis actu inceſtũ habere voluit cũ quinque v.g. matre, avia, filia nepte ac ſorore dicendo, *Graviter peccavi inceſtuandi voluntate* (puta juxta Authores n.478. citatos, quos ſequitur P. Oviedus 1. 2. *Tract.* 6. *Cont.* 5. *n.*76. dicens, *Quia probabile eſt intrà lineam rectam conſanguinitatis inceſtus omnes eſſe ejuſdem ſpeciei, ſufficiet dicere in confeſſione, volui committere fornicationem cum conſanguinea &c.*) 4. qui eamdem adulterandi voluntatem per annum continuavit, dicendo, *Graviter peccavi adulterandi voluntate.* 5. qui Sacerdos Religioſus, eſſet cum Moniali fornicatus, dicendo, *Commiſi fornicationem ſacrilegam.* 6. qui vxoratus, eſſet fornicatus cum maritata, dicendo, *Commiſi adulterium.* 7. qui beſtiali- 501

tatem commisisset, dicendo, *Me tactu alieno pollui*. Quorum ne vel vnum ausim asserere ob rationes à n.479. allatas.

502 Quod verò D.Sylvius, Em. Lugo, P.Oviedus & alij ad primum Respondent, solutum est n.295. & 398 supra. Tamen

503 Respondent iterum ad primum & secundum nonnulli alij; quid? Nescio quid; eum, qui vnô ictu viginti homines occidit, de viginti aut centum detraxit &c., tot in interno actu malitias contraxisse, quot sunt in externo injuriæ & damna proximi. Quasi verò (præterquàm probatum sit id esse falsum *Dub.* 11. *Resol.* 5.) qui vnâ vice viginti hominum bona furatus est, pari ratione tot in interno actu malitias non contraxisset, quot in externo injuriæ & damna proximi; numquid fortè omnia bona non rectè æquiparantur vitæ hominis, vbi malunt plerumque homines vitâ, quàm omnibus bonis privari, (Undè patet ad sequelam 4. ex Em. Lugone) cum plerisque melius sit nomen bonum, quàm divitiæ multæ, & altioris ordinis sit præjudicium famæ, quàm bonorum temporalium? Sed inquient, sic injuriæ bonorum fortunæ conjunguntur, vt communi hominum acceptione faciant vnum furtum, secùs injuriæ & honoris, vt faciant vnum homicidium, vnam detractionem &c. Contra tamen, id iterum verba & voces puto; supponas multos equos, calices & similia esse furto ablata; quæ ista communis acceptio, vt multorũ vitæ, honores &c. ablata potiùs faciant vnum furtum, quàm, vt dicimus, vnum homicidium, vnam detractionem &c.? Deinde in incendio villæ, cuniculorum, oppidi &c. injuriæ, vitæ communi hominum acceptione, tam conjunguntur, quàm injuriæ fortunæ bonorum; & tam illę, quàm hæ simul solent plures cõmitti. Denique injuriæ bonorũ fortunæ magis faciant vnum vel non, ad propositum impertinens videtur; quia communi hominum acceptione, sic plures floreni faciunt vnum furtum, vt qui diceret plures florenos furatus sum, nec plus, nec minus, communi hominum acceptione, diceret; quàm qui, post decem occisos, diceret, plures homines occidi: vnde rationem semper exspectamus, cur isti vnum furtũ; non verò hi vnum homicidium faciant.

504 Respondent multi ad tertium: nonnullos Authores probabilissimè tueri diversitatem graduum in incestu non facere diversitatem specificam; sed tantùm esse circumstantiam aggravantem;

tem; & secundùm illos non esse de necessitate confessionis talem circumstantiam quoad gradus aperire. Sed contra; sit, vel non sit, inter gradus cõsanguinitatis diversitas specifica, hâc sumptâ per conversionem ad objectum, prout subest Prudentum æstimationi physicæ, ad quam isti attendunt; nemo non videt voluntatem incestuandi cum matre aut filia, prout subest Prudentum æstimationi morali, habere aliam faciem, formam & considerationem à voluntate incestuandi præcisè? Si sic, ergo voluntas vna incestuãdi cum dictis quinque consanguineis, multò magis ab hac diversam habebit, teste verecundiâ, quæ hujus cõfitendæ summa est, illius modica; hinc autem est sumenda species peccatorum, vt vidimus *Dub.7. Resol.* 4. prout in ordine ad confessionem Sacramentalem sumi debet ex parte aversionis à Deo, vt *Resol* 1. *hujus Dubij* probavimus, quæ, ob hanc ad quinque dictas consanguineas extensam voluntatem, longè major est, quã illius, quæ de incestu in gradu valdè remoto verificari potest.

Respondet ad quartum in simili P. Oviedus 1.2. *tract.*6. *Cont.* 505 5. *n.* 112. post Navarra, Henriquez, Granados, & Tannerum; furem, qui totô annô permansit in proposito non restituendi, absque illius retractatione, vnum tantùm commisisse injustitiæ peccatum, continuatùm in retentione, seu in omissione debita restitutionis; nec debere in confessione explicare, quoties eumdem affectum habuerit; quia omnes illi actus continuantur in effectu jam explicato. Ita ille. Quod quidem probo *Dub.* 11. *resol.* 4.; sed per hoc difficultas non enodatur; quia, quod quæritur est, an non debeat explicare se, totô illô annô, in tali proposito permansisse; cùm id multò gravius sit peccatum, quàm in eo tantùm fuisse primô, & vltimô anni mense (si is minùs malus est, qui interdum bonus, quàm qui semper malus;) hic tamen debet explicare *quoties*; igitur ille à fortiori *quamdiu*. Unde sapiẽtissimè P. Suarez *tom.*4. *de Pœnit. disp.*22. *sect.*3. *n.*5. docet eum, qui peccat per vnã horam, peccare, sicut si peccaret quis bis, vel ter, in eadem hora. Deinde rogo, cur potiùs omnes illi actus continuẽtur in vno adulterio, quàm centum adulteria in vna voluntate, quâ quis vult illa committere? An fortè per ipsum hîc etiã non oportet explicare quot adulteria? Vide dicta n. 318. & 327. ad 337.

Dicet

506 Dicet fortè cum P. Vasquez 3. *p. q.* 91. *dub.* 2. *n.* 36. etiam in mediocri duratione vnius quartæ partis horæ, posse fieri ejusdem speciei plura peccata quorum numerus esset explicandus: similiter sequeretur in furto circà mediocrem quantitatem, esse ad amussim explicandam durationem; quia in ea fieri possent plura furta ejusdem speciei, quæ essent explicanda: quod necessarium non est quandoquidem gravitas malitiæ, quam Confessarius debet attendere in confessione, non sit cujuscumque peccati ad amussim, vt diximus; sed numeri & specierum peccatorum, vt explicavimus. Ita ferè ille.

507 Respondeo 1. Confessarium non posse attendere ad malitiam numeri & specierum peccatorum mortalium, quin attendat ad circumstantias notabiliter aggravantes, patere ex præmissis contra eumdem Vasquez n. 499. & 500.

508 Respondeo 2. durationem notabiliter aggravantem (& idem est de intensione notabiliter aggravante) hic accipi non debere, prout subest Prudentum æstimationi physicæ, quomodò illam accipere videtur P. Vasquez: quia, cùm vix vlla duratio physica peccati sit, quâ quamplurimæ minores ad peccandum sufficientes dari non possint, non esset peccatum, quod quamplurimis moraliter non æquivaleret: sed prout subest Prudentum æstimationi morali, in qua peccatum sit alterius faciei, formæ & considerationis moralis propter durationem notabiliter majorem eâ, quæ ordinaria est cujusque peccati; ad suam naturam proportionaliter.

509 Respondent ad quintum communiter adversarij, vota Sacerdotis Religiosi non esse alterius speciei à voto Monialis aut etiā simplicis castitatis, vt docet P. Oviedus *locô paulô ante citatô*, apud ipsum n. 69. post Thomam Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 27. *n.* 28. & 30. ac proinde circumstantiam Sacerdotis Religiosi, in casu proposito, non esse nisi circumstantiam intrà eamdem speciem aggravantem, ac ideò non necessariò in confessione aperiendam. Sed contra; hic error committitur similis præcedenti: numquid in Prudentum æstimatione morali facies, forma & cōsideratio moralis sacrilegij Sacerdotis Religiosi cum Moniali, notabiliter diversa est à facie &c. sacrilegij Laici votô non adstricti cum eadem Moniali? An fortè circumstantia Sacrilegij

Sacer-

Sacerdotis Religiosi minoris malitiæ reputatur, dum hic copulatur Moniali; quàm dum Laicæ voto non adstrictæ copulatur? Hôc autem casu in confessione exprimi deberet: Sed cur? Ideò, inquis, quia mutaret speciem. Sed reverà, si speciem mutet præcisè propter abcessum sacrilegij Monialis; etiam faciem &c. moralem mutare debet; & sic, aut etiam sacrilegium cessare, aut suã faciem &c. moralem, dum copulatur Moniali, in confessione aperiendam retinere.

Respondent ad sextum plures: eô casu nequaquàm esse circumstantiam tantùm intrà eamdem speciem notabiliter aggravantem; quia, inquiunt, diversa est specie virtus, quæ imperat non violandum thorum alienum, ab illa, quæ imperat non violare proprium; ac ideò mutatur species. Sed quidquid cum illis Em. Lugo *de Pænit. disp.* 16. *sect.* 5. *n.* 258. si diversa specie obligatio est, quâ vxoratus ille debet non violare suum thorum seu matrimonium, ab ea quâ debet non procurare, seu non efficere, quòd alter violet suum; in simplici adulterio vxorati cum soluta, aut maritatæ cum soluto, non sufficiet adulterium confiteri; sed addere oportebit *contra thorum proprium* aut *contra alienum*, quantumvis de eadem indivisibili fornicatione, prout ab vno & altera, ac è contrà, procedit, vtrimque verificari possit; nec proinde magis specie differre videatur, quàm via *Athenis Thebas* &, *Thebis Athenas*; aut etiam, quàm furtum vnum vxori & alterum extraneo factũ, quod quà tale in confessione explicari non solet: igitur ideò solùm in confessione circumstantia *alterius* seu *matrimonij* explicari debet, quia est circumstantia notabiliter aggravans, quæ adulterio det faciem, formam & considerationem notabiliter diversam ab ea, quam haberet, si simplex esset. 510

Quod verò ad septimum respondet D. Caramuel, solutũ est suprà à n. 422. Solum hîc adverterim difficulter conciliari id, quod habet *Theol suæ moralis n.* 1607. *nempe, Dico* 3. *Mollities, Sodomia, Bestialitas sunt peccata ejusdẽ speciei infimæ; ideoque nemo tenetur in cõfessione exponere, vtrô ex istis modis procuraverit, sed satisfaciet dicens, procuraſſe pollutionem.* Cum eo, quod 2. *P. Theol. suæ fund.* docet, inquiens, *n.* 111. *quidquid de schola sit, & probabilitate sententiæ negantis, tactibus alienis procuratam pollutionem & sodomiam distingui specie; hanc practicam conclusionem subscribo, distinguuntur specie; quam vnicam doceo & propugno.* 511

propugno. Quid obsecro, præter contradictionem, sonant, *sunt ejusdem speciei infimæ & distinguuntur specie*? Deinde, si hanc vnicam practicam conclusionem, *distinguuntur specie*, subscribit, docet & propugnat; quomodò ibi docet, *Neminem teneri in cõfessione exponere, vtrô ex istis modis procuraverit*? An fortè per ipsum, peccatorum mortalium species diversæ non sunt in confessione exponendæ? Quidquid tamen sit, an distinguantur specie sumptâ per conversionem ad objectum, prout subest Prudentum considerationi physicæ (quomodò de illis agit S. Thomas 2.2. *q*. 154. *art*. 11. de quibus nos n. 221. *suprà citatô*.) putamus certum, illa omnia, prout subsunt Prudentum considerationi morali, habere faciem, formam & considerationem moralem notabiliter diversam, ac ideò debere in confessione explicari, juxtà præmissa.

SOLVITVR

2. *Sequela*.

512 RˆEspondeo ad primam partem secundæ sequelæ n.495. objectam, satisfactum n. 501. & 507. Secunda autem pars ejusdem sequelæ, in nostra sententia docente furtum mille aureorum, non esse tot furta mortalia, quot sunt materiæ præcisè sufficientes ad furtum mortale; sed vnum mortale tantùm æquivalens tot furtis &c. juxtà dicta suprà *Dub*. 11. *Resol*. 5. solùm probat dari posse mortale, quod multis venialibus æquivaleat, quod omnes fateri tenentur; neque absurdum vllum continet; cùm novum non sit, perfectiones, quæ in multis inferioris ordinis dispersæ reperiuntur, in vno ente simplici altioris ordinis collectas reperiri; vnde argumentum solùm vim habet contra D. Caramuelem n.385. *citatum*, Dianam, & alios, docentes in furto isto tot esse peccata mortalia, quot sunt materiæ ad furtum mortale sufficiẽtes, quos rejeci *Resol*. 5. paulô ante citatâ. Vide etiam infrà n.518.

513 Quod verò additur n.496. non continet specialem difficultatem: quia, cum qualibet membri mutilatio sit partiale homicidium, de ea loquendum juxtà communem sententiam de homicidio;

cidio; videlicèt posse esse equivalens peccatum multis mutilationibus mortalibus, aut venialibus tantùm, juxtà naturam, necessitatem, vtilitatem partis mutilatæ, expensas, molestias & damna, quæ ex mutilatione sequuntur &c; nunquàm verò dicendam esse multa mortalia vel venialia tantùm, vbi in vno actu moraliter in-interrupto consistit, juxtà dicta *Dub.* 11. *statim citatô Resol.*4. *&* 5.

SOLVITVR

3. & 4. *Sequela.*

Respondeo imprimis sequelam 3. extra materiam obijci, eamque omnes, etiā Adversarios, vrgere, cùm ingratitudo illa sit circumstātia speciem mutans; aut certè, si agatur de tanta vel tanta ingratitudine, vrgente gratitudinis præceptô, loquendum de ingratitudine (vbi ingratitudo per actum positivum explicatur, & non per solam omissionem,) prout de odio, vrgente amoris præceptô: quid verò de odij intensione extensione & duratione dicendum sit, est manifestum ex paulò ante præmissis. Quod deniquè ad 4. sequelam, seu detractionem, spectat, solutùm est n.503. Occasione tamen sequelæ 2. mihi semper altè inhæsit examinare, an venialia sui multiplicatione possint fieri mortale? Pro quo video, partem negativam ab omnibus supponi potiùs, quàm probari: quia autem hîc etiam locum habet, quod verissimè, vt multoties in Philosophia ostendi, D. Caramuel *Metaph lib.*8. *art.*5. dixit, *Experientia nos docet, illa, quæ communiora sunt, minùs esse à Doctoribus examinata,* Sit 514

QVÆSTIVNCVLA

An ex multis venialibus possit fieri vnum mortale.

Ante Resolutionem

Suppono 1. tamquàm certum ex communi Doctorum sensu, ac per vniversam Ecclesiam receptâ fidelium fori pœni- 515

tentialis praxi; peccatis venialibus moraliter interruptis, etiam infinitis, vnum peccatum non constitui & multò minùs vnum mortale; quia vnum & multa opponuntur: juxtà hunc autem sensum intelliges: 1. D.Thomam *q.7.de Malo*. Et in 2.dist.24. ***Omnia peccata venialia de mundo, non possunt habere tantum de reatu, quantum vnum mortale.*** 2. plurimos Scholasticos, qui in eo ipsum sequuntur. 3. Affirmativam esse vt erroneam ex Glossa *ad cap. tres sunt de pœnit.* expunctam.

516 Suppono 2. sententiam esse P. Vasquez 1.2. *disp.* 146. *cap.*2. P. Suarez *lib.*3.*de Legibus cap.* 28. *n.*11. Sanchez *lib.*1. *in Decalog. cap.*4. *n.*9. & 10. Bonacinæ *disp.* 2. *de Peccatis q.* 3.*p.*5. *n.*20. & aliorum communissimam, quòd quoties objecta peccatorum venialium vniri possunt & moraliter vnum efficere, possit quis peccando venialiter ad mortale peccatū pervenire, ac vltimô actu, quô ad quantitatem notabilem pervenit, mortaliter peccare. Sed non satis explicant, quomodò ille vltimus actus sit potiùs peccatum mortale, quàm præcedentium quilibet: quod exemplô

517 Demonstro: quispiam viginti furtis vnius assis, florenum furatur (suppono enim hunc esse materiam sufficientem ad mortale;) per vigesimum intendit præcisè assem furari, prout v.g. per primum; igitur eadem vtriusque ratio.

518 Si dicas, virtualiter intendere furari viginti, eò quod hic vigesimus assis moraliter conjungatur cum novemdecim alijs, priùs ab eodem furto ablatis;

519 Quæro, in quo consistat conjunctio illa moralis vigesimi cum novemdecim alijs?

520 Non 1. in eò, quòd novemdecim præcesserint, & moraliter perseveret obligatio eos restituendi; alioqui, licèt triginta annis ante præcessissent, & multoties interposita esset voluntas restituendi, adhuc moraliter vigesimus eis conjungeretur; quod manifestè falsum est, & tam falsum, quàm eum peccare mortaliter, qui triginta annis postquàm accepit novemdecim asses, quos non restituit, vnum assem ab eodem accipit: Deinde, si addatur, *& breve tempus inter vnum & alterum furtum intercedat*, vt sic vniantur tempore moraliter vnô: eôdem saltem modô vigesimum furtū leve conjungetur moraliter alijs novemdecim præcedētibus, quô vigesi-

vigesimus assis novemdecim alijs; & si hi, ob illam conjunctionem moralem, faciant moraliter vnam gravem materiam, nec vna levis materia potiùs, quàm alia, sit materia gravis furti; ista etiam, ob eamdem conjunctionem moralem, facient moraliter vnum grave peccatum, nec vnum leve furtum potiùs, quã aliud, tendet in materiam gravem; ac ideò, sicuti ex multis levibus materijs moraliter non interruptis fit, in sententia ista, vna moraliter gravis; ita ex multis levibus furtis moraliter non interruptis, in sententia ista, vnum furtum moraliter grave fieri debet.

Non 2. in expressa intentione quasi iteratò accipiendi & retinendi novemdecim asses, priùs furtô ablatos; quia (præterquàm talis intentio sit contra experientiam, neque necessaria ad hoc, vt per minuta furta, ad mortale perveniatur; nam mortale est furari vigesimum moraliter conjunctum alijs, sub expressa intentione assem furandi) intentio expressa respondet executioni, sivè furto externo, quod per se est vnius assis tantùm. His suppositis sit 521

RESOLVTIO.

Dico: ex multis collectivè venialibus moraliter in-interruptis, quorum materia moraliter in-interrupta est gravis, & ad mortale sufficiens, vnum peccatum mortale constituitur. 522

Probatur 1. ex Aug. Epist. 108. ad Seleucianum. *Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo; sed illa vtique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra surrepunt; quæ, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum.* Et tract. 1. in Epist. Joan. *Levia multa faciunt vnum grande.* Unde tract. 1. in Joan. *Minuta plura peccata, si negliguntur, occidunt.* Adstipulatur D. Thomas *q. 7. de malo* (licèt putent Adversarij ibi oppositum docere) dum ait, *Quandocumque ex multis aggregatis fit vnum, oportet vtrobique esse eamdem rationem quantitatis*, quæ est in casu Resolutionis, vt dicta *supposito* 2. consideranti manifestum erit: vnde nulla est necessitas interpretandi Augustinum de multis parvis, minutis &c. peccatis, quæ dispositivè tantùm sint vnum mortale, prout ab alijs communiter exponitur. Ergo &c. 523

 Proba-

524 Probatur 2. quia, ſicut in furtis viginti, quôlibet vnius aſſis, moraliter in-interuptis, non eſt ratio, cur potiùs eorum materiæ moraliter in-interruptæ faciant vnam gravem materiam, quàm ipſa vnum furtum grave; ita non eſt ratio, cur potiùs ex multis illorum materijs moraliter in-interruptis vna moraliter materia furti mortalis conſtituatur, quàm ex multis iſtis venialibus furtis moraliter in-interruptis vnũ moraliter furtum mortale, quod in materiam illam moraliter vnam tendat; cùm in illã non magis vltimum per ſe tendat, quàm primum; ſed in aſſem vigeſimum dumtaxat, qui tam multum à viginti aſſibus diſtinguitur, ac vnus à viginti, aut quàm primus à novemdecim poſteà furto ablatis. Vide præmiſſa *ſuppoſito* 2. ergo &c.

525 Confirmatur; per hanc Reſolutionem nihil affirmatur, quod directiſſimè in venialium vltimum (quod docent Adverſarij, ſed ſine ratione ſolida, eſſe mortale) non retorqueatur; præſertim, cùm furtum ex venialibus (prout ſupra explicatum eſt) moraliter vnum mortale, illud etiam vltimum includat & præcedentia, ex quibus conſtituitur; & aliundè, niſi id affirmetur, explicari non poteſt (quod tamen omnes aſſerunt) quomodò per furta venialia, & ſic de alijs peccatis, ad furtum mortale externum ſenſim perveniatur; ergo &c.

DVBIVM XVII.

An ex eo, quòd eôdem tempore, & eâdem actione, duobus præceptis ſatisfieri poſſit; conſequenter vnâ confeſſione, & communione Annuâ, duorum annorum; vnicâ confeſſione Menſtruâ, duorum menſium; vnicâ horarum Canonicarum lectione, duorum dierum, obligationi ſatisfieri poſſit.

D. CARAMVEL

Sua Theol. fund. fundamento 31. n. 10.

Anne

ANnè simul duobus præceptis possum satisfacere ? Asserit communis Theologorum sententia;nec est, cur certam rem velimus vberiùs pertractare. Si eôdem tempore possumus,an & eâdem actione ? Concedunt omnes; nam hodiè die S. Philippi & Iacobi hæc scribo , qui Dominicus & festus est, & in ipso duo præcepta de audiendo sacro evidenter concurrunt (deberent enim omnes audire hodiè missam , etsi non esset horum Apostolorum dies ; quia est dies Dominicus; deberent etiam audire missam, etsi non esset Dominicus , quia est dies horum Apostolorum) & tamen , qui vnum sacrum audiverit , vtrique præcepto satisfaciet. 526

I.

De Præcepti partibus. 527

SI me amas Lector , & doctrinæ consequentiam sectaris , responde obsecro mihi, An-ne possim simul eôdem tempore duabus ejusdem præcepti partibus satisfacere? Asserent omnes , qui tenent , me posse simul tempore audire duas Missæ partes. Vide Dianam p.2. Tract. 17. resol. 18. Infero, ergo sicut de duobus præceptis, sic de duabus ejusdem partibus Philosophandum est : ergo , si eôdem tempore possumus , etiam eâdem actione. Concedisnè omnia? Ergo prosequere & responde sequentibus.

I I.

De confessione & communione Annua : An vnica duorum annorum obligationi satisfaciat.

PRæcepit Ecclesia, vt singulis annis confitearis & sanctam Eucharistiam recipias : & determinat tempus , nimirùm à Dominica Palmarum ad Dominicam Quasimodò. Ergo his diebus poterit Petrus communicare, vt satisfaciat præcepto anni elapsi : ergo his etiam diebus poterit , vt satisfaciat præcepto anni futuri : ergo si bis communicet , semel pro anno priori & semel pro posteriori , duobus præceptis , & pro duobus annis satisfaciet. Admittuntur istæ tres consequentiæ communiter. Sed quid si semel tantùm communicet ? An-ne vnicâ ille communione pro duobus annis satisfaciet ? Probabilissima est assertiva sententia. 528

3. De

III.

De confeſſione menſtrua: an duobus menſibus vnica ſatisfaciat?

529 DOctrinæ conſequentia me promovet. Sunt Regulares Ordines, in quibus præcipitur, vt Religioſi ſinguli vt minimùm ſemel in menſe confiteantur. Poteſt Religioſus hos menſes à die quocumque computare: ergo incipit à die decima Ianuarij, & ſic inquit, Decimâ Februarij confitebor; ergo ſi faciat, ſatisfaciet pro elapſo menſe. Sed eadem dies, quæ eſt vltima antecedentis menſis, eſt ſubſequentis prima; ergo ſi confiteatur illâ die bis (iterum pro priori menſe, & iterum pro poſteriori) ſatisfaciet obligationi duorum menſium. Concedis. Sed quid, ſi ſemel confiteatur? An non vnicâ confeſſione, duorum menſium obligationi ſatisfaciet?

IV.

De lectione diurna. An vnica lectione aliquis duorum dierum obligationi ſatisfaciat?

530 DVbium proponitur. Sunto feriæ ſecunda & tertia duobus Martyribus aut Confeſſoribus ſacræ, authoritate publicâ (hoc eſt ex præſcripto rubricarum breviarij) aut ſaltem privatâ. (Nempe ſi Petrus illis duobus diebus decrevit legere officium ejuſdem Martyris, aut Confeſſoris) petitur igitur, An Philippus, ſi ſub veſperum ſecundæ feriæ legat matutinas & laudes, diei vtriuſque obligationi ſatisfaciat; ita ſaltem, vt non peccet mortaliter; nec feriâ tertiâ teneatur iterum eaſdem horas legere? Conſultò dixi, ita ſaltem vt non peccet mortaliter, quoniam ſi mutet officium ſine cauſa, non poteſt non cenſeri hæc actio venialiter peccaminoſa: & quia varia ſunt ingenia Hominum, fortè illum aliqui de mortifero, & alij de veniali arguent.

V.

Sententia Aſſerens.

531 OPinio 1. affirmat ſimplicem matutinarum & laudum recitationem, ſi fiat ſub veſperum, duorum dierum obligationi ſatisfacere: & probat; Quia vnâ & eâdem actione poteſt Philippus ſimul ſatisfacere duobus præceptis

præceptis numerô distinctis, eôdem tempore concurrentibus. Concurrunt in casu duo distincta præcepta numerô circa officium divinum; ergo potest vnicâ & simplici actione vtrique satisfacere. Major est certa; nam datur præceptum de audienda Missa diebus Dominicis; datur etiam aliud de audienda Missa in festo S. Petri. Quid si S. Petri solemnitas in Dominicam incidat, teneberisne audire duas Missas? Minimè.

V I.

Sententia Negans.

H*Vic è diametro opponitur sententia altera, asserens, non posse eâdem recitatione satisfieri vtrique obligationi: quod probat* 532

Primò; quia in rebus moralibus necessarium est agere prudenter & circumspectè; ergo non debet asseri. Philippum sic posse satisfacere: quoniam ex hac assertione multi sequerentur abusus & negligentiæ; plurimi enim, si scirent se probabiliter posse binis diebus semel tantùm matutinas & laudes legere, non legerent bis, idque esset magnæ relaxationis occasio. 533

Secundò; *quia assertiones morales periculosæ sunt & temerariæ, si gravi authoritate careant; atqui nec vnus Author propugnat asserentem sententiam; ergo est improbabilis* &c. 534

X.

Confirmatio sententiæ asserentis, per Caramuelis Discipulum facta.

M*Ajori sollicitudine debet Ecclesia procurare, vt Christiani à peccato mortali egrediantur, quàm vt legant officium; nam sine hoc salvari poterunt; & in illo non possunt: Atqui quando præcipit annuam confessionem, est contenta vnâ confessione pro duobus annis; ergo quando quotidianam matutinorum lectionem, à fortiori vnâ pro duobus diebus debet esse contenta: Minorem probavit producens è Thesibus defensis Lovanij 3. die Iunij 1642. Sub Eximio D. ab Angelis has lineas.* Præceptum Ecclesiasticum omnes & solos mortaliter peccantes, ad confessionem semel in anno instituendam adstringit. Hæc obligatio non exstinguitur post elapsum annum: potest tamen eâdem confessio- 535

ne satisfieri anni præcedentis & currentis præcepto &c. *Probavit quidem sic, Quoniam opinio, quæ in vna Vniversitate sine contradictione defenditur, improbabilis dici non potest* &c.

X I I I.

De missa. An auditione vnius possit homo catholicus duorum dierum obligationi satisfacere.

536 OCcurrit mihi hoc dubium, librum Em. Card. Lugonis legenti, disp. 15.sect.7.n.55. *Agit ibi sapientissimus vir de nocte Nativitatis, & quomodò in ea obser vetur iejunium naturale, inquirit, & ait* (Dubitari posse de nocte Nativitatis Domini, in qua videtur de facto dispensare Pontifex pro Cardinale celebrante primam Missam post matutinum, in sacello Pontificio, coram eodem Pontifice: nam reverà solet Missa tota absolvi ante mediam noctem, vt possint Cardinales opportunè convenire sequenti die ad tertiam Missam, quam celebrat solemniter Pontifex in Basilica S. Petri: vnde tacitè videtur Pontifex dispensare cum Cardinale, vt celebret ante mediam noctem non iejunus; nam intrà eamdẽ diem, horâ solitâ, pransus est, alioquin cogeretur aliquando per biduum iejunare; quando v. g. vigilia Nativitatis est in Dominica: tunc enim deberet iejunare à prandio Sabbathi, in quo fuit iejunium vigiliç, vsque ad feriam secundam post tertiam Missam Natalis, quod de facto non fit. Adhuc ego tamen non credo intentionem Pontificis esse, dispensare in iejunio naturali pro illa vice singulis annis; sed potiùs dicerem, quòd velit pro illo loco & illa nocte anticipari aliquantulùm initium diei sequentis &c.) *hæc Lugo, è quibus Ectheses nonnullas deduco* &c.

X I V.

Vtrùm eâdem actione duabus præcepti partibus possimus satisfacere.

537 HÆc omnia inde suborta, quòd eôdem tempore, & eâdem actione possumus duobus præceptis numerô distinctis satisfacere: ad eum, qui vnicâ

vnicâ actione duabus ejusdem præcepti partibus satisf[illegible]*lt, subveniamus.*

Et quidem; si res bene consideretur, multas consequentias parturit Resol. 18. *quam habet Diana* tract. 17. p. 2. *vbi interrogat,* An Petrus satisfecerit præcepto Missæ, si eôdem tempore sacrum duorum Sacerdotum audivit; nempe Missam vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem, & Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque ad finem. *Vt rem meliùs intelligas, clarè ponitur: quando vnus Sacerdos elevat; alter introitum incipit; & tunc Petrus Ecclesiam ingreditur, & vtramque Missam simul audit; alteram ab elevatione ad finem, & alteram ab initio ad elevationem: & interrogat, an Missæ præcepto satisfecerit?* 538

Negat Reginaldus; sed Reginaldi opinio non placet Dianæ, qui pro contraria citat Molfesium & alios. 539

Non est animus approbare, aut improbare, istam sententiam; sed notare, quæ debeat consequenter admittere meus Diana, si Dialecticam amat: Primò enim, sicut satisfecit Petrus audiendo simul duas medias Missas à duobus Sacerdotibus, posset satisfacere audiendo simul quatuor Missæ quadrantes, à quatuor Sacerdotibus; aut etiam octo octantes ab octo; quin imò, si essent multa altaria, quibus simul esse præsens Petrus posset; & in vno Missa inciperetur, in altero epistola, in altero Evangelium, in altero oblatio; in altero Canon, in altero consecratio, & in altero communio, & tandem in altero post-communio, & in altero vltimum Evangelium, posset Petrus vnô quasi momentô temporis integram Missam audire. 540

Secundò, *rationis paritas nos deducerêt ad officium divinum: nam juxtà mores & rubricas Monasticas in officio solemni habemus duodecim Lectiones & Responsoria, quæ non recitat Communitas, sed audit tantùm; ergo si sint viginti quatuor Religiosi in choro, & singuli dicant simul Lectionem aut Responsorium, satisfaciunt præcepto legendi duodecim Lectiones, & totidem Responsoria.* 541

Tertiò, *quando duo legunt simul, non erit opus, vt alter alterum exspectet, sed poterit alter incipere versum sequentem, antequàm alter præcedentem absolvat; quoniam potest simul se & socium audire: nec est, cur ad attentionem & auscultationem recurras; quia attentionem internam non esse necessariam putamus* &c. 542

543 TExtum solitò fusiorē hic pręmittimus (licèt in se truncatū) quia paragraphus non est. qui ab alio non pendeat, aut specialem difficultatem à nobis solvendā non contineat: sivè etiam, quia D. Caramuel ibi doctè & subtiliter de horis (de quibus plura Dub. 24.) & Missa difficultates exagitat; quas, licèt non evacuet, vt infra videbimus; probat tamen satis contra Dianam & seipsum, quàm circumspectè in vulgandis Moralibus, & cautè coram viris doctis, procedendum sit. Sed

Ante dubij principalis Resolutionem

544 Suppono 1. multum distingui obligationem ad determinatum tempus rei faciendæ ex præcepto servandum, ab obligatione ad rem faciendam in circumstantia, quæ determinato tempori per se affixa non sit; quia sub priori obligatione tempus determinatum transit in objectum præceptum; & quod tempore istô faciendum est, est ex præcepto, determinato tempori affixum; sub posteriori verò tempus determinatum se habet per modum circumstantiæ impertinentis, quæ neque auget, neque minuit, malitiam actus magis, quàm furari dextrâ vel sinistrâ manu; in aula vel horto fornicari; ante vel post meridiem occidere &c. & quod tempore istô fit, non est ex præcepto, tempori determinato affixum.

545 Suppono 2. Legislatori liberum esse istâ vtrâque, vel vtrâlibet, obligatione suos subditos adstringere; quod legum plurimarum experientia probat; nam annus cadit sub præceptum confessionis annuæ; mensis, menstruæ; dies, horarum canonicarum Lectionis diurnæ &c. Missæ verò audiendæ, in festis mobilibus, dies Lunę, Martis &c. sub pręceptum non cadit; tamque impertinens est confiteri se non audijsse Missam in Nativitate Domini die Iovis vel Veneris, quàm se occidisse Petrum die Iovis vel Veneris, ante vel post meridiem &c. Ratio est; quia tempus determinatum non transit in objectum istius præcepti; sed solemnitas, quæ movetur de tempore in tempus; neque etiam transit in objectum hujus prohibitionis, quasi aliquô tempore liceat hominem occidere, quod aliô prohibetur; quia præcepta negativa naturalia omni tempore, citrà dispensationem, obligant. His suppositis, Sit RESOL-

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

DIco 1. eôdem tempore & eâdem actione satisfieri potest 546
duobus præceptis non obligantibus ad diversum tempus determinatum rei faciendæ servandum, hoc est, vt fiat in circũstantia vi præceptorum determinato tempori affixa; sivè præcepta illa sint specie diversa, vt præceptum vnum de legendis horis ex motivo religionis, & alterum ex motivo justitiæ; aut etiam vnum de celebrando in altari A. & custodiendis argenteis istius altaris tempore, vnius sacri; sivè solò numerô, vt de audienda Missa die Dominicâ & festô; de abstinentia à carnibus vigiliâ & Sabbathô &c. Secùs duobus obligantibus ad diversum tempus determinatum.

Probatur 1. Pars, ex communi totius Ecclesiæ sensu & praxi, 547
quoad restitutionem lege naturali & positivâ faciendam; quoad Missam die Dominicâ & festô, in illam incidente, audiendam; quoad ieiunium, quod nonnisi eôdem tempore & abstinentiâ servari potest, in quadragesima & vigilia; quoad horas in Sacris & beneficio constituto, quotidiè recitandas: & sic de plurimis alijs, ergo &c. Adstipulatur ipsemet D. Caramuel n. 526. citatus.
2. Pars per se & ex terminis manifesta est.

RESOLVITIO II.

DIco 2. omninò certum est, ac per se manifestum videtur, 548
quòd, sicut eôdem tempore, & eâdem actione, satisfieri potest duobus præceptis non obligantibus ad determinatum tempus rei faciendæ servandum, ita & vnius illorum duabus partibus eôdem tempore, & eâdem actione satisfieri possit; secùs obligantibus ad diversum tempus determinatum, ac proinde nec vnius illorum duabus partibus &c.

Probatur 1 Pars: quia longè plus est eôdem tempore & eâdem 549
actione duobus similibus præceptis satisfacere, quàm eôdem tẽpore & actione vnius tantùm illorum partibus satisfacere; nam

 qui

qui duobus istis eôdem tempore & eâdem actione satisfacit, vni alteri, & insuper hujus duabus & cæteris partibus, eôdem tempore & actione satisfacit, vt per se manifestum est, ergo &c. Secunda & tertia pars patet.

RESOLVTIO III.

550 DIco 3. ex eo, quòd eòdem tempore & eâdem actione duobus pręceptis satisfieri possit, si ad diversum tempus rei faciendæ servandum non obligent; absurdè infertur vnâ confessione & communione annuâ, duorum annorum obligationi; vnicâ confessione menstruâ, duorum mensium; vnicâ horarum diurnâ lectione, duorum dierum; satisfieri posse.

551 Probatur: quia juxtà communem totius Ecclesiæ sensum & praxim, præcepta illa censentur de obligantibus ad determinatum tempus rei faciendæ servandum; non enim confessio, communio, horarum lectio &c. præcisè præcipitur; alioqui vnica in vita sufficeret; sed vt ista saltem semel in anno; hæc semel in die &c. fiat, vnde annua, diurna &c. dicitur, nec alioqui talis dici deberet; sed biennis, bidua &c. aut potiùs, semel saltem in vita servanda; quod nullus sine errore asseret, ergo &c.

552 Confirmatur: non est ratio, cur inde potiùs inferatur vnâ confessione annuâ duorum annorum; vnâ lectione diurnâ duorum dierum obligationi satisfieri posse, quàm cæterorum dierũ totius vitæ obligationibus; atqui id esse erroneum statim diximus, ergo &c. Probatur major; quia, sicut obligatio Anni B. concurrit in tẽpus & obligationem Anni A. & ideò per D. Caramuelem huic satisfaciendo, simul isti satisfit; ita obligatio Anni C. concurrit in tempus & obligationem Anni B, ac consequenter huic per eamdem satisfaciendo, simul satisfieri potest obligationi Anni C. & sic de cæteris; (loquere proportionaliter de obligatione confessionis mense A.B.C. & cæteris; item lectionis horarum die A. B. C. & cæteris), ergo &c.

SOLVTIO

SOLVTIO

Fundamentorum D. Caramuelis.

REspondeo 1. ad ea, quæ habet n. 526. ſupra, concedendo 553
1. me tempore eôdem continuatô, quô vni & alteri præcepto ſatisfacere poſſum, à fortiori ſatisfacere poſſe duabus alterutrius partibus, juxtà præmiſſa *Reſol.* 2. vnde ad propoſita n. 527. concedo 2. hanc ſequelam, *Ergo, ſicut de duobus præceptis, ſic de duabus ejuſdem partibus philoſophandum.* 3. etiam hanc, *Ergo, ſi eôdem* continuatô *tempore poſſumus, etiam eâdem* continuatâ *actione.* Concedo omnia D. Caramueli. Subdit ille; *Ergo proſequere & reſponde ſequentibus.* Igitur

Reſpondeo 2. ad propoſita n. 528. Negando primam ſequelam, *Ergo his diebus poterit Petrus communicare, vt ſatisfaciat præcepto anni elapſi.* Item ſecundam, *Ergo his diebus poterit, vt ſatisfaciat præcepto anni futuri.* Deniquè tertiam, *Ergo ſi bis communicet, ſemel pro anno priori & ſemel pro poſteriori, duobus præceptis, & pro duobus annis ſatisfaciet.* Nam, quòd putatur annum elapſum & futurum, ſivè obligationem anni elapſi & obligationem futuri, ſimul concurrere, tam falſum puto, ac præteritum eſſe futurum; quia annus debet ſic computari, vt ſi annus incipiat à Dominica Palmarũ, in rigore finiatur per primum ſui non eſſe, Dominicâ Palmarum immediatè ſequenti: id quod verò accedit privilegij ex anno Eccleſiaſtico includente, vt ajunt, duas tales Dominicas, non eſt concurrentiæ obligationis & temporis; ſed concurrentiæ obligationis vnius anni cũ permiſſa obligationis alterius anni per anticipationem ſolutione; quia autẽ anticipata ſolutio nil mutat in re debita; ſed in tempore, quô ei ſatisfieri permiſſum eſt duntaxat: res debita anticipatè ſolvi quoad ſubſtantiam debet, eô prorſus modô, quô alioqui ſuô tempore ſolveretur, vt patet; nam, qui debitũ anticipatè, aut dilatè, ſolvi permittit, nec realiter, nec virtualiter dimittit. Vnde ad ibi poſitam Quæſtionem, *Sed quid, ſi ſemel tantùm communicet? Annè vnicâ ille communione pro duobus annis ſatisfaciet?* Reſpondeo, aſſerere eſſe contra rationem, totius Eccleſiæ ſenſum & praxim; ac ideò non poſſe *eſſe probabiliſſimam ſententiam*

tentiam Assertivam, vt docet *ibidem* D. Caramuel, quin probabilissimum sit, quod est contra rationem, totius Ecclesiæ sensum & praxim, imò etiam, ex præmissis Resolutione tertiâ, erroneum. Omitto hîc, quod istæ duorum annorum obligationes per se transeant de extremo ad extremum, finem v.g. primi & initium secundi, de quo alibi.

555 Accedit: quòd opposita omnium fidelium consuetudo, cujus, præterquàm Ecclesiæ caput, particularem Authorem assignare non sit, censeri debeat ab ipso Ecclesiæ capite introducta, ab eóque ad nos quasi per traditionem continuata, vt sequitur à pari ex eo, quòd Florentinum in decreto Eugenij, *Chrisma esse liquorem ex oleo & balsamo confectum*: & Tridentinum sess. 14. cap. 2. *Oleum, quô Ecclesia in Sacramento extremæ vnctionis vtitur, esse ab Episcopo benedicendum*, esse ex traditione Apostolica declaret: eò quòd, prӕter Apostolos, istius confectionis, & hujus benedictionis, particularis Author non reperiatur.

556 Iuvat prætereà notare, quòd privilegium illud permissæ solutionis debiti anticipatè, aut dilatè, cùm morale sit, interpretari oporteat, non in destructionem, sed in morum ædificationem, prout leges morales: alioqui interpretationem, vim nullam habere indubitati juris est, iuxta legem *pacta* cod. *de pactis*. quæ sic habet. *Pacta* (& idem est de Doctorum sententia, legū interpretatione &c.) *quæ contra leges, constitutionesque vel contra bonos mores*, quorū vtrumque in proposito, *fiunt; nullam vim habere indubitati juris sit*.

557 Respondeo 3. ad n. 529. Ibi per totum, à D. Caramuele falsum supponi, videlicèt eamdem diem, quæ est vltima antecedentis mensis, esse subsequentis primam: nam hæc prima, est primum non esse antecedentis mensis, & illa, quæ est antecedentis mensis vltima, est vltimum esse antecedentis: si autem velit vltimam antecedentis mensis esse ex privilegio diem permissæ solutionis debiti anticipatè, & primam subsequentis dilatè, non multum contendam; modò mihi concedat duas obligationes in idem tempus non concurrere, ex quo solo rectè intentum concludere potest.

558 Respondeo 4. ad n. 530. Illum, qui vespere Matutinas & laudes recitat, duorum dierum nō satisfacere obligationi, vt ex statim præmissis patet; aut certè etiā totius vitæ obligationi satisfacere,

facere, vt ſequitur ex Confirmatione *Reſol*. 3. quod nec ipſe, nec alius auderet aſſerere: vnde illum mortaliter peccaturum, non obſtantibus *ibidem* 1. 2. *&* 3. *ſuppoſitis*, non dubito. Igitur

Reſpondeo 5. ad n. 531. ſententiam aſſerentem, falſum ſupponere, videlicèt in eumdem veſperum concurrere duo præcepta; cùm tantùm concurrant præceptum vnius debiti ſolvendi, & obligationis alterius permiſſa per anticipationem ſolutio, vt *Reſp*. 2. vidimus. Scio quidem D.Caramuelem in favorem ſententiæ aſſerentis §.7. *ibid*. hæc habere. *Cæterùm, ſi bene rem examines, hæc ſolutio eſt arbitraria; quia vel Philippus veſpere legens ſequentis diei matutinas præcepto ſatisfecit, vel non &c.*? Sed re bene examinatâ, è contra, hæc Replica eſt fruſtranea; cùm manifeſtum ſit, iſtô veſpere anticipatè non ſatisfieri obligationi, ſeu præcepto, quod tunc ſit (alioqui quomodò anticipatè?) ſed quod poſtea erit; quod verò audiens Miſſam Sabbathô, non ſatisfaciat pro Dominica, non eſt præcisè, quia nondum incipit præceptum illud obligare; ſed quia in Eccleſia non viget Privilegium permiſſæ hujus debiti anticipatæ ſolutionis, prout illius, & aliorum, de quibus ante: vnde *ibidem* non ſolùm arbitrariô, ſed falsô ſuppoſitô (nempe, quòd *obligatio legendi matutinas & laudes pro feria 2. incipiat à veſpere Dominicæ &c.*) concurrentiam præceptorum probat; in eoque tota conſiſtit ſententiæ aſſerentis hallucinatio. 559

Reſpondeo 6. ad n. 533. ob illam rationem & alias à nobis, præſertim *Reſpon*. 2. præmiſſas, ſententiam affirmantem, vtpotè improbabilem, explodi debere: abuſus enim & negligentiæ, quæ ex ea ſequuntur, peccata ſunt mortalia contra leges Eccleſiaſticas graviter obligantes. Vnde patet ad Replicam, quam facit videndam, §.8. *ibid*. ne in re clara diutiùs immoremur. 560

Reſpondeo 7. ad n. 534. Aſſerentem ſententiam eſſe improbabilem; non quòd ſolâ gravi authoritate careat; ſed quòd erronea ſit, contra totius Eccleſiæ ſenſum & praxim; nec vllâ ratione fulciatur, vt probavimus ſupra: vnde patet ad D. Caramuelem §. 8. *ibid*. *Quis hucuſque propugnavit negantem*? Reſpondeo, tota Chriſti Eccleſia: quamobrem miror, quòd hujus, in ſimilibus, extra controverſiam praxis D. Caramueli non ſufficiat; ſed, quibuſcumque nihil obſtantibus, *ibidem* illam quæſtionem ſuper-vrgeat, inquirens vltra, *Vnde ſciatur Pontifices voluiſſe ad duplicem ma-* 561

tutinorum recitationem in casu posito obligare? Quasi verò ad hoc non sufficiat totius Ecclesiæ sensus, praxis & traditio, imò & dictamen rationis, de quibus supra; præsertim *Resp.* 2. satis.

562 Addit quidem D. Caramuel in fine istius §. 6. *Lectio matutinarum ex se indifferens est, vt vni alteri diei satisfaciat; determinatur tamen ab applicatione & intentione legentis: vnde, si Philippus velit satisfacere obligationi feriæ secundæ, jam ista lectio hâc applicatione ita modificatur, vt alteri feriæ satisfacere nequeat.* Sed quid si obligationi hujus & istius feriæ satisfacere intendat? Respondimus ante, & lubenter audiemus ipsum solidiùs discurrentem. Intereà vt id magis explicem,

563 Respondeo 8. id, quod ibi adfert D. Caramuel, magis sententiæ asserenti, quàm neganti, favere; quia, nisi nobiscum dicatur horarũ recitatio esse ex se affixa diei, in quo ex obligatione recitantur, & matutinum diei sequentis affixum, ex privilegio vesperæ præcedẽtis, quâ matutini anticipata solutio permittitur; duæ obligationes in idem tempus concurrent, quibus vnâ recitatione, prout vnâ Missâ festo & Dominicæ cõcurrentibus, satisfieri posset; quod Resp. 4. rejecimus; & quod sequitur ex allatâ à D. Caramuele indifferentiâ, duas horarum obligationes in idẽ tempus concurrere falsum est; cùm vna tantùm sit, sed concurrente privilegio anticipatè satisfaciendi obligationi nondum existenti, vt vidimus à nu. 554. ad 559. Varia autem replicat D. Caramuel §. 8; sed quæ vix principia nostra tangunt; illisque etiam abunde satisfactum est n. 559. 560. & 561.

Subdit D. Caramuel §. 9. ibid. *Dissolvi vtriusque partis argumenta; necdum controversiam resolvi &c. Cæterùm, an sit probabilis sententia asserens, esto aliorum judicium. Scribent Iuniores; novæ rationes invenientur, novæ resolutiones; & sic olim hæc Quæstio decidetur, quæ in præsenti vix potest.* Ad quod

564 Respondeo. 9. Asserentem sententiam nullâ ratione niti; neganti verò favere vnanimem totius Ecclesiæ sensum, praxim & traditionem; hincque Quæstionem illam hodie ita esse decisam, vt frustra pro sententia asserente sint scripturi, & rationes quæsituri Iuniores.

565 Respondeo 10. ad §. 10. n. 535. Ad nauseam dictum & probatum, Ecclesiam, dum præcipit annuam confessionem, non esse vnâ pro duobus annis confessione contentam, nisi alterutrô totô,

totô, annô legitimum fuisset impedimentũ, propter quod fortè & per accidens, Theses citatæ docent, eâdem confessione satisfieri duorum annorũ præcepto; non verò prout D. Caramuel proponit, per se & absolutè, semper & citrà tale impedimentum; ne in re certa, & in qua facilè explicari possunt, errorem continere dicantur: vnde D. Caramuel Theses illas malè in suum sensum detorquet. Omitto ea, quæ §. 11. & 12. habet; quia, cùm suprà dicta repetant, & sæpe rejecta contineant, inde facilè solvi possunt: vix tamen adduci possum vt credam, eximium illum Patrem, de quo *ibidem* §. 11, sententiam de horis, quam hucusque rejecimus, à se maturè examinatam & perpensam probasse; licèt fortè, ne D. Caramuelis conceptum videretur spernere, familiariter ad illius satisfactionem dixerit, *videri probabilem*, quod in simili occasione plerisque contingere potest.

Respondeo 11. ad §. 13. Romæ consuetudine inductum, vt 566
obligatio primæ Missæ Nativitatis duabus circiter horis ad mediam noctem anticipatè solvi possit, prout vbique matutinum diei Lunæ ad Vesperam Dominicæ anticipatè solvitur; per quod nil non solutum in favorem sententiæ asserentis adfertur; quia, sicut ab hac consuetudine ad disparata nil sequitur; ita nec ab illa ad comestionem carnium horâ 10. ipsius vigilię Nativitatis, & sic de alijs, ad quæ consuetudo non extenditur vt v. g. (si vigilia ista incidat in Domincam) Sacro horæ 10. vespertinæ satisfiat pro Dominica & festo. Quod verò ad jejunium naturale spectat, eôdem jure à celebrante, anticipatè solvi potest; cùm Ecclesiæ & consuetudini arbitrarium videatur, hâc aut illâ horâ jejunium naturale inchoare, potuisseque ab initio aliâ inchoari, vt consideranti patebit: vnde facillima est cæterorum, quæ D. Caramuel ibi ex sententia Em. D. Lugonis deducit, solutio.

Respondeo 12. ad §. 14. Satis patere ex præmissis à n. 549., 567
licèt Diana Tom. 11. Resol. 3. Caramueli satisfacere non videatur, Respondens, aliquem in auditione duarum partium Missæ, humanô modô dici assistere sacrificio, & satisfacere præcepto; negãdumque, id posse dici in exemplis à Caramuele allatis. Nam hic, cur negetur, rationes quærit; dicitque à Diana vtrumque affirmari debere, aut negari; neque disparitatis rationem adfert Diana.

568 Adde, D. Caramuelem quidem nobiscum reijcere 2. p. suæ Theol. Fund. n. 78. sententiam id affirmantem: sed hâc vnicâ ratione, *Cùm Ecclesiasticæ leges omnes sint ad reformationem & ædificationem morum, & ad eosdem bonos mores consuetudine obediendi firmandos, interpretatio legis, quæ esset ad destructionem aut relaxationem, aut etiam contra bonos mores & consuetudines, esset vltra voluntatem Ecclesiæ; atque adeò nihil operaretur: at simul audire octo Missæ partes & ictu oculi ab Ecclesia discedere, esset contra omnium fidelium consuetudinem & contra voluntatem Ecclesiæ.* Ergo &c. eamdem rationem ibidem extendit ad confessionē annuam & menstruam, ac horarum lectionem diurnam.

569 Sed quid, positâ illâ ratione, sibi respondet dicenti §. 2. *Probabilissima est assertiva sententia.* Si enim hæc sit talis, quomodò est *contra omnium fidelium consuetudinem & contra voluntatem Ecclesiæ?* An fortè per D. Caramuelem datur *sententia probabilissima*, quæ sit contra omnium fidelium &c? Item §. 8. *Fortem esse rationem illam vnicam, quâ sententia asserens armatur.* An fortè ratio hæc non hôc ipsô infirma est, quòd dictat aliquid contra omnium fidelium consuetudinem, & voluntatem Ecclesiæ? Ibidem. *Prima ratio*, puta negantis, *timet abusus & morum aliquam deformationem; sed perperam; quoniam sequi rationem probabilem* (addere poterat *fortem, probabilissimam*, vt ante) *nec abusus, nec relaxatio; sed virtus est.* Perperamnè igitur D. Caramuel *timet abusus & morum deformationem* in eo, quod est *contra omnium fidelium consuetudinem & contra voluntatem Ecclesiæ?* An datur ratio probabilis aliquid dictans *contra ista* &c? An virtus est, sequi rationem aliquid dictantem *contra* &c? §. denique 12. *Hanc opinionem judico probabilem in materia obedientiæ* &c. An-ne judicat D. Caramuel probabile, quod est contra omnium fidelium consuetudinem, & contra voluntatem Ecclesiæ, vt jam toties, nec vmquàm satis, rogavi? Sed insuper

570 Quæro, an D. Caramuel istis faciat satis, addendo §. 12. *Hæc omnia disputando dicta sint (nam & etiamnum proderit hôc lapide frangere dentes invidiæ)?* Minimè: quia, qui disputat & resolvit (prout ibi D. Caramuel) debet propriam sententiam probare & confirmare; adversam autem improbare & fundamenta ejus dissolvere; quod non facit, vt vidimus: imò solùm suadet nostræ, & totius Ecclesiæ, adhærendum sententiæ, *quoùsque pro benigniore*, seu

oppo-

opposita, *quatuor vel sex Authores habeas*; quasi verò *quatuor, aut sex Authores, contra omnium fidelium consuetudinem & contra voluntatem Ecclesiæ* præscribere possint. Neque obscurè insinuat, se oppositæ adhærere, dum addit, *Nam & etiamnum proderit hôc lapide frangere dentes invidiæ.*

Dixi n.568. *hâc unicâ ratione*. Quia alia ratio, quam eâdem 2. *P. n.*79. profert, *Si tibi teneretur Petrus solvere centū aureos feriâ 2. & alios centum feriâ 3; ex eo quòd tu permittas, quòd feriæ 3. debito satisfacere possit feriâ 2. non sequetur illum solvendo centum aureos, semel posse duorum dierum obligationi satisfacere; ergo eôdem modô de Ecclesiastico debito philosophare*: Nulla est; quia præterquàm transeat à debitis strictæ & propriè dictæ justitiæ, in quibus attendi debet æqualitas dati & accepti, aliundè cōpensatis lucrô cessante, damnô emergente, periculô sortis &c. ad debita obedientiæ, in quibus maximè intentio legislatoris, aut legislatorum, de eodem, aut diverso opere, attenditur; sequeretur eâdem auditione Missæ satisfieri non posse obligationi illius, titulô Dominicæ & titulô festi; sicut eâdem solutione centum aureorum satisfieri non potest obligationi solutionis centum aureorum titulô census & titulô cambij, venditionis, legati &c. quod nullus admiserit. 571

DUBIUM XVIII.

An in casu particulari, cessante adæquatô fine Legis, etiam in eodem casu particulari ejusdem Legis obligatio cesset.

D. CARAMVEL

Suæ Theolog. Fundam. Fundamento 17, n.383.

Multas in legibus relationes possumus considerare; at minùs necessarias omnes, illâ exceptâ, quæ ordinatur ad finem: non enim lex dari 572 *potest aut concipi, quæ fine careat. Cessante fine adæquatô legis naturalis (quo nomine Decalogum intelligo) in casu aliquo particulari, cessare etiam*

 ejusdem

ejusdem legis obligationem, in eodem casu particulari, certum est. Et certum etiam (N. B.) non obligare strictiùs leges humanas, quàm Divinas. Ergo sicut de Divinis, sic etiam de humanis, aut benigniùs fortassis etiam de istis, erit philosophandum.

573 *Esse scio illustrissimorum Scriptorum sententiam, quæ affirmat cessante fine adæquatô legis humanæ in casu aliquo particulari, non cessare ipsam legem; at eosdem satisfecisse rationi præmissæ non scio; numquàm enim audivisse me memini aliquid pro severa opinione, quod solutione egeret. Porrò rationem, quam in textu insinuavi, repono; & sic inquam (strictiùs obligat lex Divina, quàm humana; aut æquè strictè etiam, si velis; non verò minùs strictè: at cessante fine legis divinæ in casu aliquo particulari, cessat lex ipsa in illo casu particulari: ergo idem dicendum de lege humana: nam aliàs esset multò strictior Divinâ.)*

574 *Ponamus igitur veram, & si liceat sic loqui, demonstratam sententiam, quæ legem in tali casu cessare asserit: & quia adhuc illâ positâ novæ difficultates prodeunt, vnam aut alteram Controversiam ponamus.*

575 *Quæstio prima.* An quis legere possit libros prohibitos, si sciat certò, nullum illos nocumentum esse illaturos.

578 *Hanc olim Panormi, Romæque controversiam Dianæ Viri Eruditi proposuerunt, & vtrobique respondit negativè, vt constat* ex Parte 6. Tract. 6. Resol. 49. *Vbi etiam tuetur negativam sententiam.*

579 *At ego contra, non argumenta nova, sed illud solùm vrgeo, quod ab illis fuit positum; puto enim nondum à Diana satisfactum. Sic argumentabantur. (Probabile est, cessante fine legis in aliquo particulari, cessare etiam legis vim & obligationem in illo particulari: at finis legis interdicentis lectionem librorum hæreticorum cessat respectu illius, qui ita doctus & pius, vt prævaricari non possit: Ergo respectu ejusdem cessabit etiam ipsa lex.) Major non jam est probabilis; sed affecta probabilitatis modô est evidens; est enim evidens & certum moraliter esse probabile, quod Authores illustrissimi & plurimi affirmant. Minor supponitur, adeoque non poterit consequentia negari.*

580 *Quæstio secunda.* An sit mortale, comedere carnes die Veneris?

581 *Ob mortificationem instituta sunt abstinentiæ & jejunia, vt subigatur & maceretur caro; vt corpus rationi obediat, & meliùs gubernari possit. At hîc occurrunt multa, quæ indigent magno examine. Vnum aut alterum Dubium propono. Petrus vir robustus & fortis, & qui piscibus lubenter vescitur, se ait, in abstinentia à carnibus, quàm Catholici observant, nullam*

nullam incommoditatem sentire, nullam utilitatem, nullam mortificationem; & concludit, abstinentiam à carnibus erga se esse rem, quæ leviter potest conducere ad finem, quem proponit Ecclesia. Cùm igitur non solùm peccet venialiter, qui omittit medium, quod ad finem levem ordinatur, sed & ille, qui medium, quod ad finem gravem leviter censetur conducere: si abstinentia à carnibus die Veneris leviter conducat ad finem, quem intendit Ecclesia, putat solùm obligare venialiter. Confirmat: *Magis enim necessaria sunt jejunia & abstinentiæ ad vitam Monasticam & Religiosam, quàm ad vitam Christianam: at in multis Ordinibus jejunia Regularia creduntur esse res parvi momenti, & solummodò obligare ad veniale; ergo idem à fortiori de Ecclesiasticis dicendum est.*

Sic philosophari solet Petrus: at multò duriùs & exorbitantiùs Fridericus. Venus è mari oriri dicitur, quòd marina omnia sint venerea. Ardet luxuria in undis, & in omni concharum genere evidentiùs, & in omnium piscium genere satis clarè excitatur; carnes suavioris & purioris nutrimenti, nec sunt, nec ita concupiscentiam irritant, nec alterant lascivos humores. Ergo finis, quem intendit Ecclesia, cessare videtur contrariè. At quando finis contrariè cessat, cessat absolutè ipsa lex: ergo nemo comedere pisces tenebitur. Sic Fridericus. Et ego, si assumpta vera sunt, discere volo, cur non sunt veræ consequentiæ. Quòd si illa falsa judices, doceri volo, an habeas aliquam demonstrationem, quâ possis clarissimè ostendere, numquàm lascivos corporis humores piscium comestione irritari. 582

AVTHOR.

Dom. Caramuel hîc movet difficultatem gravissimam, à Theologis parum hucusque discussam: meritò tamen, cùm peccatorum reatus aut nullitas, ab ea potissimùm pendeat, ab illis exactiùs discutiendam: facilè intereà solvi potest difficultatis fundamentum, quod hiscè verbis n. 572. proponit D. Caramuel, *Cessante fine adæquatô legis naturalis (quô nomine Decalogum intelligo) in casu aliquo particulari, cessare etiam ejusdem legis obligationem in eodem casu particulari, certum est. Et certum etiam (N. B.) non obligare strictiùs leges humanas, quàm Divinas: ergo, sicut de Divinis, sic etiam de humanis, aut benigniùs fortassis etiam de istis, erit philosophandum.* Nam 583

Quæro; An finis legis naturalis, seu bonum, quod lege naturali 584

turali principaliter intenditur, in casu particulari adæquatè reperiatur; An in plurimis dumtaxat, in quibus communiùs contingit? Non primum; quia ille casus particularis non est possibilis, vel moraliter loquendo, jam contigisset, eòque cessante, cessasset finis adæquatus legis naturalis in eo adæquatè repertus, ac sic, nulla ampliùs esset obligatio legis naturalis; quod non dicet. Si secundum; hic casus particularis est vnus ex plurimis illis, in quibus bonum, quod lege naturali principaliter intenditur, communiùs contingit; ac proinde cadit, sicut cæteri, sub intentionem legislatoris, & consequenter sub finem legis, qui non est bonum quomodocumque, sed quod in plurimis casibus *communiùs* contingit; non verò *semper*, vt comprehendas etiam rariores casus, in quibus non contingit. Doctrina hæc sumitur ex D. Thoma locis supra n. 124. citatis.

585 Deinde, finis adæquatus legis naturalis extenditur inadæquatè ad casus omnes, in quibus actio moralis, lege naturali justè prohibita, vel præcepta, secundùm substantiam contingit; vel ad illos solos, in quibus proportionaliter ad finem circumstantionata contingit? Si primum; quod sonant leges, nullus est particularis casus, in quo reperiatur substantia actionis lege naturali justè prohibitæ, aut præceptæ, ad quem non extendatur finis legis naturalis; ac proinde nullo casu particulari cessat finis legis naturalis, in quo reperiatur actio moralis secundùm substantiam lege naturali justè prohibita, vel præcepta, quod est consultò, vt statim patebit, dicendum. Si secundum; res erit plena mille periculis; & cùm natura sit valdè in philautiam propensa; vt sua libertate potiatur, facilè, cum magna morum dissolutione, ad quorum ædificationem leges morales feruntur, quisque sibi persuadebit actionem secundùm substantiam lege naturali justè prohibitam, vel præceptam, non esse hic & nunc proportionaliter ad finem circumstantionatam: quæ primum cavet & impedit.

586 Cōtra id, quod n. 583. opponimus, insurget P. Arriaga *ex Tract. de Legibus. disp.* 27. *n.* 9. verbis sequentibus: Supponendum autem est, vndecumque id proveniat, & sive hoc, sive illud requiratur, absolutè tamen posse legem, quæ in vniversali retinet suam vim, cessare, in hac individuali occasione, & respectu hujus aut illius personæ

personæ, sive etiam id vocetur Epikia, sive aliô nomine. De hac doctrina sic posita nemo prudens dubitare potest: nam lex jejunij, etiamsi maneat in suo vigore, vniversaliter loquendo, non obligat infirmos graviter laborantes: lex audiendi Sacrum die festô non item obligat infirmos, & eos, qui graviter infirmis assistunt.

Item n. 19. ajens, Dico 1. quando purè putè aliqua actio so- 587
lùm præcipitur aut prohibetur ob finem aliquem distinctum ab illa: & non attenditur simul aliqua intrinseca honestas, quæ in ea actione independenter ab eo fine reperiatur, longè probabilius esse, omninò cessante eô fine in particulari casu, etiam in illo cessare obligationē legis: quâ de re aliquid dixi supra agens de lege in communi, & nunc ostendo aliquibus exemplis, quæ mihi videntur ab omnibus, si res prudenter consideretur, admittenda. Nam si prohibeatur v. g. per generale præceptum instar legis in aliquo Monasterio, ne quis se exponat ad fenestras versùs plateam, propter ædificationem, aut ob vitandum periculum turpis aspectus; certè non videtur probabile, si quis in media hieme in summis tenebris, sæviente & pluviâ & ventô, se exponat, vbi certissimè illud periculum cessat, peccaturum illum contra illam legem. Similiter, si ob servandum secretum negotium aliquod grave, prohibeatur quis loqui de ea re; quis dicet eum peccare, qui solus in medio aperto campo de ea loquatur demissè; & tamen ibi est vera loquela, & talis, quæ, juxtà dicta suprà, sufficiat ad incurrendas pœnas in hæreticos externos impositas, si eôdem modô hæresim suam quis prodat. Similiter, si gestare noctu arma sit prohibitum purè putè ad vitandas contentiones, & sciret quis vel ex revelatione vel aliunde, nullū planè exiturum eâ nocte ex domo, aut (quod magis me juvat) sciret se solum esse in civitate, omnes alios esse procul inde, quis diceret hunc peccaturum, si portet tunc arma? Ita verbotenus ille.

Respondeo 1. ad primum Arriagæ ex *numero* 9. legem jejunij 588
non obligare quidem infirmos graviter laborantes; (& idem est de lege Sacri die festô) sed hoc aliundè quàm ex cessatione finis legis, de qua solùm præsens Quæstio procedit; nam licèt finis jejunij præcisè esset imitatio & honoratio Christi, qui graviter infirmos obligare potest, & in graviter infirmis persistere, aut

certè nullus; adhuc lex illa graviter infirmos non obligaret; quia imprudens per se præcisè est, & irrationabilis respectu graviter infirmorum, quod est contra essentiam legis.

589 Respondeo 2. ad secundũ ejusdem ex n. 19. legem, quæ prohiberet se exponere ad fenestras in media hieme, in summis tenebris, sæviente & pluviâ & ventô, solùm ad vitandum periculum v.g. turpis aspectus præcisè, & sic proportionaliter de alijs, quas ibi adfert; fore imprudentem & irrationabilẽ defectu finis honesti; legem tamen, quæ prohibet se exponere ad fenestras, præscindendo à quibusvis circumstantijs, ad vitandum periculum turpis aspectus præcisè, quod tali expositioni, præscindendo à quibusvis circumstantijs, communiùs annexum est; valdè prudens est & rationabilis; ac proinde, cùm prohibeat expositionem illã secundùm substantiam., quæ tota est in allatis circumstantijs, mirum non est, si etiam in illis obliget; imò id omninò necessarium est, ob rationem allatam n. 585.

590 Similiter Respondeo ad casus D. Caramuelis 1. eum, qui ita doctus & pius est, vt, moraliter loquendo, lectione librorum hæreticorum perverti non possit, adhuc obligari prohibitione lectionis librorum istorum: vti etiam 2. eum, qui &c. de quo n. 581. prohibitione carnium die Veneris. 3. denique Fridericum in casu expresso *ibidem* hâc eâdem prohibitione obligari; non enim prohibitio hæc involvit præceptum die Veneris comedendi pisces, contra quod militant ea, quæ *ibid.* adfert D. Caramuel; sed abstinendi à carnibus, quod subsistit cum abstinentia à piscibus, vt patet; imò interdum fit, quòd hæc abstinentia à piscibus, saltem quoad aliquod piscium genus, juxta cujusque experientiam valdè venerem illicitam commovens, superaddi debeat.

591 Sed quid ad fundamentum D. Caramuelis, lectionem librorũ hæreticorum, & comestionem carnium die Veneris, apparenter saltem dubiam reddens: an in casibus expressis n. 579. & n. 581. nõ sit licita? Respondeo, fundamentum illud falsum esse ob præmissa à n. 584. imò ab intrinseco improbabile, quidquid sit de probabilitate authoritatis extrinsecæ, vti in Resolutione statim videbimus. Itaque in casibus expressis, lectio & comestio ista nõ est licita; vt rectè Diana supra, & recenter Tom. 11. Resol. 1. licèt hîc

hic potiùs Caramuelis ſuppoſitum, poſt Oviedum, Marchantium & alios, eludat, quàm ſub illo ſibi propoſitum argumentum ſolvat, vt conſideranti patebit.

RESOLVTIO

Dubij Principalis ſupra n. 572.

DIco 1. in nullo caſu particulari ceſſat finis adæquatus legis: ac proinde in nullo caſu particulari (in quo aliunde materia legis non eſt illicita, injuſta, impeditiva legis magis obligantis, vel imprudens, ſeu magis moleſta & difficilis, quàm neceſſarius & vtilis ſit fructus ex ea ſperatus;) ceſſat ejuſdem legis obligatio quæ ab exiſtentia finis pendet. 592

Probatur; quia finis adæquatus cujuſque talis legis eſt promotio boni communis & remotio mali communiter conjuncti cum actione ſpectata ſecundùm ſubſtantiam, quam hic & nunc honeſtè præcipit aut prohibet; atqui talis finis reſpectu vnius in particulari, aut in caſu particulari, nunquàm ceſſare poteſt, quin ſimul reſpectu omnium & in omni caſu ceſſet; ergo &c. Major clara eſt ex præmiſſis n.584 & 585. item n.587. & 588. ex quibus etiam minor patet; quia, etſi fieri poſſit, vt actio, quam lex ſecundùm ſubſtantiam præcipit aut prohibet, reſpectu vnius in particulari, aut in particulari caſu, non habeat extraordinariè & particulariter conjunctum bonum, quod promovere, & malum, quod removere intendit; non magis tamen fieri poteſt, vt actio, quam ſecundùm ſubſtantiam præcipit aut prohibet; reſpectu vnius, aut in caſu particulari, habeat bonum, quod promovere, aut malum, quod removere intendit, communiter conjunctum; quàm quòd vnus homo, vnus caſus &c. ſit plurimi; nam quod plurimos tangit, nonniſi reſpectu plurimorum dici poteſt contingere communiter. Conſequentia eſt legitima, & omnium ferè Theologorum. Ita Caiet. *in 2. 2. q.* 120. Soto *de Iuſtitia & Iure lib.* 3. *q.* 4. *art.* 5. *in fine.* Couvar. *in 2. p. Decret. c.* 6. *§.* 9. *n.* 8. Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 163. *cap.* 3. *n.* 19. Suarez *de Leg.* 3. *cap.* 23. *lib.* 5. *cap.* 25. *lib.* 6. *cap.* 7. Molina *tom.* 1. *de Iuſt. tract.* 2. *diſp.* 81. Sanchez *in Summa lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 37. 593

Reginal. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 18. *q.* 3. *n.* 180. Layman *in Theol. Mor. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. *n.* 3. Clavis Regia *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 4. Coninck *de Sacram. disp.* 7. *dub.* 9. *n.* 86. Medina *q.* 96. *art.* 6. Lorca *de Leg. dis.* 26. Aragonius 2.2. *q.* 62. Salonius *ibid. q.* 5. *art.* 4. *concl.* 5. Miranda *in manuali Prel. tom.* 2. *q.* 25. *art.* 23. *concl.* 2. Naldus *in summa verbo lex n.* 3. Rebellus *de obligatione just. par.* 2. *lib.* 15. *q.* 13. *n.* 7. Bonacina *tom.* 2. *de rest. disp.* 3. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 2. Diana *p.* 6. *tract.* 6. *à Resol.* 38 *ad* 49. Malderus *de Leg. q.* 96. *art.* 5. Sylvius 1.2. *q.* 96. *art.* 6. Castro Palao *de Leg. tract.* 5. *disp.* 3. *p.* 1. *& plures alij.* Contra Panormit. *in cap. Quia in Insulis de Regularibus, & cap. Quoniam de probat.* Adrian. *Quodlibeto* 2. Navarrum *summa cap.* 16. *n.* 37. Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 17. *n.* 2. Lopez 1. *p. instruct. cap.* 85. Eman. *Sa in utrâque Edit. verbo lex n.* 1. Ibid. Sylvest. *q.* 8. *&* 9. ibid. Angelum *n.* 4. *cas.* 7. Comitolum *Respons. moralium lib* 7. *qu.* 1. *n.* 10. Granado *in* 1.2. *Cont.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *disp.* 15. *sect.* 2. Sousam *in buls Clemen.* 8. *de larg. mun. fund.* 9. Megalam 2.2. *lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 2. *n.* 55. *& nuperrimè* Arriagam. *de Leg. disp.* 27. *n.* 19. imò etiam pro illa citatur Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 12 *de matrim. q.* 2. & Diana *p.* 1. *tract.* 10. *Resol.* 28.

594 Confirmatur: alioqui innumera sequerentur inconvenientia, tum in lege naturæ, tum in lege positiva Ecclesiastica & Civili, vt patet ex ijs, quæ ex D. Caramuele à n. 137. ad 143. & n. 145 ad 161. item à n. 572. ad 583. attulimus, & sana legum interpres Ecclesia improbat; si in homine particulari, aut casu particulari, finis adæquatus legis ita reperiretur, vt in eo, materiâ legis manente honestâ & prudēter imperabili, obligare cessaret: præter libertatem enim transgrediendi omnes istiusmodi leges hinc oriundam, vt vidimus n. 585. aut certò determinari debebit legum naturæ & aliarum finis adæquatus, quod moraliter impossibile est; aut quilibet, stando pro sua libertate, vnum effingere poterit, qui cesset in casibus particularibus, in quibus legem servare noluerit; quæ absurda, in nostra sententia, citrà omne necessarium finis adæquati examen, in morum ædificationem ac Reipublicæ bonum vitantur; ergo &c.

595 Dices, deficiente in generali ratione legis, deficit lex generaliter: ergo deficiente ejus ratione in particulari, deficiet lex in particulari

particulari; quia ficut se habet ratio vniversalis ad obligationem vniversalem; ita ratio particularis ad rationem particularem. Ita P. Arriaga *loco supra citato n.* 15. 596

Respondeo concessâ maiore, falsum supponi in consequente, videlicèt legem latam in bonum commune, aliquando cessare respectu personæ particularis in casu particulari; quod totô hôc dubiô à n. 583. improbatum est: & alioqui, vt insinuavimus, fornicatio à notoriè sterili, aut certò certiùs prolem optime educaturo Principe; matrimonium clandestinum inter eos, à quibus moraliter loquendo, abest omne periculum rixæ; lectio librorum hæreticorum à viro doctissimo & pijssimo, vt ad summam Authorum suorum confusionem & ignominiam ac, pœnam, refutentur; comestio carnis die Veneris ab eo, qui ex his magis, quàm ex piscibus mortificatur, & sic de multis, alijs tam lege naturali, quàm positivâ humanâ prohibitis; erunt licita, nec probari poterunt illicita, nisi varios fingendo legum fines adæquatos, intrinsecos, & extrinsecos, convenientiæ communis & particularis, disconvenientiæ &c, pro varietate argumentorum, quæ opponent Adversarij. 597

Quia autem, vt diximus supra n. 583. D. Caramuel ibi difficultatem movet gravissimam, & quæ solutione maximè indiget; ipseq; hanc inter nonnullas, quæ videbātur solutione indigere, *in 2. p. suæ Theologiæ fundamentalis* decîdit, juxta illud proœmij ejusdē, *Et ego, vt etiam vulgo litterario me attemperem, sententiam hanc interloquutoriam interpono, in qua decîdo controversias nonnullas, quæ videbātur solutione indigere*, ejusdē Caramuelis solutionē subdo, & discutio.

D. CARAMVEL

2. p. Suæ Theol. Fund. cap. 3.

DE libris prohibitis. *Praxis testatur libros ob duos simul fines interdici, nimirùm, vt caveatur periculum, & etiam, vt Authores puniantur. Primum finem admittunt vniversi. Secundum probant viri docti & illustres, qui vt legant hæreticorum libros, facultatem postulant ab Ordinario; aut ab illo, qui potest ejusmodi facultatem concedere. Et ego ipse vidi multos magnos Concionatores, qui ejusmodi licentiam peterent: & hodie in* 598

Vicariatu Pragensi multis viris Doctissimis ejusmodi Facultatem concedo. Ergo, siquidem sapientissimi viri, qui non timent vllum in ejusmodi Lectione periculum, adhuc postulant hanc licentiam, certum est eos putare eamdem sibi necessariam: Ergo, tametsi sciunt, cessante fine adæquatô legis, cessare ipsammet legem: adhuc putant, cessante perversionis periculô, legis hujus finem adæquatum non cessare.

599 De Carnibus comedendis die Veneris. *Abstinentia à carnibus, indicta ab Ecclesia, obligat sub mortali. Nec iuvat ad finem recurrere; tum, quia non est facilè indagare, quos fines sibi Ecclesia præscripserit; tum, quia finis observandi tempus & colendi Deum hôc modô, nunquàm cessat in communi, nec in particulari.*

600 *Nulla ratio adduci poterit contra nostram & communem doctrinam, quæ non habeat solutionem claram & evidentem: nulla, quæ non æquè militet contrà abstinentias Hebræorum in Testamento veteri; quas obligasse graviter multis S. Scripturæ testimonijs suadetur.*

AVTHOR.

601 Hîc potiùs D. Caramuel difficultatē à se suprà à n. 572. propositam eludit, quàm decidat: quia (præterquàm syllogismum, quem ibi judicat fortissimum, hîc non tangat) ex eo quòd testetur praxis libros ob duos fines interdici; non statim sequitur hos non cessare in casu particulari, ac ideò in illo legem eos interdicentem non cessare, & legi posse: pone enim in viro sapientissimo ac pijssimo periculū perversionis cessare (quod admittit D. Caramuel,) & aliundè Authorum librorum istorum pœnā augeri suprà id quod intenditur non lectione, si nempe eos legat, vt refutet cum summa Authorum suorū confusione & ignominia; insipiens est, non sapientissimus, si credat finem istiusmodi legis interdicentis adęquatū esse duos fines illos, qui in casu particulari cessare possint; & intereà licentiam petat, eo quod in tali casu non putet cessare, & sic de alijs: dic igitur ipsum & similes, vt debent, licentiam illam petere, eo quòd finis ille in casu particulari cessare non possit; aut certè, alioqui parum necessariò, & multùm scrupulosè, eam petere. Vnde formo sequens dilemma contra D. Caramuelem

602 Vel praxis testatur libros ob duos simul fines, qui in casu particulari

ticulari cessare non possint, vel qui cessare possint, interdici: Non primum; quia hæc ejus verba, *Tametsi sciunt, cessante fine adæquatô* (supple in casu particulari, de quo difficultatem movit) *legis, cessare ipsammet legem, adhuc putant cessante perversionis periculô* &c; oppositum significant; debuissetque alioqui pro illa opinione aliquid adferre, cum n. 573. ita scribat, *Numquam enim audivisse me memini aliquid pro severa opinione, quod solutione egeret*. Si secundum; nostra Resolutio à n. 592, allata totam vim retinet, interdumque lectio librorum hereticorum, comestio carnium die Veneris &c, præcisè, ob cessationem finis interdictionis erit licita; cujus oppositum Caramuel hic velle statuere videtur.

Contra id verò quod habet n. 598. Quæro, an non lectio librorum hæreticorum sit ab Ecclesia sub mortali prohibita, prout ab eadem est abstinentia à carnibus indicta? Si sic; cur pro illa, sicut pro hac, non dicit, *Nec juvat ad finem recurrere* &c, sed *praxis testatur &c?* An forte finis Deū colendi obedientiâ non lectionis &c. aliquando in particulari cessat potiùs, quàm finis Deum colendi abstinentiâ &c? Deinde, si finis Deum colendi abstinentiâ numquàm in communi & particulari cesset, Quænam lex justa, cujus actus virtualiter obedientiæ sit (quô etiam Deus colitur) aliquando in communi aut particulari casu cessabit? Non facilè assignabit; cessante tamen causâ finali, legem cessare, ac ideò caussam finalem legis cessare posse, clarè colligitur ex cap. *Cum cessante de appellationibus*. cap. *Etsi Christus de jurejurando*. cap. *Post translationem de renuntiatione*. cap. *Statuimus* 61. & cap. *Quod pro remedio* 1. q. 17. Neque dici potest hinc solùm inferri, cessare per declarationem ad id potestatem habentis; quia vt sic per irritationem potiùs, quàm per finis cessationem cessaret, quod ibi non tangitur. Denique aliud est, legem obligare sub mortali, quod solùm affirmat de lege ista D. Caramuel; aliud ejus finem & obligationem in casu &c. cessare posse, quod quæritur. 603

DVBIVM

DVBIVM XIX.

An vir Sanctus & Pius honorem & famam facilè perdere possit.

D. CARAMVEL

Theol.suæ Fund.1.p.n.1146.fund.55.

604 *Dico, virum Sanctum & pium non facilè posse honorem & famam perdere, licèt centeni calumniatores oblatrent. Et ostendo; nam vt omnibus constat, præscripta multorum annorum pietas, est in antiqua honoris possessione, nec minui potest vnius aut alterius improbi loquacitate; solem obscurum dicat noctua; & ego, qui contrarium proprijs oculis video, non habebo minoris solis radios; sed noctuam caecutire dicam.*

AVTHOR.

605 Noctua est, *Domine mi*, quæ hìc tuum solem obscurum dicit; idque vt proprijs oculis videas; opponit 1. quòd pleraque objecta peccata venialia virum honestum, pium & sanctum, notabiliter diffament; lascivum verò, impium & nequam vix pleraque mortalia, vt communiter docent Theologi. 2. hæc quæ habet P. Dicastillo *de Iure lib.2.T.2. disp.12.p.2.n.*109. *Advertendum est, latam esse excommunicationem ipsô factô, & Papæ reservatam contra cudentes, detinentes, aut publicantes, scribentes, recipientes libellos infamatorios contra instituta S. Francisci, & S.Dominici, quam adfert ex Bulla edita D. Antonin* 3. *p.tit.* 24 *cap.* 70. *& Sylvester verbo excom.* 7. *excom.* 48. *vbi addit, etiam esse excommunicatos ad Papam, omnes prædicantes, docentes vel defensantes, quòd prædicti fratres non sint in statu perfectionis, vel quòd non possint vivere ex eleemosynis, quòd non possint prædicare &c.* Profectò, si vera est ista D. Caramuelis sententia, & hoc, quod ibidem subdit, *Suos Dominicani, Augustiniani, Franciscani, & quod mirabilius omninò, suos etiam Capucini habent æmulos, qui gravia effutiunt; nec tamen occidi possunt, quia non nocent.* Frustra est Pontifex de libellis istis infamatorijs avertēdis solicitus

frustra

frustra ipsi & Religiosi, frustra quisque pius & sanctus, contra omnem ferè experientiam; *quia non nocent*. 3. ob id solùm sententiam illam esse excogitatam, ne fateri debeat interdum esse licitum objicientem peccatum veniale dumtaxat, ad honorem recuperandum, occidere; quod alioqui ex ejusdem doctrina statim n. 606. citanda manifestè sequitur. Vnde ad dub. Resolutio affirmativa patet.

DVBIVM XX.

An liceat injustum aggressorem famæ & honoris occidere, & fugientem ad occidendum, aut saltem percutiendum, insequi.

D. CARAMVEL

Theol. suæ fund. 1. p. n. 1149.

Conclusio conclusionum. Si Titium Sacerdotem Albericus infamat; perfidè nimirùm & injustè: si verum sit, Titij opinionem, & authoritatem calumnijs his graviter lædi (nam leves jacturæ indignæ sunt remedijs gravibus) si verbis non se possit defendere; si eum Respublica protegere & defendere nolit aut nequeat: & tandem si suum honorem verè tueri possit occidẽdo Albericum, & non aliter: in tali, inquam, circumstantiarum concurrentia, stando juri naturæ, poterit Titius Albericum occidere: & si possit, etiam aliquandò debebit; eô videlicèt casu, quô & debeat suum honorẽ defendere. *Consultò dixi*, stando juri naturæ; *hoc enim constans & æternum est, & humana mutantur quotidiè & alterantur*. 606

An-ne eadem doctrina poterit admitti stando Civili aut Canonico? Respondeo hanc, quam modò proponis, esse quæstionem de facto, nec ab speculatione pendere. Addo Amici doctrinam esse novam, & legibus vulgatis juniorem, atque adeò nihil de illa à Pontificibus, Cæsaribus, aut Regibus fuisse dispositum. 607

Dices, ex hac doctrina multa suboriri inconvenientia, & ideò reijciendam esse. 608

dam esse. Et Respondeo hanc; Ex tali aut tali assertione magna pericula & damna suboriuntur, ergò est falsa, *non esse bonam consequentiam: quod demonstro clarissimè.*

609 *[Simus, amice Lector, tu & ego viri potentes, acresque, agamus sub Rege N. & viderimus oculis proprijs Reginam mancipio prostitui, & inde ortum spurium, qui Princeps & Regni hæres dicatur. Congreget Magnates infamiæ suæ ignarus Rex; comitia celebret, filium coronaturus. At insurgimus nos, coronationi contradicimus, Reginam de adulterio appellamus, sobolem spuriam reijcimus. O quanta (bone Deus) in tali casu inconvenientia sequerentur! ô quanta damna! Essent Principes, qui à nobis; essent, qui contra starent. Potentia potentiæ opponeretur. Turbaretur Respublica, civilia excitarentur bella, quæ illam fortè destruerent, & tamen his omnibus inconvenientibus non obstantibus assertio nostra vera esset.]*

610 *Hinc est, quòd ego judicem summa inconvenientia sequi ex multis opinionibus, quæ hodiè circumferuntur; nec tamen ideò illas improbabiles esse: multa enim suboriuntur ex restrictionibus mentalibus; multa ex occultis compensationibus; multa ex licentia occidendi injustum judicem aut testem, quam nonnulli concedunt; multa etiam ex illa opinione, quæ docet de occultis non judicare Ecclesiam; multa ex aliis; quibus tamen non obstantibus inconvenientibus, illæ sententiæ in terminis, quibus hodiè in scholis traduntur, sunt vt minimùm probabilissimæ, & à nemine damnari possunt.*

611 *Hæc omninò videntur sufficere; sed volo adhuc breviter vnicam instantiam adjungere: sic discurro. Conformius rationi videtur, honorem defendere gladiô, quàm mendaciô: generosius & sanctius, famam defendere occidendo aggressorem, quàm ei falsum testimonium imponendo, cum moderamine tutelæ, (id enim semper subintelligitur;) at non esse mortale peccatum hoc vltimum, probabile est: ergò nec illud prius. Majorem probo; quia homicidium ex natura sua malum non est; multi enim interimuntur justè: & mendacium ita malum, vt nec divinitùs dispensari aut cohonestari possit in omnium Thomistarum sententia; imò etiam in opinione Scotistarum plurium, qui putant posse Deum dispensare in aliquibus præceptis Decalogi. Probo minorem etiam, videlicèt esse probabile non peccare mortaliter, qui imponit falsum testimonium alicui, vt suam justitiam & honorem defendat: quia illud est probabile, quod asseritur à Viris doctis probisque: & hæc doctrina habet pro se viginti aut plures Viros magnos & doctos, qui si dicantur non sufficere, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia. Vide Gasparem Hurtadum* disput. 4. de reo difficul. 1. *Dicastillum* de Iust.

lib.

lib. 2. tract. 2. disp. 12. p. 4. dub. 2. num. 404. Dianam p. 9. tract. 8. resol. 43. pag. 356. *& nota obiter, illum gravem Religiosum cucullatum gymnopodam, cuius meminit Dicastillus, fuisse P. Quirogam Patrum Capucinorum decus, qui mihi testatus est se numquàm Dicastilli sententiam improbabilem censuisse, aut dixisse; sed quia in Gynicao Imperatricis à Comitissa N. tradebatur Virginibus nobilissimis & audacissimis, quæ vt in similibus locis solet, illâ doctrinâ abutebantur, pronunciavit hanc esse doctrinam perniciosam & præcipuè inter fœminas, & maximè, si sint ingeniosæ & audaces: & hanc ob causam curavisse, vt omnis illius doctrinæ vsus (erat enim abusus) ab Augusta omnibus pedissequis inhiberetur.* Et post pauca.

Eôdem igitur Annô diê 8. *Augusti sub R. P. Hermanno Horet, Sacræ Theologiæ Doctore & Professore, & nunc Eleonoræ Imperatricis Confessario, D. VVillibaldus VVachter Melicensis Ordinis* S. *Benedicti, disputavit* de Iustitia & Iure, *&* n. LIII. *propugnavit hanc thesim. [Reus etiam, nesciens se aliter ab injusto teste coram Iudice defendere; non peccat contra justitiam, si occultum illius crimen aperiat, vel falsum ei crimen affingat: quia possum sine peccato injustitiæ occidere meũ injustum invasorem, contra quem aliter me tueri nequeo; ergo neque peccatum erit injustitiæ, si auferam alteri famam, vt me contra ipsum injustè invadentem defendam, cùm minus sit auferre famam, quàm vitam: atque ideò quoque, falsum instrumentum fingere, ad probandum falsum crimen testis me injustè invadentis, non erit crimen contra justitiam, sed peccatum gravissimum contra justitiam legalem & Rempub. cujus maximè interest, ne falsificentur scripturæ & sigilla publica; aliàs enim periret fides actuum publicorum.]* Hucusque ille. 612

Legisti hanc doctrinam, & inquiris, An homo Religiosus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens se prostituisse viro tanto, rem enarrat, & eumdem infamat, possit illam occidere? 613

Quid scio? at audivi ab Eximio Patre N. S. Theologiæ Doctore magni ingenij & doctrinæ Viro [Potuisset Amicus hanc Resolutionem omisisse: at semel impressam debet illam tueri, & nos eamdem defendere: doctrina quidem est probabilis, sed quâ posset vti Religiosus, & Pellicem occidere, ne se infamaret: &c.] Tu rem accuratè perpende. 614

An licitum sit fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam vel fustem, illumque vulnerare & repercutere?

615 H*Anc quæstionem doctissimè & eruditissimè pertractat Diana* part. 8. tract. 7. resol. 48. *& adducit Patrem Dicastillum, qui* de Iust. & Iur. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 6. n. 74. *affirmativam partem judicat speculativè esse probabilem. P. Gasparem Hurtadum*, qui tract. de Iust. & Iur. disp. 11. diff. 11. *mordicùs eamdem propugnat, & ait.* [*Victoria* Relectione de jure belli n. 5. *Navarrus* cap. 15. n. 4. *Rodriquez* cap. 136. n. 11. *Mercadus* in summ. lib. 6. *Lopez* 1. part. cap. 62. *Henriquez* de irregularit. cap. 10. *& Petrus Navarra* lib. 2. cap. 5. num. 380. *docent id esse licitum percusso: quantum sit necessarium, vt percussus non maneat ignominiâ affectus: quod etiam sentit Bonacina* de restitut. disput. 2. quæstion. vltim. sect. 1. punct. 10. *& meritò; quia statim repercutere fit in actuali ipsa congressione antequàm invasor ad alia divertatur, aut jam alibi quietus existat, quia adhuc saltem moraliter &c. & honor nondum est saltem moraliter* in facto esse amissus, *sed tantùm est amissio illius* in fieri, *& inchoatio amissionis, & repercussione amissio honoris non perficitur, quia eâ percussione impeditur, ne fit in facto esse: Ergo id est licitum percusso.*] *Hanc sententiam probabilem vocat Diana* part. 8. tract. 7. resol. 48. *Nam contrariam dicit esse satis probabilem & semper in praxi consulendam.*

616 *Non volo examinare, Vtrùm hæc opinio fit probabilis? Malo enim id supponere; quis enim probabilitatem extrinsecam negaturus erit sententiæ tanto & tantorum scriptorum numero stabilitæ? quis intrinsecam tantis rationibus firmatæ? Sed infero.* Ergo, qui fecerit, quod hæc opinio esse licitum docet, non operabitur suadente Diabolô, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse. *Ergo hâc doctrinâ instructus, progredere, & Casum sequentem meditare.*

617 Petrus in oppido N. Parochus, Canonis protectus clypeo, quod vulnerare posset, vulnerari non posset, subditos ipse suos, sæpè aggrediebatur, & ne excusari possent justæ & necessariæ defensionis prętextu, vt impegerat colaphum, vel percusserat fuste; vel statim fugiebat, vel submittebat arma, dicens: *Iam ego ab invasione desisto, iam defensionis propriæ causâ me percutere nequis, vel aliàs in Ex-*

in Excommunicationem incurres. Sic suos rusticos vexavit sæpè, qui vel solô Excommunicationis vocabulô perterriti, omnia patiebantur, & interim Parochus grassabatur impunè. Sed quia non omnium ingenia sunt similia, accidit, quòd incideret Parochus in quemdam Procuratorem, natione Cantabrum, qui faciliùs ageret pugnis, quàm verbis: nempè in hominem, qui multum doctrinæ & parum haberet patientiæ; Huic ipsi Parochus apertâ manu impegit alapam, & fugit. Insequitur & assequitur Cantaber, & tamdiu trivit calcibus, quamdiu vidit vniversos applaudere: vt cœperunt aliqui se interponere, ne diceretur excessisse, cessavit. Accusat Procuratorem Parochus, Parochum Procurator. Hærent Consistoriales: negare enim non audent esse probabilem Gasparis Hurtadi sententiam; quam fuit secutus procurator, vt ait.

Hunc ego casum Lectoribus ponderandum propono; & quia pro Parocho 618
judicare non scirem, & contra non vellem; interrogo, an toleranda sit rusticanorum Parochorum audacia, qui frequentissimè suos subditos manibus vulnerant aut percutiunt? an huic malo satis caveatur Officialium diligentiâ; maximè si clericus sit pauper; nam vidi sæpè clericos divites graviter puniri ob res leves, & pauperes committere graves impunè: non enim omnia sciunt Episcopi; & Ministri aliquando contra clericos, qui solvere non possunt, nihil agunt? An-ne deberet dici, licere percussis à clericis sequi Hurtadi sententiã, & fugientes assequi & repercutere? Deus bone! Quanta ex altero capite bona, quanta ex altero mala ex hac doctrina sequerentur! Quàm modesti & moderati redderentur Clerici aliqui solo repercussionis metu: & quantâ etiam temeritate sæculares hâc etiam doctrinâ abuterentur! Hæreo fateor, hæreboque, & audiam doctiores libentissimè.

AVTHOR.

QVærit D. Caramuel, locô supra citatô n.606. vtrùm digna sit aliquâ censurâ, atque possit meritò prohiberi, ne imprimatur, doctrina Petri Navarræ *lib.2.de rest.cap.3.à n.371.* & Sayri *lib.6. de Cens.cap.17. n.23.* sub illis terminis, sub quibus traditur (inquit) à Francisco Amico *tom.5. disp.36.n.118.*? nempe 619

Negari non potest, quin saltem honorem, famámque illam, quæ ex virtute 620
& sapientia nascitur, quique verus honos est, iustè defendere Clerici ac Re-

 ligiosi

ligiosi valeant, ac sæpe debeant; cùm hic sit proprius professionis ipsorum, quem si amittant, maximum bonum ac decus amittunt. Nam per hunc redduntur summoperè æstimabiles & conspicui sæcularibus, quos suâ virtute & sapientiâ dirigere & iuvare possunt; quô sublatô, nec illos dirigere, nec iuvare poterunt; ergo saltem hunc honorem poterunt Clerici & Religiosi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invasoris, defendere; imò interdum lege, saltem charitatis, videntur ad illum defendendum teneri; si ex violatione propriæ famæ, integra Religio infametur. Vnde licebit Clerico vel Religioso, calumniatorē gravia crimina de se, vel de sua Religione, spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetet, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, ac coram gravissimis viris, impingere, nisi occidatur &c.; quam sequitur P. Dicastillo de Iust. & Iure lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 5. n. 66. post alios.

621 Addit D. Caramuel paulò post, ***Doctrinam Amici solam esse veram**, & oppositam esse improbabilem censemus omnes docti.* Sed cum supra n. 614. ad quæstionem inde clarè consequentem, respondeat; *Quid scio?* Vel nescit id, quod cum omnibus doctis censet; vel hîc, quod omnes doctos sentire finxit, in dubium vocat; meliùs tamen doctrinam nostram solam esse probabilem dixisset; quandoquidem, ipsemet P. Amicus de mandato Superiorum dictam sententiam in 2. editione ex tomo 5. expungi iusserit, & referat Diana *tomô suô* 11. *Resol.* 20. Eminentissimos Cardinales post maturam discussionem idem jussisse, ac ideò tomum 5. primæ editionis prohibuisse: quare P. Amici authoritas iam nihilò favet D. Caramueli, & Eminentissimorum Cardinalium Censura in ipsius sententiam cadit; meritoque doctissimus P. noster Lezana *consultô* 29. illam improbandam censet; quod vt magis pateat, ipsum principale aggredior, &

622 Dico: non stabit D. Caramuelis *Conclusio conclusionum* n. 606. allata, nisi ipse supponat, & priùs probet 1, res graves superioris ordinis (id est quarum pretium, judiciô Prudentum, rebus alterius ordinis quantumlibèt multiplicatis ad ęqualitatem non cōpensatur) posse ad æqualitatem compensari per res graves inferioris ordinis (id est quæ, judiciô Prudentum, quamtumvis multiplicatæ ad æqualitatem non compensant res alterius ordinis) vt v.g. per infinitos aureos vnus gradus gratiæ & homicidiū aut

corporis

corporis humani mutilatio, res sacra vt talis &c; & hinc res sacras vt tales & beneficia Ecclesiastica esse venialia. 2. res Prudentum judiciô appretiativè improportionabiles posse prudenter inter se pretio commensurari, vt vita gratię & vita naturæ, privatio gratiæ & privatio vitæ naturalis ; honorem autem verum & vitam hominis naturalem, tam esse Prudentum judiciô appretiativè, improportionabiles, quàm sint ista, videtur manifestum. Unde consequenter, quia diffiteor à quoquàm ista duo probari posse, puto *Conclusionem conclusionum* D. Caramuelis esse manifestè falsam, nec eum doctè de illa dixisse, *solam esse veram, & oppositam esse improbabilem censemus omnes docti:* sed è contra dicere debuisse, *illam esse improbabilem, & oppositam solam esse veram, censemus omnes docti.*

Non stabit similiter alia ejusdem resolutio, quam n. 616. maluit, probabilem supponere, quàm, an talis sit, examinare; nisi simul supponat Nobilem alapâ vel fuste percussum, posse percussorem fugientem, quem clarè videt subitò post percussionem in amentiam incidisse, non obstante amentiâ, insequi, vulnerare & repercutere ad honorem recuperandum, quem per receptam alapam aut fustem perdidit. 2. vulnus ac repercussionem esse ejusdem, vel saltem æqualis, ordinis, cùm amisso honore. 3. aggressionem censeri ad vulnerandum aut repercutiendum sufficientem, quamdiu de aggressore verum est, *percussisse & injuriam illatam nondum restituisse.* Hæc autē falsò supponeret, vti ex statim dicendis patebit. Jgitur sit à ratione (nam oppositum olim authoritate aliquâ nitebatur, vt videre est apud P. Dicastillo locô supra citatô; imò noster Lezana locô etiam supra citatô sententiam relatam (incipiendo à verbo *ergo saltem*, vsque ad *vnde licebit*) sustineri posse inter sæculares & mundanos dicit, valdè multis pro n. 8. ibid. citatis; non verò inter Ecclesiasticos, maximè Religiosos) tam pro sæcularibus & mundanis, quàm pro Ecclesiasticis, maximè Religiosis, opposita resolutio. 623

RESOL-

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

624 Dico 1. non licet injustum invasorem honoris & famæ occidere.

625 Probatur 1. quia, etiam dissimulatis circumstantijs (quod procul dubio petit D. Caramuel; vndè à Diana tom. 11.t.1.resol.2. & alijs non dissimulantibus, ei non satisfit) ab eodem Caramuele adjectis; vti 1, *si Respublica protegere & defendere nolit, aut nequeat.* Hæ enim circumstantiæ casum in praxi moraliter, prout ipsæ sunt moraliter impossibiles, impossibilitant; nam vbi & quando, positâ gravi, ac ideò publicâ, famæ læsione, hæ reperiuntur? Privata enim moraliter levis est, ac proinde privatim infamans, leviter solùm lædit; & D. Caramuel conclusionem suam ad leviter tantùm lædentem extendere non auderet. 2. *Si suum honorem verè tueri possit, occidendo Albericum, non aliter;* sed vbi similiter, & quando, id in publica infamatione contingit: Quis Iudex nolet, vel non poterit talem infamatorem punire? Profectò cùm hæc à D. Caramuele falsò supponantur, securiùs ipse doctrinam oppositam, (præsertim intuitu Ecclesiasticorum & Religiosorum, de quibus ibi) quam malè censet *improbabilem*, tueretur; & suam, vt in praxi moraliter impossibilem, Iudicibus injuriosam, ac in Republica detestabilem abjiceret.

626 Probatur, inquam, etiam istis circumstantijs dissimulatis; quia ille contra justitiam commutativam peccat, qui ab alio dãnificatus, rem restitutioni damni improportionatam, invitô dominô vsurpat; atqui damnificantis vita (sive dicatur altioris ordinis vero honore, qui ex virtute Deo grata hominem apud Deũ reddit gloriosum, de quo quæstio est, & non de fucato, qui ex vitio Deo displicente hominem apud mundanos solùm fucatè gloriosum reddit, & spontè abjici debet; sive inferioris ordinis, cùm simpliciter melius sit vitam propriam perdere, quàm illum amittere, quâdam majoris pretij proportione, de qua S. August. serm. 19. de verbis Apost. *Melius est Iustum esse, quàm hominem esse.*) est restitutioni damni honoris veri improportionata, & à damnificante

nificante invito vsurpatur; ergo &c. major patet; quia justitia commutativa dictat servandam æqualitatem inter rem & rem, quæ tum non servaretur: Probatur minor; quia alterutrum est indivisibiliter superioris ordinis; sicut autem inter indivisibilia superioris & inferioris ordinis nulla æqualitas; imò nequidem inadæquata appretiatio, ac per consequens nec justitiæ proportio; ita nec inter vitam & honorem verum; ergo vita &c.

Probatur 2. non licet homini se, statim post confessionem moraliter bonam, occidere, vt in Dei gratia moriatur, *Si hac aliter &c.* ergo nec alterum occidere, vt vivat in honore vero. Consequentia tenet à fortiori; quia cæteris paribus, *si aliter non possit* &c. semper melius est homini mori in gratia, quàm præcisè vivere in vero honore, prout à gratia condistinguitur. Assumptum patet ex Augustino statim citato & *Dub.* 21. *Resol.* 1. 627

Probatur 3. Vel ille, qui ad mentem D. Caramuelis alterius honorem aggreditur, vitam illius moraliter aggredi censetur, vel non? Non hoc secundum; quia alioqui infamator ab infamato evidenter injustè occideretur; vnde non licere furem diurnum, sive publicè temporalia furantem occidere, communiter docent Doctores. Si verò primùm; sequitur, quòd sicut infamator ille censetur vitam infamati aggressus & furatus, ita censeri possit infamati pecunias aggressus & furatus (quia tam hæ, quàm honos ille, vitæ comparari possunt;) ac proinde sequitur, quòd infamato perinde sit, & æquè licitum, infamantis pecunias aggredi, & acceptas non restituere, quàm vitam; quod communissimè negant Doctores ob improportionem pecuniarum ad verum honorem quà talem restituendum; ergo &c. 628

Probatur 4. ille, qui alterum occidit, aut ad mortaliter peccandum traxit, alioqui certè non peccaturum; non potest damnum vitæ spiritualis aut corporalis à se illatum justè compensare quantâcumque pecuniâ, sive spontè traditâ, sive vi à se ereptâ; quia ista in Prudentum æstimatione sunt ordinum omninò disparatorum; ergo nec ille, qui alterum infamavit, cæteris paribus, potest damnum illatum justè compensare, sive vitâ spontè datâ, sive vi sibi ereptâ, ob eamdem rationem. 629

Probatur 5. Commutationes rerum superioris ordinis cum rebus inferioris ordinis, vt v. g. beneficiorum Ecclesiasticorum 630

Ee cum

cum pecunijs,sunt contra justitiam commutativam; ergo & compensationes rerum superioris ordinis per res inferioris ordinis, vt v.g. veri honoris per vitam; quia ob dicta *Prob*. 1. puto hanc esse debere inferioris ordinis, & verò honori vt sic postponendã: consequentia tenet à pari; neque absolutè admitti potest, quin sequatur simoniam esse jure naturæ licitam.

631 Probatur 6. non ob aliam rationem, viro deprehendenti adulterum cum sua vxore peccantem, jure naturæ prohibitum est ipsum in adulterio occidere, quàm quia reipsâ non est vitæ viri istius aggressor, sed bonorum à vita disparati ordinis, honoris videlicèt & fidelitatis thori matrimonialis; inter quæ & adulteri vitam non potest esse justa & ad æqualitatem commutatio; atqui id ferè omnes Doctores adstruunt; ergo consequenter adstruere debet D. Caramuel, jure naturæ esse prohibitum occidere &c. vtpotè vindictam authoritate privatâ quæsitam, & honorem ex vindicta illicita conquisitum.

632 Probatur 7. Sicut jure naturę tibi nõ licet occidere furẽ, qui ablatũ totum tuũ thesaurum, abiens permisit cadere in mare: quia, cùm iam totus thesaurus perierit, & fur abeat, rem tuam moraliter non invadit, & consequenter nec vitam; licèt, vt restituat, eũ detinere possis, & tu sęcularis authoritati publicę tradere ad vindictam: ita nec jure naturę licet furem honoris, abeuntem saltem, occidere; quia, cùm jã honos perierit, & fur abeat, vt supponitur, honorem tuum moraliter non invadit, & consequenter nec vitã, dum huic illum æquiparas; licèt vt restituat, eum detinere possis, & tu sęcularis authoritati publicę tradere ad vindictã. Quòd si replicet D. Caramuel, supponi authoritatem publicam nolle, nec posse vindictam sumere. Nil refert, quia cùm fur abeat, moraliter non censetur ampliùs honorem invadere; aut certè, stante hôc supposito de authoritate publica, multis annis censeri poterit illum invadere, & à diffamato occîdi; quod non dicet, vt spero, D. Caramuel, ob rationes à n. 641. adferendas.

633 Confirmatur 1. quia opposita sententia occasionem dat infinitis hominum cædibus injustis, ac totius Reipublicæ perturbationibus continuis, quæ cùm per se, & non solùm per accidens, ex istiusmodi sententiæ materia sequantur; sententia illa (cùm in moralibus vel vnica circumstãtia mala totam materiam vitiet) dici

dici debet, non solùm in praxi, sed & speculativè (vt rectè notat Em. Lugo de Jure & just. disp. 10. sect. 10.) improbabilis, ac per se vitiosa: ergo &c. Unde miror, quod P. Dicastillo minùs distinctè & restrictè, quàm P. Amicus, sequentem Assertionem ponat, de Just. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 5. n. 66. *Assero 3. pari ratione pro defensione honoris injustus aggressor occidi poterit, v. g. similis aliquis, aut vir Nobilis, ab altero invaditur, nec potest fugam capere sine ignominia, non tenetur fugere; sed potest aggressorem pro defensione sui honoris percutere & occidere, si aliter à rixa cessare noluerit.* Sed magis miror, quòd D. Caramuel sententiam suam ad Ecclesiasticos & Religiosos extendat; cùm horum vocatio sit, specialiter imitari Christū, *Qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè.* 1. Petri 2. Item honorem ponere, non in vsu armorum, sed virtutum, charitatis, humilitatis, patientiæ & mansuetudinis, vt religiosè D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 4.

Gravis quidem est Authorum oppositæ sentētiæ objectio hęc. *Sicut licet bona fortunæ tueri, occisione injusti invasoris; ita & honorem, qui est illis multò nobilior ac superioris ordinis, occisione injusti invasoris.* Sed omninò neganda est sequela, ob rationis disparitatem: nam, quia bona fortunæ per se ordinata sunt ad vitam conservandam, qui illa aggreditur, in casu, quô facilè recuperari non possunt, nisi injustus aggressor occidatur, censetur possessoris vitam aggredi; ac proinde, sicut hanc, licet illa tueri, contra injustum invasorem, quantum satis est, vt repellatur at cùm honos ex vna parte, non sit per se ordinatus ad vitam conservandam, qui illum aggreditur, non censetur vitam aggredi; nec proinde contra illum agi potest tamquàm contra vitæ aggressorem; ex alia autem parte, si honos supponatur altioris ordinis vitâ, mille vitæ, imò etiam infinitæ, non poterunt illi commensurari: ac proinde non solùm vna, sed & infinitæ frustra ad illius commensuratam compensationem ab honoris aggressore auferrentur; cùm, haud secùs quàm res sacræ pecunijs, sit rebus inferioris ordinis incommensurabilis ac incompensabilis: quare auferendo vitam ad ablatum honorem compensandum, non magis servatur moderamen inculpatæ tutelæ, quàm auferendo pecunias pro vita vt vita præcisè ablāta, Corpore Christi, Reliquijs Sanctorum, occisione infantis non baptizati vt vita æterna privati &c. compensandis. 634

Unde mirum in modum decipiuntur perduelles nostri Nobiles, qui duellô honorem compensari posse putant; vt magis declaratur Resolutione sequenti.

635 Nec obstat exemplum, quod D.Caramuel n 609. opponit, sed potiùs omninò impertinens est; quia solùm probat inconvenientia non tollere veritatem speculativam, imò nec practicam, Assertionis, eô sensu, quô in casu Conclusionis ipsius, inconvenientia non tollere veritatem speculativam & practicam occisionis invasoris honoris vltrò concedimus: sed an ideò, non obstantibus inconvenientibus pro vna, quàm pro altera parte fortè majoribus, talis occisio sit moraliter licita (quod solùm in Quæstione est) non probat, nec probabit, vt contendimus; & sic patet ad ea, quæ habet n. 610. vt suô locô ex professo discutiemus fusiùs.

636 Quod verò n. 611. adjungit de mendacio, etiam videtur impertinens; quia nullus asserit mendacium esse aliquando licitum, prout ipse asserit occisionem invasoris honoris esse in casu suæ Conclusionis licitam: an verò sine injustitia, licèt aliunde cum peccato, opponi possit infamationi mendacium reciprocans? Nostram difficultatem non tangit; & hoc certum, quòd tale mendacium sit ad honoris compensationem, vtpotè ejusdem ordinis cum prævia diffamatione, magis, quàm diffamatoris occisio, proportionatum; vnde fallitur D.Caramuel ajens, *Sic discurro. Conformius rationi videtur honorem defendere gladiô, quàm mendaciô*, si, prout debet, præcisè justitiam spectet.

RESOLVTIO II.

637 Dico 2. licet quidem alapâ aut fuste percutientem, statim cum moderamine inculpatę tutelę repercutere; non tamen fugientem aut cessantem, ad honorem repercussione recuperandum ac infamiam tollendam, insequi.

638 Probatur 1. pars ex Jure Canonico *cap. 3. de sent. excom.* & 18. *de homicidio*. In quibus ex Alexandro 3. & Innoc. 3. dicitur, *Vim, quæ tunc est, vi repellere, omnes leges & omnia jura permittunt*. Lege autem 3. ff. de Jure & justitia. *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimatur*. Consonat D.Thomas 2.2. q.64. art.7. *Secundùm jura vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Et ratio

ratio est; quia jus innocentis est juri nocentis præferendum; ac proinde in casu percussionis prævalet ad repercutiendum; ergo &c.

Inferes fortè; ergo licet infamiam repercussione delere & famam percussione amissam recuperare, ac sic bona superioris ordinis per bona inferioris ordinis compensare; quod tamen Resol. 1. negatum est: ergo &c. 639

Respondeo distinguendo consequens; ergo licet infamiam repercussione vim vi repellente delere &c. concedo consequentiam; vi cessante, prout in fuga percutientis cessat, aut citrà vim corpori factam, nego consequentiam: quia tunc non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ: eò quòd læsio foret invtilis ad servandum se ab injuria immunem, vti ex probatione partis 2. & 3. statim patebit. 640

Probatur 2. pars 1. quia fugiens, eô instanti, quô fugit, vim non infert, nec reipsâ plùs percutit, quàm triginta annis post, & leucis triginta ab isto loco distans percutiat; quô tempore & locô eum alteri vim inferre, nullus sanæ mentis asseret; ac proinde asseri non debet, quòd eam inferat fugiens: vnde D. Caramuel malè supponit fugientem manere in actuali congressione, dum n. 615. ait, *Statim repercutere, sit in actuali ipsa congressione, antequàm invasor ad alia divertatur*; quasiverò fuga non sit evidens huiuscè ad alia diversionis signum; ergo &c. 641

Probatur 2. non licet furem percutere, vulnerare, occidere &c. ratione injustæ antea acceptionis præcisè; quia malefactores & eorum crimina punire, vindicare & vlcisci, est authoritatis publicæ, non verò privatæ, vt omnes omninò fatentur; & alioqui Respublica in continua esset commotione & privatis cędibus: sed ratione rei jam acceptæ, seu per furem detentæ, aut accipiendæ, nisi impediatur: atqui horũ titulorum neuter, dum fugit ille, qui percussit, substat; sed sola injusta actio, quæ fuit, & reipsa non est: ergo non licet eum, qui percussit, fugientem repercutere, vulnerare, occidere &c; idque esset actus privatæ vindictæ peccati, non verò defensionis corporis cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt patet: hinc autem vlteriùs ad casum Parochi, de quo D. Caramuel nu. 617. Respondeo, posse quidem rusticos illum percutere & repercutere, dum parat percutere, aut percutit, extra casum 642

 pruden-

prudentis correctionis, & disciplinæ servandæ necessitatem (nam Parochum hôc casu eos moderatè percutere posse, & ipsos eum repercutere non posse, constat ex Gregor. 9. cap. *Cum voluntate* & Alexandro cap. *Ex tenore.*) non tamen cum fugit ille, qui percussit; tum enim sunt alia curiæ spiritualis tentanda remedia; & primum sufficit ad retundendam insolentem alioqui Clericorum nonnullorum audaciam; ergò &c.

643 Probatur 3. pars: quia, præterquàm ex vna parte infamantis, præsertim statim fugientis, occisio, vulneratio, percussio &c, sit improportionata ad honoris ex æquo compensationem & recuperationem, vt supra vidimus; aliunde nullus subest titulus honoris à fugiente detenti, aut accipiendi, nisi impediatur; vi cujus læsus eum aggredi possit, vt detentum restituat, aut ab accipiendo desistat; sed sola honoris alterius injusta acceptio, quæ præcessit, & eô instanti, quô infamator percussione factâ fugit, non magis reipsâ est, quàm triginta annis post; ac ideò, si fugâ nihil obstante, ipsa tunc sit moraliter sufficiens titulus ad insequẽdum, repercutiendum & occidendum eum, ipsa percussio talis titulus moraliter remanebit etiam 30. annis post; nec vltrà distingui poterit inter sui defensionem cum moderamine inculpatę tutelę, & vltionem seu vindictam authoritate privatâ: imò duella licita videbuntur; quia consequenter ipsô tempore, quô perduelles & infames ex condicto pugnabunt & duellabunt, injusta invasio & aggressio moraliter perseverans censeri poterit. Ex his autem

644 Colliges, amissionem honoris ex alapa recepta, dum percutiẽs fugit, tam esse in facto esse, quàm triginta annis post fugam, si per fugam eluta moraliter non censeatur; nec aliô titulô percussum posse eum fugientem insequi, quàm vt generositatis suæ exercitio vecordiæ ignominiam eluat, si quidem cessat aggressio; attamen sicut finis ille non cohonestat exercitiũ hoc in alium ipso fugiente fortiorem; ita nec in ipsum fugientem, defectu injustæ aggressionis præsentis.

DVB-

DVBIVM XXI.

An detur casus, in quo aliquis licitè se occidere possit.

D. CARAMVEL

Theol. suæ Fund. 1. p. n. 1165.

EST quæstio gravis, An detur casus, in quo aliquis licitè se possit occidere? *Et quia ne vnum quidem legi, qui doceat posse se hominem strangulare, aut pugione confodere, volo hîc tantisper hærere, & subtiliter dialecticari.* 645

Posse reum se accusare in causâ capitali, communissima sententia est: imò sunt qui dicant dari casum, in quo se aliquis accusare teneatur, cui sententiæ insistentes ante annos paucos, in quapiam nobilissima Civitate Italiæ doctissimi Theologi obligaverunt discipulos cujusdam hæretici, vt suum Magistrum, ac per consequens, vt semetipsos (erant enim criminis complices) accusarent, vt notavit Diana part. 1. tract. 4. resol. 8. *Cùm reus damnatur ad sumendum venenum, eum posse illud sumere & ebibere, sunt qui affirment: quia non aliter potest aliquis perire veneno, quàm si id ebibat.* Cur igitur non poterit condemnari vt se strangulet; aut etiam se pugione confodiat? *Respondent, id non posse: quia, si faceret, semetipsum occideret. Bene. Sed hoc ipsum quæritur, An-ne reus seipsum possit occidere præcipiente Republicâ? Vt meliùs intelligas dubium, suppone non dari duo præcepta, alterum statuens,* Vt nemo se occidat, *& alterum,* Vt nemo occidat proximum: *sed dari vnicum præceptum simplicissimum,* Non occides. *Ergo tam teneor me non occidere, quàm non occidere proximum: & si differentia aliqua deberet admitti, strictiùs tenerer erga vitam proximi, quàm erga meam: gravius enim est diffamare proximum, quàm seipsum: gravius dilapidare bona aliena, quàm propria. Ergo valdè moderatè procedemus, si dicamus, eôdem modô teneri hominem abstinere ab homicidio sui, quô ab homicidio alterius: At est in Republicâ authoritas, vt possit carnifici præcipere, vt occîdat alterum hominem reum: ergo & erit, vt eidem, si reus sit, præcipiat, vt occîdat, seipsum, vel detur evidens & clara disparitas. Consultò evidentem & claram disparitatem postulo: quoniam si merè probabilis* 646

probabilis datur, nulla datur; est enim opinio probabilis illa, contra quam nihil adducitur, quod sit plusquàm probabile.

647 *Similitudo & consequentia postulat, ut alium casum difficilem etiam subjungam. Solicitat Antoniam Petrus, & ipsa se fragilem sentit: vim ille imponit, & ipsa periculum proximum judicat, è quo non possit probabiliter evadere innocens. Ergo, ne mortaliter peccet consentiendo libidini, cùm aliter se à Petri invasione liberare non potest, illum licitè occîdit, & vi repellit vim; & se conscientiamque suam securam reddit. Hanc tenent sententiam universi: nemo enim condemnat castam virginem, quæ lascivum invasorem interimit: nemo asserit debere illam stuprum permittere potiùs, quàm se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

648 *Sed quid dicendum erit, si non possit invasorem occidere, nec aliter ejus manus evadere quàm per fenestram exiliendo? An se præcipitare poterit, & hôc modô periculum peccandi effugere? Et quid dicendum tandem, si Antonia invadat semetipsam? Quid eô casu, quô pruriente seminis abundantiâ & urgente consuetudine peccandi, illa evidenter videat se peccaturam esse? An-ne in tali poterit casu contra seipsam procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ? Debet ponere remedia omnia, quæ ipsam securam reddant. Nempè jejunia, disciplinas, cilicia, & orationem: Quid, si omnia hæc posuerit, nec sufficiant? Sed negas casum esse possibilem; quia putas omnia mortificatione vinci, omnia oratione impetrari.*

649 *Sed quid obsecro dicendum erit, si casus possibilis sit? Quid si Deus auxilia efficacia eidem neget? Quid si Antonia hæc ipsa neganda à Deo prævideat, aut esse concedenda certò & evidenter non videat? An in tali casu poterit dicere,* Potiùs mori, quàm peccare? *An non in tali casu poterit sibi mortem consciscere? Et, si hoc non, an saltem, se poterit ita flagellis excipere aut ferire, ut excessu doloris tentatio superetur, & hoc, etsi prævideat è vulneribus his se morituram? An non in tali casu finis macerationis & flagellationis esset continentia, & morbus aut etiam mors, si fortè sequeretur, esset omninò præterintentionalis?*

650 *In Monasterio N. quispiam Religiosus Sacerdos, qui Sanctus esse vellet, & peccare soleret, tædio sui affectus, cùm se semel Deo reconciliatum judicaret, ne iterum in novas miserias laberetur, generali confessione præmissâ, & Missâ multis lachrymis recitatâ, cellam inijt: sacra Biblia aperit: & plicato folio illud Iobi* 7. 15. Elegit suspendium anima mea, *notat, laqueum collo aptat, & se à trabe suspendit. Intrat Præses rei nescius; infortunio percellitur. Suum Confessarium consulit, & ejusdem instinctu crines attondet,*

tondet, ne corona videatur; faciem vulnerat & deformat; cadaverque in fluvium, qui transit apud Monasterium, præcipitat. Nocte illud totâ aquæ fluxu subvehitur, & manè hæret in littore apud Pagum, qui distat tribus leucis. Extrahunt nudum, & vulneratum corpus Rustici: occisum à latronibus credunt, & sepeliunt. Agri erant grandini obnoxij, & annis sequentibus mirè servantur. Miraculum inclamant Rustici, & adscribunt emerso, & sepulturam ejus multo flore coronant: & tamen etiamnùm dicitur pagus à cæli inclementiâ præservari.

Hîc ego tantisper te moror, & doceri volo, quid de hoc homine judices? 651
An ne sibi mortem consciscendo peccavit? Si non; cur non peccavit? Si sic, cur illud subsequitur prodigium? An-ne discredendum est Rusticis, & cæli tranquillitas attribuenda est naturalibus causis? An-ne rusticæ devotioni potius, quàm meritis illius summersi? An ad ignorantiam invincibilem recurri potest, debetque, & dici, illum insuperabili ignorantiâ excusari? An ne in Republicâ bene gubernatâ hujus rei potest inveniri ignorantia inculpabilis? Quid igitur sentiendum aut dicendum?

AVTHOR.

PRincipia, quibus D. Caramuel in primo casu vtitur, ad probandum in omni Republica esse authoritatem Reo præcipiendi, vt seipsum occidat, falsa sunt. 652

Primum eorum est: *Tam teneor me non occidere, quàm non occidere* 653
proximum; & si differentia aliqua deberet admitti, strictiùs tenerer erga vitam proximi, quàm erga meam &c. Hoc enim principium, cæteris paribus, esse falsum, evincunt opposita juris naturæ principia, *Cæteris paribus melior est conditio possidentis. Dilectio sui est regula dilectionis proximi.* Si enim tenear, cæteris paribus, me potiùs, quàm proximum occidere, ac sic me potiùs perdere, vt proximum servem, quàm è contra; non est in quo vitæ meæ possessio conditionem meam hîc & nunc melioret, & cur dilectio proximi non sit regula dilectionis mei; nisi dicat 1. Possessionem meam in eo meliorari, quòd, cæteris paribus, debeam potiùs me perdere, quàm proximum. 2. Perditionem mei esse regulam dilectionis proximi, quâ hunc debeo diligere, sicut meipsum; ac sic proximum potiùs perdere, quàm meipsum, sicut per ipsum debeo potiùs me perdere, quàm proximum; quæ nec capio, nec possum.

 Proba-

654 Probationes autem duæ de diffamatione sui, & dilapidatione bonorum proximi, quibus id probat, non sunt ad rem; quia non sunt de *non meo* & *non suo*, sive de vita quam administro, & vita quam administrat proximus, quarum solus Deus author & dominus est; sed transeunt à *meo* ad *alienum*, in quo, nil vincente sui dilectione, justitia vetat vti re alienâ invitô dominô, quod hic fieret; non item ibi, ideoque ibi attendere sufficit, quid charitas & possessio exigant.

655 Secundum. *Eôdem modô* (subaudi & *non aliô*, aliàs nil concluderet) *tenetur homo abstinere ab homicidio sui, quô ab homicidio alterius.* Hoc Principium, similiter est falsum; quia sequeretur hominem non aliô modô teneri abstinere ab homicidio sui, quàm ab homicidio innocentis in justo bello, Rei post sententiam Iudicis (si carnifex,) injusti invasoris &c., quæ sunt erronea: si verò addat, vt debuit, *post sententiam Iudicis*; ita nempe quod, sicut illâ positâ, ab homicidio alterius abstinere non debet, neque eâdem positâ ab homicidio sui abstinere debeat; hoc ipsum est probandum: vnde duobus allatis Principijs, D. Caramuel intentum non probat.

656 Pergit D. Caramuel ad alium casum, in quo supponit Antoniæ licere Petrum vim ipsi imponentem occidere, ad servandam pudicitiam, si ipsa periculum proximum judicat, è quo non possit probabiliter evadere innocens. Hanc quidē sententiam, propter multorum Doctorum authoritatem, ab extrinseco valdè probabilem puto: verumtamen, quia aliunde de pudicitia (præscindendo à consensu in peccatum) & honore salvando, pariformiter philosophandum arbitror, oppositum defendam consequenter, rationum pondere nixus. Igitur sit

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

657 Dico 1. in omnium ferè sententiâ (oppositam enim novissimè defendit P. Ioan. Poncius dis. 57. q. 4. n. 18. Arragonius autem, Victoria, Corduba & nuper Dicastillo de Just. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 17. docent, justè damnatum, vt veneno tollatur, posse venenatum poculum in finem illum sumere: & aliunde,

de, quod jugulandus possit eô fine scalas ascendere, ambigit nullus) suicidium quodcumque directum est illicitum: ne tamen aliquis, exigente notabili bonô communi, authoritate publicâ justè præcipiente, seipsum occidere possit, ne alioqui Respublica notabile damnum patiatur; aut ipse authoritate publicâ multò immaniùs ac crudeliùs sit certò occidendus; à ratione præcisè convincens argumentum non apparet.

Probatur: quia (præterquàm talis non peccet: 1. Contra pręceptum *Non occides*; quia authoritate publicâ nocentem occidit. 658
Nec satisfacit Diana tom. 11. tract. 6. Resol. 50. docens, Superiorem non posse suicidium præcipere propter nimiam crudelitatē; quia hujus ratio quæritur, cùm incomparabiliter crudeliorem, vt vivi lentam combustionem, infligere possit, & aliunde Superior in eo vices Dei, id ob tale delictum præcipere potentis, gerat. 2. Neque contra charitatē sibi debitam; quia charitas non obligat, vbi justitia & obedientia Superiori debita aliud postulant: *Melior enim est obedientia, quàm victima*: imò potiùs oppositum videtur contra charitatem, vbi equidem Reus alioqui multò crudeliùs sit certò occidendus.) Istô casu in Reo absolutè cessat jus vitæ suæ conservandæ; nam melior est conditio Reipublicæ jus adversum possidentis; hæc autem jus, quod habet, quantum est ex parte sua, in Reum aut alterum transferre potest, æqualitate inter pœnam & delictum servatâ, sive crudelitate suicidij, diminutione pœnæ, cōpensatâ; quia, quamdiu æqualitatem servat, in rigore juris naturæ, iustè agit; nec vllū jus positivum, ne agat, opponitur; ergo &c.

Confirmatur: quia (præterquàm ex illa sententia sequi non possint inconvenientia) justa esse potest hęc disiunctiva sententia Rei, qui vivus comburi meruit; *Aut vivus comburatur in turri inclusus; Aut ex illa se præcipitet certò occidendus, si maluerit*: atqui hoc casu potest Reus se ex sententia Judicis præcipitare, vt mortem acerbiorem vitet; ergo & se occidere: Deinde excusantur illi, qui certò submergendi navim incendunt, ne ab hoste capiatur; quidni ergo Reus in eadem constitutus, id per sententiam Judicis posset, & sic de multis alijs. 659

Adde tamen certam esse omnium Doctorum sententiam, quòd nemo authoritate privatâ, etiam ad peccatum vitandum, se occidere possit. Unde Augustinus *lib. 1. de Civit. Dei cap. 26. Hoc di-* 660

 cimus,

cimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hôc incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ hâc vitâ magis opus est, vt possit pœnitendo sanari; neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur; quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit. Sed difficultas est, an vrgentem ad peccandum occidere possis, si videas te consensurum in malitiam formalem, si materialem, quam citrà illius occisionem vitare non potes, admittas? Respondeo negativè; quia, cum per te stet non consentire, quòd consentias, tuæ malitiæ tribuere debes; non enim satis apparet, cur liceat alterum occidere ad removendum proximum peccandi periculum; aliàs infamatorem injustum, judicem iniquum &c., dum causarent proximum periculum odij, desperationis &c: liceret privatâ authoritate occidere; & sic consequenter honoris aggressorem eâdem authoritate occidere; quòd, vti & illud, tamquàm Reipublicæ capitale malum, ab omnibus abjurari debet.

RESOLVTIO II.

661 DIco 2. non licet Antoniæ Petrum injustū pudicitiæ suæ invasore, & multo minus se ipsam gravissimis tentationibus invasam, occidere, etsi aliòqui moraliter non sit evasura innocens.

662 Probatur ex S. Augustino lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. *De pudicitia verò quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est, vnde à violento stupratore eripi nec ipsa potest: quidquid igitur erepturus erat ille, qui occiditur, id totum in potestate nostra non est: quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intelligo: quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici* (prout adulteros à proprio viro cum vxore deprehensos;) *sed quô pactô istos defendam* (potius quàm virum, qui adulterum cum vxore deprehensum jure naturæ illicitè occidit,) *qui interficiunt, non invenio.* Quia scilicet minus malum videtur consentire in materialem actum turpem, cum periculo consensus in formalem, quàm formale homicidium admittere; vt vidimus n. 660. in fine; ergo &c.

663 Confirmatur: verus honor quantumvis originatus ex pudicitia, defendi

defendi non poteſt, occiſione injuſti invaſoris, vt patet ex præmiſſis *Dub*.20. ergo nec pudicitia,quę eſt tali honore vero & apud Deum glorioſo inferior.

Dices: actus impudicus ſemper habet annexum peccandi periculum; & propter hoc ſolùm virgo pro ſalute Reipublicæ Tyranno defloranda tradi non poteſt; ſecùs occidenda,etiam à ſeipſa; quia hîc periculum illud ceſſat: ergo melius eſt, Antoniam innocentem ſeipſam, aut ſuæ pudicitiæ invaſorem Petrum occidere, quàm periculum illud ſubire. 664

Reſpondeo conceſsô antecedente, diſtinguendo conſequens, ergo melius eſt authoritate publicâ Antoniam ſeipſam, aut Petrū invaſorem occidere &c., concedo conſequentiam; Authoritate privatâ, de qua procedit Reſolutio, nego conſequentiam. 665

Sed quęres,cur melius non ſit tradere virginem,vt illud periculum ſubeat, quàm vt occidatur; cùm equidem virgo in caſu Reſolutionis,ſe tradere debeat,vt periculum ſubeat, potiùs quàm injuſtum ſuæ pudicitiæ aggreſſorem occidat? 666

Reſpondeo; quia peccatum, tam eſt authoritati publicæ, quàm privatę, prohibitum: nec fornicatio formalis, cujus periculum ſupponitur, vllo fine cohoneſtari poteſt, ſecùs homicidium: quòd verò virgo ſe debeat potiùs ad illud ſubeundum tradere, quàm injuſtum ſuæ pudicitiæ aggreſſorem occidere; Ratio eſt, quia ſolùm injuſtum vitę aggreſſorem, authoritate privatâ, occidere licet; vnde occidere vt ſic eſſet peccatū multò gravius, quàm tale periculum ſubire: neque hinc aperitur via ad ſimiles nequitias; 1. quia, vt claudatur, leges Civiles impunè, teſte Augiſtinô ſupra, permittunt tales occidi, quod (prout de deprehenſis in adulterio omnes fatentur) juſtè pro bono cōmuni ſtatui potuit. 2. quia graves ſunt pœnæ ſimilibus decretę. 3. poſſunt filiæ, quæ ad tales actus injuſtè invaduntur, id omne in conſcientia præſtare contra injuſtū invaſorem, quod Lex Divina, authoritate privatâ, fieri permittit; ſicut tamen hæc non permittit illas in invaſione ſimili ab intrinſeco, ſeipſas occidere, ita nec invaſorem extrinſecum; excederetur enim manifeſtè moderamen inculpatæ tutelæ, eò quòd, invaſione iſtâ non obſtante, tuta maneat vita; quòd verò pudicitia lædatur, nil ad vitam, quæ vitæ commenſuratur, non pudicitiæ; ac proinde hæc malè vitâ alterius æſtimatur. Ex his autem 667

668 Evidens est in Casibus à D. Caramuele à n. 647. ad 651. imprimis Antoniam fore homicidam sui: Monachum autem illum, aut divinô mandatô se suspendisse, aut fore, vt re bene examinatâ, in toto decursu nullum verum miraculum deprehendatur.

DVBIVM XXII.

An consentientem filium Pater castrare possit, vt voce & cantu Ecclesiæ serviat, aut etiam vt careat tentationibus carnis, si se imparem resistendo cognoscat.

D. CARAMVEL

Theol. suæ Fund. 1. p. n. 1156.

669 *Proposuit mihi duas quæstiones quidã Theologus eruditissimus ex Ordine Carmelitarum excalceatorum, & quia mihi non satisfeci, cùm ei volui, illas meo Lectori repono.*

670 *Prima est,* An consentientem filium pater castrare possit, vt voce & cantu Ecclesiæ serviat? Secunda, an se aliquis castrare possit, vt careat tentationibus carnis, si se imparem resistendo cognoscat?

Veræ sententiæ fundamenta.

671 *Sed ex quibus principijs debet hæc difficultas solvi? Non ex alijs existimo, quam ex ipsissimis, quibus vtuntur Adversarij, qui videntur, aut non bene illa perpendisse, aut dialectico occulto aliquo morbo laborare. Sit igitur*

672 *Fundamentum* 1. Homo non est dominus suæ vitæ. *Patet, quia quidquid Ethnici dixerint, aut fecerint, certum est Suicidium interdici in Decalogo.*

673 *Fundamentum* 2. Homo non est dominus suorum membrorum; adeoque dominij nomine non poterit vllum excidere, etiamsi membro illo carere possit. [*Hæc vltima verba addidi, quia caput, etsi homo*

homo esset membrorum dominus, non posset excidere; sed hoc ex alio diverso capite; nimirùm, quia vita non est dominus, nec potest sine capite vivere.] Oritur ex præcedenti hac assertio: nam si esset dominus membrorum & non vitæ, non posset vllum excidere cum vitæ dispendio, at cessante mortis certitudine (aut saltem periculô) posset.

Fundamentum 3. Homo est vsufructuarius vitæ suæ. *Patet: esset enim nimis infelix, si inter alias miserias quibus inficitur, etiam haberet hanc, quòd esset vitæ suæ mancipium, illiq; deberet vniversa præponere: habet enim homo etiam infamis animam, quam debet præponere vitæ; & Nobilis honorem, quem pretiosiorem vitâ fatentur omnes, qui ex bonis parentibus nati. Hinc est, hominem non posse vitam prodigere, posse expendere, quod fecerunt Martyres, faciunt & milites, & suô etiam modô Confessores, qui vitæ annos austeritate & rigore monasticæ conversationis abbreviant: corpus enim Antonij, Pauli, Hilarionis &c, Augustini, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Ignatij &c. non vt medici, sed vt Monachi Religiosi tractarunt.* 674

Fundamentum 4. Homo est vsufructuarius sui corporis. *Patet: quia concessô vsufructu vitæ, vsusfructus corporis negari non poterit.* 675

Fundamentum 5. Vsufructuarius debet vti re illæsâ substantiâ. *Vtitur illæsâ substantiâ, cùm ad melius. Quam ob rem [N. B.] qui locat hortum, potest putare arbores, non solùm in casu extremæ necessitatis, nimirùm, si debeant aliter illæ perire: sed etiam in casu quo imputatæ nullum aut malum fructum ederent, & multum & bonum putatæ.* 676

Consequentia 1. Cùm igitur melior sit cantor, qui eunuchus: colligitur, pueros posse ad conservandam vocis suavitatem castrari. *Patet, nam adversarij ipsi non negant magni debere fieri vocis excellentiam, vocis securitatem, stipendij opulentiam, & apud Reges & Principes authoritatem. Et hæc consequentia satisfacit quæstioni primæ.* 677

Consequentia 2. Cùm etiam non jam maximi, sed summi debeat fieri conscientiæ tranquillitas & securitas; colligitur, hominem, qui aliter nescit carnis tentationes superare, posse seipsum castrare, vt vel sic reddat suam salutem securam. *Colligitur ex præcedentibus.* 678

Dices, *Melius est nubere, quàm vri, dixit Paulus; melius est castrari quàm vri, non dixit: ergo in tali casu nubere debet, se autem castrare non debet; imò nec potest.* Et Respondeo, *Paulum agere de hominibus, qui possunt matrimonium contrahere; non de illis qui voto solemni, aut alio legitimo impedimento* 679

pedimento sunt incapaces, vt id contrahant; & hinc noua oritur difficultas, quæ rogat, An Adolescens cælebs, qui potest matrimoniô legitimô incendium concupiscentiæ extinguere, possit matrimoniô relictô ad remedium castrationis recurrere? *Nolo omnia soluere, & ideo inter alias hanc etiam quæstionem Lectori decidendam relinquo.*

AVTHOR.

680 DOm. Caramuel *veræ sententiæ*, vt ait, fundamenta expendens, hoc jacit tertiô locô, *Homo est vsufructuarius vitæ suæ.* Quartô autem, *Vsufructuarius est sui corporis.* Quintô denique, *Vsufructuarius debet vti re, illæsâ substantiâ. Vtitur illæsa substantia, cùm ad melius.* Ex istis autem fundamentis

681 Colligit 1. D. Caramuel, *posse puerum ad conseruandam vocis suauitatem castrari. 2. hominem, qui aliter nescit carnis tentationes superare, posse seipsum castrare, vt vel sic reddat suam salutem securam.*

682 Sed contra; hæc duo, quæ D. Caramuel ex præjactis istis fundamentis colligit, sunt imprimis contra Canonem 1. Concilij Nicæni & 22. Apostolorum, qui sic habet, *Si quis sibi ipsi virilia amputauit, Clericus non efficitor; sui enim ipsius homicida est, & inimicus creationi Dei.* Jdemque dicendum est, siue per se, siue per alium se castrauerit, vt consideranti patebit: Deinde ista duo corollaria omninò restringi debent juxta necessariò faciendam præjactorum fundamentorum restrictionem; non enim homo est simpliciter vitæ & corporis sui vsufructuarius, vt malè supponit D. Caramuel; sed secundùm quid & restrictim ad vsum & non vsum, inviolabili lege Dei, absoluti corporis humani Domini, præscriptum (quidquid sit de aliorum bonorum inferiorum vsufructuarijs juxta Leges Ciuiles;) sicut autem homo ex lege Dei fornicari non potest, etiam ad vitandam mortem (quidquid dissimulent leges Ciuiles;) se occidere, ad vitandum peccatum mortale, quod timet; aliena furari, ad acquirendum statum honorificum, & similia: ita ex lege Dei se castrare non potest, aut, vt ab alio castretur, consentire, ad vocis suauitatem, vitandas tentationes &c; quia, præterquàm non vincitur tentatio, succumbendo grauiori, v. g. consensus in actum turpem, suicidiô; nil *prodest homini si totum mundum lucretur* (quid igitur, si suauitatem vocis, & hinc bona tempo-

temporalia provenientia, dumtaxat?) *animæ verò sua detrimentum patiatur*: nam Christus ait Ioan. 14. *Qui servat mandata, ille est, qui diligit me.* Nusquàm autem reperitur Dei mandatum de procuranda vocis suavitate: aut tentationum victoria, per castrationem corporale; & è contra Dei mandatum reperitur de non occidendo hominem, castrando, mutilando &c. extra casum necessitatis ad totum conservandum; vt patet ex *Canone* statim citato, c. *Significavit de corpore viriatis*, Can. *Si quis abscidit* 4. & Can. *Qui partem* 6. *dist.* 55. Quid si supponatur fornicatio hîc & nunc necessaria ad conservandum hominem ab occisione gladij, & necessaria castratio ad conservandum, mediâ suavitate vocis, Musicum ab occisione famis? Nihil refert; quia sunt casus rari & per accidens, in quibus Dei lex *de non occidendo* non cessat, juxta præmissa Dub. 18. contra D. Caramuelem, & Dianam; qui vltimus, dum hîc pro, ibi contra nos resolvit, ne in hoc casu sibi contrarius esset, seipsum sibi conciliare debuisset.

Deinde manifestè falsum est, *quòd ille*, qui se castrat, *vtatur illæsâ substantiâ, cùm ad melius*: quia alioqui, præterquàm abscindat perfectionem corporis quôvis pretiô temporali irrecuperabilem, dum sibi vitam mortalem in toto, vel saltem in parte ad immortalem eriperet, vteretur vitâ illæsâ substãtiâ vitæ quia foret ereptio ad melius; quod solus fatebitur insipiens, & qui destructam vitã illæsam dixerit: quòd verò de ramorum incisione adfert Caramuel, non est ad rem; sive, quia parvô pretiô, totum perfectius supplantando, recuperari possunt; sive, quia ex incisione illa sæpè exurgunt rami in substantia perfectiores, & totum in sua integritate magis perficientes; quæ ibi in castratione contingere non possunt. Quarè sit 683

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

DIco 1. Non licet patri filium consentientem castrare, vt voce & cantu serviat Ecclesiæ. Ita penè omnes Doctores; mihique, salvô meliori judiciô, opposita videtur erronea. 684

Probatur 1. ex Canone 22. Apostolorum, & Nicæni 1. supra 685

 num.

n. 682. citato. 2. ex SS. Patribus, Augustino lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Basilio lib. de virginitate circa finem. Chrysost. Homil. in cap. 3. Matth. & alijs apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 6. Baronium tom. 2. Annal. ad an. 268. vbi Origenem damnāt, quòd sibi virilia amputarit, vt meliùs Deo serviret; non verò solùm, quod vilius, vt temporalia sibi compararet, vti in casu allato. 3. Ex eo quòd castratio sit partiale seu inchoatum homicidium, quod etiam spe vitæ immortalis illicitum est, & à Deo prohibitū, vt patet, tum ex Augustino n. 660. citato: tum ex præmissis n. 682. Vnde 1. Braccarense Concil. cap. 34. absolutè pronuntiat, *Placuit, vt hi, qui, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quôlibet modô violentam sibiipsis inferunt mortē, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat &c.* 4. Ex eo, quòd alioqui propria hominis membra essent ex natura rei sub abscissione venalia, prout sunt vitulina in macello, si propter lucrum ex suavitate vocis è corpore humano exscindi possent; illud autem vel ipse horret auditus. 5. Quia non magis homo est dominus partis sui corporis, quàm totius, cujus eum non esse Dominum, supponit D. Caramuel; ergo &c.

RESOLVTIO II.

686 Dico 2. non licet se castrare, magis quàm se occidere, ad resistendum tentationibus, vbi quis se imparem resistendo cognoscit. Ita Patres supra, ac Doctores communiter.

687 Ratio sumitur ex Resol. præcedenti & præmissis ad fundamenta D. Caramuelis: si tamen per impossibile necessarium esset, aut se castrare, aut peccaminosè tentationi carnis consentire; non solùm putarem in hoc casu melius se castrare, sed & in alio simili melius se occidere; quia hoc in aliquo casu est licitum, vt *Dub.* 20. *Resol.* 1. vidimus; illud numquàm, vt nos supra n. 682. ostendimus contra D. Caramuelem. Ex his autem

688 Colliges Christum Matth. 19. dicentem. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, qui potest capere capiat.* Intelligi debere de castratione spirituali, per votum v. g. castitatis; non de castratione carnali; vt manifestum est ex Apostolorum Canone 22. supra, & 1. Nicæni Concilij. Vide Dianam tom. 11. tract. 1. resol.

1. resol. 23. vbi, licèt à Caramuele propositam difficultatem non evacuet; doctè tamen vtramque nostram resolutionem confirmat.

DVBIVM XXIII.

An qui dedit pecuniam mutuam pro duobus annis v. g., possit aliquid præter sortem recipere, præcisè ratione obligationis non repetendi ante duos annos.

D. CARAMVEL

Theol. fun. Fund. 1. p. n. 1265.

Altera difficultas occurrit, quando quis dat mutuò mille scuta, obligans se ad non repetendum illa tantò tempore: & quærunt, an sit vsura petere pretium pro hoc gravamine? Ratio dubitandi est; quia si iste reciperet aliquid supra sortem, reciperet ratione mutui, nec posset ab vsura excusari. Confirmatur, quia quandocumque datur mutuum, datur non repetendi obligatio, saltem quæ respiciat aliquot dies. Ergo, si propter obligationem non repetendi, pretium aut Canon exigitur, pretium exigetur pro mutuo: hoc est absurdum: ergo. 689

Verùm ad hoc poterit responderi; obligationem non repetendi esse pretio æstimabilem, si sit pro longo tempore. Et per consequens posse accipi pretium pro illa, quin committatur vsura. Hoc docent Thomistæ, quia talis obligatio est pretio æstimabilis. 690

Ad rationem dubitandi Respondetur, in hoc casu non recipi pecunias pro mutuo; sed pro obligatione non repetendi datas pecunias multò tempore. 691

AVTHOR.

DOm. Caramuel hîc non videtur attendisse, 1. obligationem non repetendi mutuum ad longum tempus, se habere ad obligationem non repetendi mutuum ad breve tempus (quam saltem, mutuum vt mutuum essentialiter importat; vi cujus pro- 692

 inde

inde nil magis vltra sortem accipi potest, quàm vi mutui vt mutui ; 9) sicut se habet mutuum in materia magna, ad mutuum in materia parva (quam saltem mutuum vt mutuum essentialiter importat:) 2. Quod ideò, sicut obligatio non repetendi magnam materiam supra parvam præcisè, non est supra mutuum tale vt mutuum pretiô æstimabilis; ita nec obligatio non repetendi ad longum tempus, supra breve præcisè, sit supra mutuum tale vt mutuum pretiô æstimabilis; alioqui eâ ratione, quâ esset pretiô æstimabilis, quæcumque ad minimam materiam, vel minimũ tempus, esset proportionaliter pretiô æstimabilis; ac sic, cùm mutuum essentialiter aliquam includat, mutuum supra mutuum, & consequenter idem supra seipsum, esset pretiô æstimabile, quod manifestè repugnat. 3. Quòd obligatio non repetendi mutuum (sivè ad longum, sivè ad breve tempus, quod impertinens est) sit vel non sit pretiô æstimabilis, juxta materiam mutui ; vel enim illa est futura otiosa ad duos annos, quibus conceditur, vel ad annum tantùm, vel alioqui totis illis duobus annis est futura vtilis, & ad certum speratum vsum deputata? Si primum; pro obligatione istorum duorum nil plus supra mutuum accipi potest, quàm pro otio & tempore perdito, aut certè, quàm pro otiositate, infructu rei &c. supra rem, vt per se patet. Si tertium; est supra substantiam mutui pretiô æstimabilis domino suo. & pro illa vt tali, ac omni simili, licet aliquid supra sortem accipere; non tamen vi mutui, sed aliô titulô, vt patet; nec tantùm pro aliquo tempore, sed pro omni, quô est mutuum, magnum sit, aut parvum ; hincque ex primo & tertio patet ad secundum, vti & non satis pensi habere, quod D. Caramuel addit *ib. n. 1276. Iterum dico, mihi tam evidens videtur hæc sententia* (videlicet, *nihil posse supra sortem ratione mutui &c. at posse aliquid ratione circumstantiæ lucri cessantis.* Sub hoc comprehensâ præcisè obligatione non repetendi mutuum ad longum tempus, vt contendit) *vt si dares Deum, Angelum, aut quemcumque infallibilem judicem, etiam capitalem sententiam, sine vlla formidine pro defensione hujus veritatis appellarem ; Contraria enim, quidquid de authoritate & æquivocatione sit (his enim fulcris fucus collatur) stando Deo & rationi videtur omninò improbabilis.* Vertat folium D. Caramuel; nam oppositum rationi, & Authoritati conscribet verius, & ad mores rectius; nisi ipse sub lucro cessante, ibi

majorem,

majorem, quàm non repetendi mutui ad longum tempus præcisè, supponat mutuantis obligationem, & interesse gravius. Quare sit

RESOLVTIO.

693 Dico: speculativè, & practicè propter contrariam pænè omnium Doctorum authoritatem, improbabile est eum, qui dedit pecuniam mutuam, pro duobus annis v. g., posse aliquid præter sortem exigere, præcisè ratione obligationis non repetendi ante duos annos: vnde meritò Philippus de La Cruz tract. *de interesse* fol. 7. est, Dianâ teste tom. 11. tract. 1. resol. 25., à supremo Concilio S. Inquisionis prohibitus; maleque P. Bertrandus Lot. tract. 9. qu. 1. art. 4. tit. 2. in eo ei & Caramueli adstipulatur.

694 Ratio Resolutionis sumitur ex statim præmissis.

DVBIVM XXIV.

Quinam Regulares, & ad quod officium Canonicum, obligentur?

D. CARAMVEL

Suæ Theol. Fund. p. 1. n. 1095. Fund. 53.

695 *SI in aliquo Monasterio, aut congregatione (quod non scio) Moniales & Iuniores* (in sacris non constituti) *ad horarum Lectionem obligantur mortaliter; opus est, vt ibidem sit, aut inferiorum virtuale votum, aut Superiorum virtuale præceptum, aut contractus aliquis cum fundatoribus; nam aliter consuetudo non obligat.*

Idem num. 1098.

696 *Docet Azorius* p. 1. lib. 10. cap. 11. q. 4. *eum, qui horas privatim legit, modò labia moveat, & verba proferat, satisfacere, etsi ita recitet, vt nec à se, nec ab alio audiri possit: hanc sententiam pro scrupulosis admittit Fillincius* tom. 1. tract. 23. cap. 3. n. 117. *eamque docet esse probabi-*

 lem;

lem ; illisque etiam pro scrupulosis subscribit Diana p. 2. tract. 12. resol. 11. *Stante hâc Doctrinâ, Sic discurro, Nemo tenetur se audire, cùm solus legit; ergo neque duo tenentur se audire, cùm simul recitant. Patet; quia, cùm conceditur, vt legant simul, non imponitur eis nova obligatio, quâ anteà carebant; sed indulgetur, vt labor & onus dividatur. Ergò vel se debet audire, qui privatim recitat; aut qui cum socio recitat, non tenebitur audire socium.*

Jdem num. 1018.

697 *Supponendum 2. Mutationem Officij citrà causam & deditâ operâ (vt si locô Officij ferialis recitetur de Festo) tantùm esse peccatum veniale. Tuentur hanc sententiam Cajetan. Layman, Lessius* &c. *Ratio est, quia substantia præcepti de recitandis horis, est, vt septem horæ Canonicæ persolvantur; sed quòd Officium sit de feria, de Festò, vel Sancto, pertinet ad modum ejus accidentalem; ergo per talem mutationem non violatur præceptum quoad substantiam, sed quoad modum, ritus & cæremonias; ac per consequens illa transgressio, etiam citrà causam, & deditâ operâ, non est sufficiens ad peccatum mortale.*

Jdem num. 1112.

698 *An Regulares extra Chorum satisfaciant præcepto, persolvendo horas Canonicas secundùm Breviarium alterius Religionis? Tuetur partem asserentem Caramuel* &c. *Ratio, quâ inductus est, est illa, quam præseferunt verba, quæ Diana citat, videlicet, Breviarium Monasticum & Carmelitarum non differunt substantiâ, sed modô, ritu, & cæremonijs; at hujusmodi mutatio non est sufficiens ad peccatum mortale; ergo. Majorem putat certam; non enim majorem differentiam inter Officium Benedictinum & Dominicanum die Ramorum, quàm inter Feriale, & de Sancto in alterutro Breviario, reperit* &c.

Jdem num. 1128.

699 *Musici à Iejunio excusantur: at omnes Religiosi sunt Musici, nec sunt in mundo Musici, qui plùs cantent, quàm Monachi, & Benedictini præcipuè; ergo Monachi non tenentur jejunare. Quæ ratio idem de cæteris Religiosis evincit; nulli enim, qui non cantent plùs quàm sæculares. Puto quidem consequentiam legitimam; minorem certam; majorem probo, citando Sancium, Dianamque.*

AVTHOR

AVTHOR.

DOm. Caramuel hic varia proponit, quæ parum conveniunt Ecclesiasticis nonnullis, infirmitate naturę ad laxiorem vitam, vltra quàm par est, inclinatis; verendumque, ne proponendo plùs nocuerit, quàm resolvendo prodesse possit. Intereà sit, 700

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

DIco 1. tam Moniales non Laicæ, quàm Iuniores Clerici etiã in Sacris nondum constituti, statim post professionem ad horas recitandas sub mortali tenentur. Jta communissimè Doctores. Non quidem 1. vi suæ professionis præcisè; 2. nõ vi suæ Regulæ, saltem exceptis Minoritis; 3. non vi Statutorum; 4. non vi receptæ consuetudinis; sed vi professi Status Religiosi non Laici, qui desuper à S. Sede dispensationem non obtinuit, traditionis. Unde D. Caramuel ad hanc non attendens, fallit. Scio quidem P. Suarez tom. 4. de Religione tract. 10. lib. 8. cap. 2. n. 8. & 9. Societatis IESV Clericos Professos in Sacris nondum constitutos, ab obligatione horarum vi consuetudinis, excusare: sed an citrà dispensationem, sub initium ejus status Religiosi Clericalis ab illarum obligatione vi dictæ traditionis, excusari potuerint, examinatum non video; neque hîc examinandum puto. Quare 701

Probatur 1. Pars; quia alioqui Laicæ & Laici professi contra receptam omnium Doctorum sententiam, ac omnium Regularium praxim, obligarentur &c. quod dici non potest. 702

Probatur 2. Pars, quia multorum Regula, vi suâ, ad peccatum, saltem mortale, non obligat, vt constat de Dominicanorum, Minimorum, & Societatis IESV Regulis; Carmelitarum autem, fortè non aliter Iuniores Clericos, quàm Laicos, ad horas obligat; nam cap. 8. *De horis Canonicis*, sic de Laicis legitur: *Hi, qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundùm institutiones Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem*; *qui verò eas non norunt* &c. Vnde verosimiliter B. Soretius quondam Ordinis Gene- 703

Generalis & Reformator zelosissimus, in Regulam, textu 9. cap. 1. ait, *Licet autem Fratres nostri, tam Clerici, quàm Laici, qui cum Clericis dicere horas Canonicas scirent, eas dicere debeant secundùm textum Regulæ: non tamen, nisi in Ordinibus sacris existant, tenentur sub peccati mortalis offensa; quia videtur Regulæ potiùs exhortatio, quàm præceptum: si autem Prælatus præcipiat, tunc eô quòd promiserint obedientiam secundùm Regulam, & præcepti transgressio de contentis in Regula mortalis existeret* &c.

704 Probatur 3. pars: quia eadem est Statutorum & Regulæ ratio; nisi de contẽtis in regula, novum accedat Superioris præceptum, vt rectè B. Soretius statim citatus; cùm sint ipsiusmet Regulæ expositio, & ad particulares materias applicatio.

705 Probatur 4. pars (in qua potissimùm difficultas:) quia [præterquàm Caiet. V. Hora §. 1. Medina q. 7. de Oratione. Alphonsus de Castro lib. 1. de lege pœnali cap 8. Arragonius 2. 2. quæst. 83. art. 12. dub. 4. Villalobos 1. parte Summæ tract. 24. difficultate 9. vbi asserit se plures antiquos & graves diversorum Ordinum Regulares, de hac materia interrogasse, nihilque certi asserere potuisse. Bruno Chassaing parte 2. tract. 8. cap. 4. propos. 4. vbi sic habet, *Dixi in propositione insignitos charactere Subdiaconatus, illi oneri (* puta horarum sub mortali *) subjici; nam de reliquis Regularibus (si Fratres Minores excipias) non est certum, quòd illo vinculo ligentur; nam omnia argumenta, quæ adducuntur ad illud onus Regularibus imponendum, parum, aut nihil penitus probant; & consuetudo, quæ est vnum ex præcipuis, non admittitur à multis; qui autem in dubio vellet obligare ad hujusmodi onus Regulares, contra jus faceret, quod vult, vt melior sit pars possidentis.* Item Vega, Raphael de la Torre, Caramuel supra citatus, & alij, consuetudinem sub mortali ad horas dictos Clericos obligantem non agnoscant:] consuetudo obligat præcisè juxta praxim & authoritatem eorum, qui illam inducunt; nisi aliundè accedat Superioris præceptum magis obligans, vt per se manifestum est; atqui in plerisque Religionibus de hoc præcepto non constat, & si constaret, obligatio non esset vi consuetudinis, sed præcepti adjecti; & aliàs credibile non est, Moniales ac Clericos Iuniores, sub initium suæ conversionis scrupulis agitari solitos, pro majori numero ex toto Ordine in talem consuetudinem, sub mortali obligantẽ, ex se & sponte suâ conspirasse, vti debuissent; tum eô quòd nemo præsumatur, sibi velle onus, & quidẽ tantum,

tantùm, & ſub tanta obligatione, vltrò imponere; niſi declaret, & voluntariè cõſentiat; tum quia alioqui prævie ad ipſos eſſe debuiſſet obligatio dicta, & ſic aliter, quàm ipſorum conſuetudine inducta, vt contendimus.

Confirmatur: ſi Clericis iſtis & Monialibus aliquando liberum 706
fuiſſet tale onus ſub devotione ſolùm, aut ſub mortali, aſſumere; procul dubio, priuſquàm aſſumpſiſſent, illis rationes, ob quas Benedictini Ciſtercienſes, vel Moniales S. Claræ juxta Marchantium infra citandum, ab obligatione iſta diſpenſationem à S. Sede ſibi neceſſariò petendam putarunt, in mentem occurriſſent: & ſic conſequenter à conſuetudine ſub mortali, potiùs quàm ſub ſola devotione, inducenda, averſi fuiſſent; imò in eam fortè plerique Superiores non conſenſiſſent, ob rationes ſtatim præmiſſas.

Probatur 5. Pars: quia, ſicuti ex ſola Eccleſiæ Traditione con- 707
ſtat, vota ſolemnia ſolvere Matrimonium fidelium ratum, & non conſummatum; ſacros Ordines eſſe votum virtuale ſimplicis Caſtitatis; Subdiaconos & Diaconos ad horas Canonicas obligari; ita ex Traditione conſtat, Moniales non Laicas, & Religioſos Clericos Juniores ſtatim à profeſſione eſſe ad horas, ſaltem privatim, quotidiè recitandas ſub mortali obligatos; idque vlteriùs evincit. 1. communiſſimus antè Societatem IESV ſenſus & praxis, tam Monialium profeſſarum non Laicarum, quàm Clericorum Religioſorum profeſſorũ. 2. ſcandalum, quod omiſſio voluntaria cauſat, & graves pœnæ omittere ſolitis apud nos & alios decretę; obligatio autem iſta in alio non videtur fundari, quàm in dicta traditione: vnde verò Religioſi profeſſi Clerici Societatis IESV ab obligatione iſta, ſivè traditione hac excuſentur, vt ſupra dixi, ad nos non ſpectat examinare.

Confirmatur 1. Traditio dicti Privilegij Matrimonium &c. ſol- 708
vendi; voti ſacris Ordinibus annexi, obligatio Subdiaconorum & Diaconorum ad horas &c. veriſimiliùs ortum habet ex perfectione Status, cui iſta annecti admittitur; ergo & illa ſimiliter, quam adſtruimus ob Religioſæ Profeſſionis ſtatum non Laicalem, pro vt talis continuata ab hominum memoria praxis, quæ eſt optima obligationum interpres, probat; ergo &c.

Dices fortè ex R. P. Marchantio. *Reſolutionum* caſu 30. De 709
obligatione illius Traditionis non conſtat firmô aliquô funda-

mentô, & agitur de re de se libera & devotionali, cui imponere obligationem in foro Dei, ad peccatum mortale & damnationem æternam, absque speciali & manifesto titulo, non tantùm imprudentiæ est, sed etiam crudelitatis: ergò &c.

710 Confirmatur ex eodem. Declarat 1. Eugenius 4. è suis Bulla 31. quæ incipit, *Ordinis tui* &c. Ecclesiam numquàm hanc horarum obligationem Monialibus indixisse, ajens, *Tenore præsentium declaramus & volumus, quòd in nullius prædictorum transgressione, præterquàm eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, Obedientiæ scilicet, Paupertatis, Castitatis & Clausuræ, & super electione Abbatissæ, peccatum mortale incurrant*, puta Moniales S. Claræ. Inter *prædicta* tamen, Regulæ cap. 3. continetur, *vt Sorores litteratæ faciant divinum officium secundùm consuetudinem Fratrum Minorum*. 2. Idem ferè Leo.X. Bullâ 52. intuitu Regularium tertij Ordinis Sti. Francisci. Declarans *omnia, & singula in præsenti Regula contenta, esse consilia ad faciliùs salvandas animas viatorū, & nulla esse obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humanô, vel divinô jure aliquis aliàs esset obligatus.* c. tamen 4. Regulæ dicitur, quòd *Sorores, quæ horas canonicas sciunt per sedicta debeant illas secundùm vsum S. Romanæ Ecclesiæ persolvere.*

711 Respondeo 1. retorquendo argumentum; 1. in traditionem de voto Castitatis Sacris Ordinibus annexo. 2. in traditionem de obligatione Subdiaconorum & Diaconorum ad horas recitandas &c. de qua ante, & iterum infra. Adde Dianam tom. 11. tract. 1. resol. 25. Authores citare & sequi, qui docent consequentiam talem esse improbabilem & temerariam. Tamen aliter

712 Respondeo 2. de illâ traditione satis constare ex præmissis; constat enim talem obligationem esse, ob rationes à n. 707. ad

713 n. 708. præmissas; nec est, vnde originem habeat obligatio hæc, si cum cæteris à n. 701. ad n. 707. traditio ista removeatur; igitur supponi debet in lege aliqua Ecclesiastica, vivę vocis oraculô, aut præceptô non scriptô prout istæ aliæ traditiones fundata, quæ, an fuerit imprudentius & crudelius nostræ traditionis fundamētum, quàm istarum, examinare poterit R. P. Marchantius, qui per Dei gratiam adhuc vivit.

Ad Confirmationem,

714 Respondeo istorum Pontificum declarationes non videri favere R. P. Marchantio; quia per illas non intendunt obligationes

nes tollere traditionum, & similes. supra Regulam S. Claræ, & Tertiariorum S. Francisci, vt constat ex illo; *Præterquàm & nisi*; sed illorum dumtaxat, ad quæ vi Regulæ præcisè sub mortali obligantur, vt ipse fateri debet: Vnde præceptum cap. 3. & 4. supra, plenam vim retinet, non obstantibus 1. verbis citatis Eugenij. 4.; quia, vti ex præcedentibus malè omissis constat, nempè, *Cum dilectus* &c. *declaraverit, quod in Regula 1. B. Claræ contineantur centum & tria præcepta regularia*, &c. *declaramus* &c. declaratio objecta præcepta solùm respicit. 2. etiam verbis Leonis X. non obstantibus; quia præceptum dictum censeri debet supra Regulam, prout Ecclesiæ præcepta communia, cum in traditione, aliundè, quàm ex Regula obligante fundetur; propter quod vterque Pontifex adjecit particulam exceptivam *præterquàm* & *nisi* &c. neque reverà prudenter præsumi potest, Pontifices istos intendisse eximere illas, aut Tertiarios Ordinis S. Francisci, ab obligatione viridi cæteris Regularibus non Laicis communi, ex recepta omnium ferè Doctorum sententia (vndelibet ortum habeat,) nullâ factâ hujus notabilis exemptionis (fortè extendendæ ad cæteros in Privilegijs Comunicantium Ordines) speciali mentione.

Ego tamen Censuram Patris Lot in hæc verba, *Potiori jure possemus P. Marchantij nobis oppositam opinionem temerariam appellare; cùm sine sufficienti ratione & authoritate, contra torrentem Theologorum militet. Quidni etiam scandalosa appelletur, cùm præbeat occasionem ruinæ, eximendo Moniales ab onere horarum, sine solido fundamento, ad quas concors Theologorum Schola eas stringit?* Non tango. An vim retineat, Judicabit sapientissimus Pater; præsertim, cùm de re tanta sit, & cujus obligationem omnes penè Doctores supponunt (licèt nonnulli supra citati n.705. vnde sit. non videant) à quibus in re morali recedere, numquàm tutum; aliunde tamen non satis apparet, cur rationem ejusdem Patris Lot (quâ probat Moniales ad horas sub mortali obligari, *Quia*, inquit, *hæc consuetudo Monialium dicendi horas, & aliorum Regularium Choro deputatorum, est instar Clericorum in Sacris; ergo, sicut non est probabile istos Clericos semel omittentes horas, non peccare mortaliter.*) Explodat ajens, *Insigne sanè argumentum: vnde constat P. Lot, obligationem Monialium legendi horas esse instar obligationis Clericorum in Sacris? cùm hæc obligatio Clericorum sit ex lege clara & positiva.* Nam è contra Quæro à R. P. Marchantio si, vt ait, ei con- 715

ftet de hac obligatione iftorum Clericorum ex lege clara & positiva; cur illam non citet; & an aliquam citare poſſit; præterquàm ex Cap. *Presbiter*. Cap. *Dolentes*, aut Cap. 5. *Si quis Presbiter*.

716 Nullâ autem ex his Clerici non Rectores, aut non Beneficiati in Sacris conftituti ad horas privatim (de quo ſolo quæſtio eſt) recitandum (clarè ſaltem) ſub mortali obligantur : quia Cap. *Presbiter* agitur de Sacerdote Rectore Eccleſiæ: Cap. *Dolentes* agitur de publica recitatione, vti & Cap. *Si quis Presbiter ;* Deindè Cap. *Dolentes* agitur quidem de Minoribus Clericis, ſed indeterminatè; ac ideò dubium manet, an de Clericis in Sacris nondum conſtitutis, an de conſtitutis in Sacris præcisè; an de ſolis Sacerdotibus ſimplicibus, qui reſpectu Rectorum & Prælatorum, eô jure cenſeri poſſunt minores Clerici, quô Diaconus & Subdiaconus tales cenſentur reſpectu Sacerdotis ſimplicis; nec dubium illud aliundè tolli poteſt, quàm per Eccleſiæ Traditionem: quarè Reſolutionem noſtram corroborat P. Lot, ſi de conſuetudine in hac Traditione fundata loquatur: hincque noſtra Reſolutio (præſcindendo ab exemptionis Privilegio, contra quod pugnare non intendimus) ſpecialiùs

717 Confirmatur 2. obligatio Monialium & aliorum Regularium eſt inſtar Clericorum in Sacris, ad horas quotidiè ſub mortali, ſaltem privatim, recitandas; quia, ſicut de obligatione horum per Eccleſiaſticam Traditionem conſtat, & non jure aliquô poſitivô; ita & de illa; ergo &c. Dixi, *& non jure aliquô poſitivô*; tum ob præmiſſa; tum ob authoritatem Navarri, Suarez, Leſſij, Becani & aliorum, quos hîc P. Caſtro-Palaus diſp. 2. p. 1. citat & ſequitur; & Bruno Chaſſaing de Privilegijs Parte 2. tract. 8. cap. 3. propoſ. 4. id aſſerentium. Jmò

718 Adde 1. hæc omnia eſſe vniverſim intelligenda, tam ſcilicet de deputatis, quàm non deputatis Clericis Regularibus & Monialibus non Laicis profeſſis, (quales ſunt ex 1. Fundatione Chorum non ſervantes) ad Chorum; niſi ſubſit per S. Sedem facta diſpenſatio: quia deputatio ad Chorum, ſolùm in Choro & Chori obligationem infert; hæc autem longè alia eſt, ab obligatione privata, ſive privatim horas recitandi, vt omnes fatentur: Vndè non rectè P. Caſtro-Palaus locô ſupra citatô, docet, *Privatim recitandi obligationem, publicæ recitationi ſuccedere;* alioqui legitimè diſ-

penſatus

pensatus à Choro, censeretur legitimè dispensatus ab Officio privatim recitando ; & sicut interdum absens sine causa à Choro, mortaliter non peccat;ita & interdum solùm sine causa privatim Officium omittens, mortaliter non peccaret ; hæc autem non recipiunt Doctores : imò, cùm ipse P. Palaus rectè doceat ibidem, nullum Religiosum particularē obligari sub gravi culpa in Choro horas legere; sed solùm Communitatem , & à Superiore deputatos; nam *Clementina* 1. de *Celeb. Miss.* (vndè hæc obligatio Choralis probatur) solùm dicit in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis officium divinum debitè persolvatur;non apparet quâ consequentiâ docere possit , obligationem privatim horas recitandi, respectu particularis, publicæ recitationi succedere;meliusq; proindè dicitur,succedere Traditioni supra explicatæ; &, sicut similis Traditio,de qua ibidē,tam Subdiaconos & Diaconos ad Chorum non deputatos,quàm deputatos ex officio, extra Chorum ad horas privatim recitandas obligat;ita & illa,quam hîc sequimur, tā deputatos & deputatas ad Chorum,quàm non, extra Chorum ad eas obligat : nec vllum video solidum oppositæ sententiæ, quam tamen sequitur Noster Lezana tom. 1. *Summæ* c. 12., & alij, fundamentum.

Adde 2. esse Privilegium Eugenij 4. concessum Benedictinis, 719
vt eorum Professi, nondum in Sacris constituti , non teneantur privatim persolvere horas Canonicas : Sed quæstiò esse posset, An privilegium hoc alijs in Privilegijs inter se Communicantibus communicetur?

Pro parte quidem affirmante stat generalis communicatio 720
Privilegiorum Mendicantibus, & non Mendicantibus concessorum, de quibus Leo X. in hæc verba, *Illaque omnia & singula inter dictorum Ordinum personas, communia fuisse, & esse volumus.* Et Clemens 7. in Bulla, *Dum vberes fructus*, in hæc, *nec-non quibuscumque facultatibus & gratijs, alijs Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus concessis, & concedendis, vti, frui & gaudere posse, atque debere in omnibus , & per omnia, perindè ac si eis concessa fuissent* ; hanc autem & istam Bullam confirmat Pius 5. in Bulla *Etsi Mendicantium.* Unde P. Pelizarius *tract.* 10. *cap.* 6. *n.* 16. de simili Privilegio pro affirmante subdit, *Videtur autem dictum Privilegium suffragari etiam Monialibus aliorum Ordinum per viam generalis communicationis : non enim apparet , cur*

 dici

dici debeat non compræhensum in illa; cùm non constet de exceptione, nec probetur illud indigere speciali notâ, vt communicatum censeatur; quod si non est in vsu, id fortè provenit, quia Moniales illud ignorant, vel quia nesciunt, an habeant communicationem privilegiorum. Quæ rationes videntur suadere dictum privilegium posse, per viam communicationis etiam suffragari viris Religiosis quorumcumque Ordinum, habentium communicationem privilegiorum, cum juxta dicenda cap.9.q.3.*Viri Regulares fruantur privilegijs in specie concessis Monialibus; & non appareat, cur ij debeant excludi à communicatione hujus privilegij particularis.*

721 Pro negante verò facit, quòd Gregorius 14. decreverit juxta Portel verbo, *Comm. Privil.* & Roder. tom. 1. qq Regul. q. 55. art. 22. Ordinem, cujus observantiæ repugnat privilegium alterius Ordinis, illo vti non posset; & ratio est, quia procul dubio Pontifex non intendit privilegia in destructionem, sed in ædificationem concedere: vndè putarem quemlibet Ordinem attendere debere, an, supra dictam Traditionem, habeat speciale statutum Moniales & Juniores Clericos ad horas privatim obligans, prout habent inter alios PP. Carmelitæ Reformati, quamobrem respectu illorum, hoc non est Privilegium, nisi, per Capitulum Generale, dictum statutum, vt potest, auferatur.

RESOLVTIO II.

722 Dico 2. Vt quis Divino Officio privatim satisfaciat, non sufficit, quòd labia moveat, & verba proferat; sed insuper ipsi constare debet, quòd sic labia moverit, & verba protulerit, vt nihil omiserit. Vndè corruit fundamentum, ac per consequens illatio D: Caramuelis.

723 Probatur; quia vbi obligatio est in possessione, tamdiu manet, quàmdiu non constat ei esse satisfactum; quia tum *Melior est conditio juris possidentis*; hincque in vera sententia, qui dubitat, an Officium legerit, an die festo Sacrum audierit, adhuc tenetur; atqui in casu Resolutionis obligatio est in possessione; nec aliter constare potest ei esse satisfactum; ergo &c. Authoritatibus varijs, alijsque rationibus impugnat Caramuelem Diana tom. 11. tract. 1. resol. 6. Vt 1. quòd recitatio cum socio debeat esse communis, nec aliter oratio alterius possit tibi esse communis, nisi in quantum

tum

tum illam percipis, quia auditus loco prolationis succedit; ideóque diceris recitare, quæ Socius recitat, quia illum audis. 2. per duo absurda, quæ alioqui infert. Primum. quòd quis satisfaceret præcepto persolvendi horas Canonicas, dicendo tantùm medietatem Officij; nam ipse tantùm medietatem Officij recitaret; & aliam partem Socij, quæ locô suæ prolationis succedat, non audiret. Secundum, quòd surdus satisfaceret præcepto dicendi Officium Divinum, si recitaret cum socio, quod est contra communem sententiam, vt videre est apud Trullench in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 15. n. 6. Sanchez in Opusc. tom. 3. lib. 7. cap. 2. dub. 13. Escobar à Corro de horis Canonicis q. 6. n. 51. Faustum de horis Can. q. 238. & alios. Jta ille.

Sed hæc non satisfaciunt:

Respondeo enim ad primum, Communionem cum socio, aliã non debere esse, quàm secum; sicut alia non debet esse recitatio cum socio, quàm secum, recitationi mediæ æquivalens: atqui Diana locô citatô docet, eum, qui secum & solus recitat, satisfacere sine interna attentione pronuntiando verba, licèt non audiat; ergo similiter satisfacit, si sine interna attentione cum alio, modo hic verba pronuntiet, licèt ipse non audiat: *quia*, inquit, *præceptum est pronuntiandi, non audiendi*. Consequentia tenet à pari, & sic aliundè, ex Dianæ effato isto probari potest. Alterius recitatio quoad partem succedit propriæ; sed *præceptum est hanc pronuntiandi, non audiendi*; ergo &c. Dum enim Ecclesia permittit cum socio recitare, aliam cum socio communionem non exigit, quàm supponat secum esse necessariam; quia id præcisè permittit, vt constat de communione attentionis, in sententia illorum, qui ad horarum satisfactionem, æquè attentionem, quæ audiri non potest, quàm recitationem, requirunt, videlicet per acceptationem mediæ obligationis, quam in alium transferri vt sic, tolerat Ecclesia; sicque oneratus Sacris, datô, vel non datô, alteri probo Sacerdoti stipendiô, per oneris ab hoc acceptationem, exoneratur, vt omnes fatentur. Vndè consequenter 724

Respondeo ad 2. Præcisè sistendo in ratione Dianæ, absurda, quæ infert, esse surda; quia, sicut, positâ dictâ acceptatione, in aliorum sententia diceret totum officium quoad requisitam attentionem; ita in sententia Dianæ quoad requisitam recitationẽ, 725

sine

ſine auditu &c. quia ſub ſufficienti communione altera medietas poneretur æquivalens alteri medietati ſecum : Non ita tamen in noſtra ſententia; quia illa medietas non eſt huic æquivalens, niſi recitanti conſtet æquè illam recitari, quàm hanc ; neque aliam communionem ſufficere putamus, cùm nulla alia ſit externæ recitationi, ad quam tenetur, æquivalens, propter quod ſolum ſurdus, in noſtra ſententia, nequit, recitando cum ſocio, ſatisfacere; ſecùs in ſententia Dianæ, vt vidimus.

RESOLVTIO III.

716 Dico 3. Citra cauſam, & deditâ operâ, mutare officium, vt, ſi locô officij ferialis, recitetur de feſto, eſt peccatum mortale. Jta PP. Societatis communiter, quorum pleriſque, & alijs citatis, ſubdit Diana tom. 11. Reſol. 26. *Vndè patet, quòd nullus è Scriptoribus Societatis auſus ſit ſententiæ Caramuelis adhærere ; ſed omnes noſtram ſecuti ſunt.*

717 Sed hæ authoritates ſunt cum reſtrictione mutationis officij de Feria in officium Reſurrectionis, vt videre eſt apud Dianam locô citatô ; quæ reſtrictio mihi ſuperflua videtur; quia equidem ſemper ſequens dilemma retinet vim & locum : vel mutatione officij de feria in officium de Reſurrectione mutatur officium ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm modum tantùm ? Non primum; quia juxta Dianam p. 2. tract. 12. reſol. 3. *Subſtantia præcepti recitandi officium divinum eſt, vt ſeptem horæ Canonicæ perſolvantur ; ſed quòd officium ſit de Feria vel de Sancto* (addere debuiſſet, vel de Reſurrectione: quia, cur in alijs, & non in hoc, mutatio eſſet ſecundùm modum ?) *pertinet ad modum accidentalem ; ergò per talem mutationem non violatur ſubſtantia præcepti ; ſed modus, ritus, & ceremonia ; quæ quidem non eſt tranſgreſſio ſufficiens ad peccatum mortale, quidquid aſſerant Doctores contrariæ ſententiæ : ideò, ſi quis ſine cauſa hanc mutationem faceret, ex quadam acedia animi, vt faciliùs & breviùs officium expediatur, puto ſolùm peccare venialiter* &c. Jta ille. Neque ſecundum; quia notabilis ſit, vel non ſit, juxta Dianam jam citatum, *non eſt tranſgreſſio ſufficiens ad peccatum mortale* ; quia, *pertinet ad modum accidentalem*, vnde *per illam non violatur ſubſtantia præcepti*. Hujus autem dilemmatis ſolutio ab omnibus quæritur, ac nominatim à Diana expetitur ;

expetitur; ipse quidem tomô 11. sæpè citatô tract. 1. Resol. 26. aliquam adfert, sed inefficacem; vti etiam P. Adamus Burghaber, ajens, *Istâ mutatione, negamus substantiam præcepti impleri, cùm Officium paschale moraliter nō æquivaleat officijs alijs per annum*: quia vtrumque hôc telô impetit Caramuel, *Septem horæ Canonicæ persolvuntur & implentur juxtà Dianam supra, ergo & substantia præcepti.* Neuter tamen id efficaciter declinat aut retorquet, ac proinde frustra vnus ab altero solatium quærit: possunt & hôc alterô impeti, *Quantitas Officij non magis est de substantia præcepti, quàm quantitas Sacri; at Dominicâ Passionis per Sacrum de S. Spiritu, tam huic satisfit, quàm Passionis Sacrum audiendo.* Ergo &c.

Denique major est excessus inter Officium quadragesimale de feria, & Officium de festo, quàm sit inter Officium Resurrectionis & feriale extra-quadragesimale, aut saltem ferè æqualis est; igitur hinc peti non potest mutatio substantiæ præcepti; nam ibi non mutari substantiam communiter supponitur: vnde frustrà est allata restrictio, vt supra diximus. 728

Neque etiam est, quòd Diana novum solatium quærat ex P. Tancredi *de Relig. tract.* 13. *lib.* 4. *disp.* 11. *q.* 2. *n.* 15. vbi docet, *Officium Resurrectionis esse ita affixum illi tempori, & habere tantam mutationem à solita forma Officiorum, vt quid peculiare videatur, non posse cōmuni regulâ adjuvari; & ideò patet, nec posse tempore Paschæ Resurrectionis dici Officium Pentecostes, & è contra; quia illa forma in his diebus cum talibus Psalmis, Antiphonis* &c. *videtur de substātia.* Et confirmat *exemplo Missarum; nam aliquæ Missæ possunt dici infrà annum, nō autem Missa de Dominica Palmarum, de feria 3. & 4. hebdomadæ pœnosæ; quia ita sunt illis diebus affixæ & addictæ, vt in alijs dici non possint; ergo sic dicendum est de Officio Resurrectionis.* Ita ex P. Tancredi Diana, sed hinc nullum ei solatium; quia totum dilemma, à nobis supra factum, vim retinet; nec Pater ille ad mutationem in quantitate refugit, vt Diana: sed ad mutationem *in forma* nobiscum; vnde resolvimus nullum Officium posse in aliud, citrà mortale, mutari, quod est contra ipsum Dianam. Deindè argumentum est à Missa ad Officium; quod nullum esse, vel ipse Diana probat *tomo.* 11. *citato tract.* 1. *resol.* 10. nam mutatio Missæ nullum est peccatum. Quarè aliter 729

Probatur: quia talis mutatio est substantiæ Officij mutatio, & 730

 non

non modi dumtaxat accidentalis, vt falsò supponit D. Caramuel; sed constat esse peccatum mortale mutare Officium secundùm substantiam; ergo &c.

731 Probatur major 1. quia, sicut substantia rei præceptæ ab eo peti debet, quod principaliter præceptô intentum est; non verò ab eo, quod principaliter præceptô intentum, secundùm se & entitativè distinguatur substantiâ, vel modô, ab eo, quod præceptô intentum non est; nam alioqui, præterquàm id ad differentiam jam notæ substantiæ spectet; tam Sacrô non præcepto & feriæ, satisfieri posset præcepto Sacri secundùm substantiam, quàm Sacrô præceptô & festi, cùm hoc ab illo secundùm se & entitativè non differat. Deindè, tam Officiô per Pium 5. & Clementem 8. abrogatô, satisfieri posset præcepto Officij secundùm substantiam, quàm Officiô præceptô; & sic per Officium non præceptum, imò per vetitum & abrogatione annullatum, satisfieri posset præcepto secundùm substantiam; quod mihi tam absurdum est, quàm dicere, *non præceptum*, esse *præceptum secundùm substantiam*; ac sic, *non substantiam ac annullatam substantiam*, esse reipsâ, *substantiam*, quô nihil absurdius.

732 Subsumo, atqui quod præceptô horarum principaliter intentum est, est vt tali die tale Officium recitetur, vt patet, & allata absurda, alioqui secutura, evincunt: ergo &c.

733 Probatur major 2. quia apud nos Officia ferialia Quadragesimæ ferè totâ substantiâ (id est exceptis tribus psalmis Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij) ab Officijs festivis differunt; nec puto futurum, qui negaret Breviarium his solis constans differre substantiâ ab alio istis solis constante; (præsertim cùm Dub. 15. probatum sit, non dari circumstantiam notabiliter aggravantem, quæ moralem speciem peccati non mutet) quod tamen, vt consequenter loquatur, negare debet D. Caramuel. Ergo &c.

Hinc autē patet D. Caramuelem Supra n. 679. supponere falsum; nec sententiam ipsius & Caietani, Silvestri, Zerolæ, Soti, Medinæ, Armillæ, Rodriguez, Azor, Valentiæ, Lessij, Vegæ, Layman, Binsfeldij, & Filliucij apud Dianam parte 2. tract. 12. resol. 3. solidâ ratione niti.

RESOL-

RESOLVTIO IV.

DIco 4. Regulares non ſatisfaciunt præcepto perſolvendi horas Canonicas, ſi recitent Officium alterius Religionis. Ita Sotus, Navarrus, Toletus, Suarez, Sanchez, Reginaldus, Filliucius, Lezana noſter, & plures alij, quos citat & ſequitur Diana *tom.* 11. *tract.* 1. *reſol.* 8. Sed vellem, Diana hanc ſuam reſolutionem conciliaret cum ſua altera 10. ex *Tract.* 12. *Partis* 2. vbi ait, *Si quis Clericus ſecularis vnô vel alterô die diceret Officium per aliud Breviarium à Romano, v.g. Breviarium S. Dominici* &c., *puto ita recitando non peccare mortaliter* (quod concordat cum præmiſſis ex eodem n. 272.) *quia, cùm hæc mutatio parva ſit, non videtur notabiliter adverſari menti Summi Pontificis* &c. ſi enim ille, ita recitando, non peccat mortaliter, *quia mutatio hæc parva eſt*, nec Regularis peccabit mortaliter &c. Deinde mutatio iſta, quam locô citatô dicit *parvam*, per ipſum eſt in ſubſtantia, aut modo tantùm? Quidquid dixerit, attentis præmiſſis *reſol.* 3. difficilior erit Dianæ ſecum concordia, quàm ſatisfactio à ſe *Tom.* 11. *tract.* 1. *reſol.* 8. D. Caramueli intentata. Quare aliter 734

Probatur: quia talis mutatio Breviarij eſt ſecundùm ſubſtantiam; non verò ſecundùm modum, ritum, aut cæremonias tantùm; ergo &c. Probatur aſſumptum ex præmiſſis Reſolutione præcedenti, quoad mutationem Officij feriæ in feſti; mutatio enim Breviarij plures tales mutationes continet. Ergo &c. 735

Confirmatur: recitare Officium juxta Breviarium per Pium 5. caſſatum & abrogatum (prout eſt illud, quod non fuit in vſu ducentis annis ante Romanum ab ipſo approbatum) eſt non ſatiſfacere præcepto perſolvendi horas Canonicas: atqui plurimis diebus Officium vnius Religionis (præterquàm ſit à Pio 5. pro alijs, virtualiter ſaltem, caſſatum & abrogatum,) plus differt ab Officio alterius Religionis, quàm Officium Breviarij caſſati & abrogati, à ſe antea nō caſſato & abrogato, ſed approbato; ergo &c. 736

Probatur major; quia ſicut Breviarium caſſatum & abrogatum eſt nullum; ita ex ipſo Officium recitare, eſt nullum Officium recitare; recitare autem Officium nullum, ſive Officium approbatum in Officium nullum mutare, haud magis eſt ſatisfacere præcepto

Ii ij perſol-

persolvendi horas Canonicas, quàm recitare Officium nullum, sive Officium non recitare, sit eidem satisfacere. Jmò, si quæ Officia & Breviaria differant substantiâ,maximè illa:mutare autem Officium secundùm substantiam (& idem est à fortiori de Breviarijs) esse mortale, ambigit ferè nullus. Minor patebit Breviaria conferenti; consequentia est legitima; ergò &c.

737 Dices fortè: sicut interdum Officium vnius Religionis, ab Officio alterius Religionis, vel etiam Romano, non nisi parvâ materiâ & quantitate differt: ita & Breviarium &c. atqui levitas materiæ excusat à peccato mortali; ergo &c.

738 Respondeo negando consequentiam;nam,etiam illô casu,mutatio ista Officij vel Breviarij, ex intentione mutandi Officium vel Breviarium, & non solùm ex intentione proprium, paucis omissis,recitandi(quod penes recitantis intentionem attendi debet) est mortale peccatum; quia finis legis prohibentis mutationem Officij vel Breviarij, est notabilis inordinatio communiùs futura,licèt interdum,& in quodam casu particulari, non futura; quia in casu particulari, qualis est objectus, non cessare finem legis, probavimus supra Dub.19.contra Caramuelem & alios. Ex quibus patet fundamentum D. Caramuelis supra n. 648. allatum esse nullum: an autem Diana, quin sibi contradicat, ei satisfacere possit, ipse viderit.

RESOLVTIO V.

739 Dico 5. Nec Musici passim à jejunio excusantur; nec Regulares, qui in Choro cantant, passim ad jejunium obligantur; sed horum, vti illorum sub jejunio, debilitatis, incommodi &c. gravitas aut levitas attendi debet.

740 Probatur: quia, vt communiùs Doctorum fert sententia, Ecclesiæ præcepta, difficultate aut incommodô notabili propriæ vocationis interveniente, regulariter obligare non censentur; at aliundè Musicos,qui rarò integrum Officium, & frequentiùs non nisi vnum Sacrum votivum,sub organo,& multis pausis,cantant, passim à jejunio excusare, laxum nimis videtur; Regulares verò plerumque varia Sacra de festo, fundatione, voto, aut funere, & consequenter totum Officium de die, de Requiem &c. sine organo

gano cantantes, passim, & plus quàm Musicos ad jeiunium obligare, austerum nimis & irrationabile apparet: quia tamen passim Regulares cum suo cantu jeiunium servant; omninò consultum puto, etiam Musicos passim ad jeiunium obligare; ne plùs obligati, magis excusentur, & sine causa sufficienti, jejunij fine, sive mortificatione carnis & concupiscentiæ, incautè frustrentur; ergo &c. Hinc

Adde, Dianam Caramueli tom. 11. tract. 1. resol. 4. non satisfacere; dum docet, & confirmat, Musicos minùs obligari, quàm Regulares, ajens, *Nam Musici excusantur propter salarium, & ne diminutè exerceant munus suum, ad quod tenentur, & ne reddantur inhabiles ad canendum cum periculo damni notabilis, propter vocis amissionem: sed Religiosi satisfaciunt muneri suo canendo in Choro, sive cum voce rauca, sive cum voce sonora; nec timent, vt Musici, esse dimittendos à servitio Ecclesiarum, vel Principum; & semper securi sunt, sive bonam, sive malam vocem habeant, quòd invenient mensam paratam in refectorio, cum solitis pitantijs; ergo est dispar ratio inter illos & Musicos*: hæc enim ratio frivola videtur; quia (præterquàm tota, quanta est, evidenter retorqueatur in Musicos beneficiatos, quos sine discrimine excusat Diana) Religiosi gravioris damni, videlicèt suæ Communitatis, maximè si ex eleemosynis vivat, periculum verentur propter amissionem vocis, quàm Musici sibi soli salarium quæstuantes; nam si rauca Musica populum avertat à templis sęcularium, & Principes à Musicorum affectu, vnde salarium perdant, quo sustentantur; ingratus Religiosorum cantus populum avertit ab Ecclesijs Regularium, & Principes à Religiosorum affectu, vndè fundationes, Sacra votiva, & ferè omnes eleemosynas perdunt, quibus integræ Communitates vivere debent, non vnus hinc inde Musicus dumtaxat. 741

DVBIVM XXV.

An ratione naturali demonstrari possit, Deum esse vnicum.

D. CARAMVEL

Suæ Theol. Moralis n 1559.

742 *Tenendum, non esse per se notum, nec euidens, dari vnum solùm Deum; sed Deorum pluralitatem posse, stando puris principijs naturalibus, defendi, & propugnari: vel si* vnitas, *aut euidens sit, aut per se nota, qui Romani, & alij benè culti & docti populi, fuerunt Polithei idololatræ? illis enim, vt puto, non deberet negari clarissimarum saltem rerum notitia; & si quidem essentiæ Diuinæ vnitatem non agnouerunt, liquidò constat, eam non esse clarissimam; sed esse potiùs obscuram à solis Philosophis & doctioribus viris per probabiliora ratiocinia indagabilem.*

AVTHOR.

743 Sententia hæc gentilibus Idololatris nimium tribuit, dum principia purè naturalia subesse supponit, quibus Politheismum, in eoque Deorum pluralitatem execrabilem, defendant ac propugnent: multum enim differunt *non esse per se notum & euidens dari vnum solum Deum*; quod à nonnullis dissimulatur; *& Deorum pluralitatem posse, stando puris principijs naturalibus, defendi & propugnari*. Quia media est per discursum Diuinę vnitatis demonstratio, quæ viam præcludit puris principijs naturalibus, quibus execrabilis illa pluralitas defendatur ac propugnetur. Certè dum S. Thomas 1. contra Gentes cap. 12. errorem appellat sententiam negantem, esse demonstrabile Deum esse: quem sequuntur Bellar. lib. 4. de gratia cap. 2. Suarez 2. Metaph. disp. 29. sect. 2. n. 6. & Alij communiter, docentes illam esse temerariam, & parum in fide tutam: nescio quô nomine appellabit sententiam docentem, *Deorum pluralitatem*, ac per consequens Deum non esse, *posse, stando puris principijs naturalibus, defendi ac propugnari*? D. Caramuel arbitretur, judicium ad ipsum spectat. RESOL-

RESOLVTIO I.

AVTHORIS.

DIco 1. Nullum puræ naturæ principium adferri poteſt, quô 744
probabiliter defendatur ac propugnetur Deorum pluralitas.

Probatur: non imprimis Perſonarum Divinarum pluralitas, 745
quâ ſolâ, locô citatô, nititur D. Caramuel; quia, præterquàm hæc non cadat ſub cognitionem purè naturalem, & ipſe agat de principijs purè naturalibus, *quibus tenendum dicit, poſſe defendi ac propugnari, Deorum pluralitatem*; ex hac nil concludi, infra patebit: Neque etiam multiplicabilitas cujuſlibet ſpeciei in aliquo genere imperfectæ; quia, præterquàm Deus ſit in omni genere entis perfectus; aut alioqui non eſſet ille Deus, pro quo contendimus; Deus non eſt ſpecies, ſed eſſentialiter individuum; nec alia apparet ratio, quâ id probabiliter defendatur ac propugnetur; ergo &c.


RESOLVTIO II.

DIco 2. Principio purè naturali demonſtrari poteſt, Deum 746
eſſe vnicum, & non plures.

Probatur 1. Quia præterquàm quòd iſta ſit receptiſſima om- 747
nium Patrum & Theologorum ſententia; ex poſſibilitate aut exiſtentia demonſtrata vnius oppoſitorum realium, demonſtrativè inferri poteſt poſſibilitas alterius, vt v. g. ex compoſito poſſibili aut exiſtente demonſtrato, ſimplicis poſſibilitas; ex natura in aliquo genere imperfecta, multiplicabili &c. demonſtrata, alterius in omni genere perfectæ, immultiplicabilis &c. poſſibilitas: atqui natura in omni genere perfecta, immultiplicabilis &c. poſſibilis, eſt Deus vnicus exiſtens; nam in neceſſarijs poſſibile & exiſtens non diſtinguuntur, ergo &c. Probatur major; quia evidens eſt, vnum oppoſitorum realium non magis in ſuo conceptu formali duo contradictoria involvere, quàm alterum; ſed, hoc ſemel datô, ex vnius oppoſitorũ realiũ poſſibilitate aut exiſtentiâ demonſtratâ, demonſtrativè inferri poteſt poſſibilitas, imò exiſtentia, alterius in eſſe neceſſarij; ergo & vnius Dei. Con-

lebantur figmenta &c. Id tamen etiam ab eo, quod dæmon per ſtatuas loqueretur, ſumi poteſt; aut certè à pulchritudine, virtute & vtilitate cœleſtium, elementorum, & aliorum, quæ alij ſibi Deos alios effinxerunt, vt ibidem cap. 13. dicitur, & apud Auguſtinum lib. 4. de Civitate cap. 6. Item 6. cap. 9. & 7. cap. 6. ac 23.

Hæc præcipua ſunt, *Reverendiſſime ac Eximie Domine*, quæ *tua Reverendiſſima Dominatio, doctis & indoctis vniverſis*, vt ajt, 1. & 2. *Parte ſua Theol. fundament.* diſcutienda & reſolvenda propoſuit; ſed hîc reſpondit nullus, quem audiverim; niſi *aut ſupprimantur* (quod in hac Diœceſi non ita pridem eſt factum) *aut ſolvantur*, eò quòd alioqui minùs doctis ac rudioribus ſcandalo ſint. Solvi ego: ſi temerarius; *à Tua Reverendiſſima Dominatione*, & alijs, coactus; ſi indoctè, doceri confiſus; tum fundamentorum meorum ſolidas ſolutiones, non verboſas eluſiones; tum difficultatum à ſe propoſitarum ſub ratione efficaci (authoritates enim in pleriſque diſſimulavi, eò quod ratione, non authoritate, continuò pugnet) convincentes Reſolutiones, quæ ſcandalum tollant, & ignorantes in doctrina ſana ædificent.



INDEX RERVM
ET
VERBORVM
QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

Numerus positus solum marginalem significat.

Al;

Causa

Quid

Mavult

An

O.

Objectum.

Occidere. Occisio.

Perju-

Regula.

Repercussio.

Retractatio.

Reus.

S.

Sacramentum.

Semen.

Sodomia.

Scrupulosus.

Species & Specificatio.

Suicidium.

T.

D. Thomas. Thomistæ.

Tribunal.

V.

Vana gloria.

Veniale.

Virtus.

Vita

FINIS.





LOVANIJ.

Typis CYPRIANI COENESTENII.

M. DC. LVII.